
DE CHRISTIANA HVMILITATE, ADVERSVS STOICORVM *DECRETA ET PARADOXA,* LIBRI DVO.

Auctore R. P. Ioanne Bovrghesio olim Duaci S. Theologiæ Professore, Societatis Iesv.





DVACI,
Ex Typographia Baltazaris Belleri, sub Circino aureo, Anno 1633.

Cum Gratia & Priuilegio.



AMPLISSIMO,

AC PERQVAM REVERENDO

IN CHRISTO

PATRI AC DOMINO.

D. PHILIPPO CAVEREL,

ABBATI S. VEDASTI.



SÆPE tibi, opinor, lecta est (Admodum R. D) S. Augustini ad Dioscorum, etsi paulo [illegible] Ep[illegible]ola, quâ propositas sibi ab eo curiosas quæstiones ex Dialogis Tullij de Anaximen, Anaxagora, nec ab Episcopo decere tractari, nec ab homine Chri-

ſtiano vtiliter diſci reſpondet; prolixè tamen hoc ipſum, quod hiſce duobus libellis continetur, argumentum ediſſerit, de ſummo bono, aut eius parte, collocarine debeat in corpore, animo, an Deo. Quod ſi didiceris neque ſummum bonum, nec aliquam partem ſummi boni omnino eſſe in corpore, duo reſtabunt, quorum in vno, vel ambobus ſit. Si autem adieceris, & didiceris hoc idem de animo, quod de corpore, quid aliud iam niſi Deus occurret, in quo ſummum hominis bonum conſtitutum ſit? non quò alia bona non ſint, ſed ſummum id dicitur quò cuncta referuntur. Eo enim fruendo quiſque beatus eſt, propter quod cætera vult habere, cum illud iam non propter aliud, ſed propter ſeipſum diligatur. Et ideò finis
ibi

ibi dicitur, quia iam quo excurrat, & quo referatur non inuenitur, ibi requies appetẽdi, ibi fruendi securitas vbi trãquillissimum gaudium, optimę voluntatis. Demonstrat deinde S. Augustinus, Academicos, qui ijdem sunt Platonici, Stoicis & Epicureis maximè restitisse, ijsque refellendis operam, atque omnem disputandi contentionem adhibuisse; occultatâ tamen sententiâ suâ, quòd veritatem comprehensam non haberent. Quantum pertinet ad quæstionem de summo hominis bono; remouè personas hominum, atque ipsam disceptationem constitue; profectò reperies duos errores inter se aduersâ fronte collidi, vnum constituentem in corpore, alium constituentem in animo summum bonum; rationem autem veritatis, quâ summum

bonum noſtrum Deus eſſe intelligitur, vtrique reſiſtere, ſed non prius docentem vera, quàm falſa dedocentem. Idipſum rurſum adiunctis perſonis conſtitue, reperies Epicureos & Stoicos inter ſe acerrimè dimicantes; eorum verò litem conantes diiudicare Platonicos, occultantes ſententiam veritatis, & illorum vanam in falſitate fiduciam conuincentes, & redarguentes; ſed non, ſicut illi errorum ſuorum, ita Platonici verę rationis perſonam implere potuerunt. Omnibus enim defuit Diuinę Humilitatis exemplum, quod oportuniſſimo tempore per Dominum noſtrum Iesvm Chriſtum illuſtratum eſt: cui vni exemplo, in cuiuſuis animo ferociter arrogantis omnis ſuperbia cedit, & frangitur, & emoritur. Quare mirum non

eſt,

eſt, ad Euangelicæ lucis claritatem euanuiſſe ſectas iſtas Epicureorum ac Stoicorum, iamque penitus obmutuiſſe; Platonicæ quoque gentis Philoſophos (vt pluribus ibidem proſequitur S. Auguſtinus) inuictiſſimo vni Regi Chriſto pias ceruices ſubmiſiſſe. Sed mirum ſanè eſt, ab eruditis hodieque viris emortuos Stoicorum cineres foueri atque exſuſcitari, vnde aliqua contra fidem Chriſtianam ſcintilla excitetur, ait idem S. Auguſt. quo tamen authore ſi volumus vti, non alia nobis ad capeſſendam & obtinendam vetitatem via munienda eſt, quàm quæ munita eſt ab illo, qui greſſuum noſtrorum tanquam Deus videt infirmitatem; ea autem eſt prima humilitas, ſecunda humilitas, tertia humilitas, & quoties interroga-

rogarer, hoc dicerem; ſicut Rhetor ille nobiliſſimus, cum interrogaretur, quid ei primum videretur in eloquentiæ præceptis obſeruari opportere? pronuntiationem dicitur reſpondiſſe; cum quæreretur, quid ſecundo? eandem pronuntiationem: quid tertiò? nihil aliud, quam pronuntiationem dixiſſe; ſi interrogarer & quoties interrogarer de præceptis Chriſtianæ Religionis, nihil me aliud, niſi humilitatem reſpondere liberet. Huic humilitati ſaluberrimæ maximè aduerſatur quędam, vt ita dicam, imperitiſſima ſcientia, dum nos ſcire gaudemus, quid Anaximenes, quid Anaxagoras, quid Pythagoras, quid Democritus ſenſerint, & cætera huiuſmodi, vt docti eruditique videamur, cum hæc à verâ doctrinâ, & eruditione longè abſint.

ſint. Ecce tibi, Reuerende Admodum Præſul, breue velut, prȩfationis loco, compendium horum libellorum, purè, ſincerè, abſque fuco & Phaleris de Chriſtiana Humilitate conſcriptorum. Atque, vt ſcriptionis quoque rationem ac formam breuiter explicem, ex Stoicâ Philoſophiâ ac diſciplinâ mutuatam, commodè S. Hieron. Epiſt. ad Magnum Oratorem Romanum, à quo propoſita fuerat ei quȩſtio, aut potius per eum à Ruffino, qui Calphurnius illi Lanarius dicitur; Cur in opuſculis ſuis ſæcularium litterarum exempla proponeret, & candorem Eccleſiæ Ethnicorum ſordibus pollueret? Commodè, inquam, & prolixè reſpondet, allatis compluribus veterum Patrum, ac Scriptorum teſtimonijs, ipſiuſmet Apoſtoli Pauli, qui ſcribens ad Titum Epimeni-

menidis abuſus eſt vaticinio; & in aliâ epiſtolâ, Menandri ponit ſenarium; & apud Athenienſes, in Martis curia diſputans, Aratum teſtem vocat: Ipſius & genus ſumus. Ac, ne parum hoc eſſet, ductor Chriſtiani exercitus, & orator inuictus pro Chriſto cauſam agens, etiam inſcriptionem fortuitam arte torquet in argumentum fidei. Didicerat enim à vero Dauid, extorquere de manibus hoſtium gladium, & Goliȩ ſuperbiſſimi caput proprio mucrone truncare: Legerat in Deuteronomio, Domini voce prȩceptum, mulieris captiuæ radendum caput & ſupercilia, omnes pilos & vngues corporis amputandos, & ſic eam habendam in coniugio. Quid ergo mirum, ſi & ego ſapientiam ſæcularem propter eloquij venuſtatem, & membrorum pulchritudinem, de ancilla atque

captiua

captiua, Iſraëlitidem facere cupio? Hæc pro ſe, ac pro me quoque, ſi pateris, D. Hieronymus: vt planè confidam, non ſecus ac nuper Catonem meum Chriſtianum, ita & hos aduerſus Stoicorum decreta, ac Paradoxa libellos Ampl. T. non ingratos fore, ac modeſtos ſubinde monitores, vt quam amat eximiè virtutem humilitatis, porro pergat excolere, ac tueri tot inter res præclarè geſtas, quarumque omnium authorem agnoſcis Diuinam in te liberalitatem ac munificentiam, cuius honori ac gloriæ laudum tuarum omnium celebritatem animo gratiſſimo tranſcribis, illud accinens Regij Vatis: *Tu autem Domine ſuſceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.* (Apud Bonos iura Pietatis) ad humilitatem referri poſſe videtur. Nam aduerſus Deum

Reli-

Religio, Pietas, Obseruantia, Humilitas eadem est virtus: Aduersus superiores obseruantia, Pietas, Humilitas, quæ ex Apostoli consilio omnes sibi superiores existimat, eisque defert ob excellentia in eis dona & munera, non differunt, Aduersus pares, & inferiores Commiseratio, Clementia, Mansuetudo, Pietas dicitur, quæ proinde iungitur Humilitati: *Discite à me*, ait Dominus, *quia mitis sum, & humilis corde*. Et Sapiens: *Fili, in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris. Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam, quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur*. Plura non addam ad gratiam aliquam hisce libellis, vel ab argumenti dignitate & necessitate, vel à S. Augustini, cuius potissimùm sententijs

Matt. 11. v. 29.

Ecc. 3. v. 19.

tentijs conflati ſunt, authoritate conciliandam. Deum precabor vt Reuerend. Admodum D. T. extremam hanc ſenectutem cumulatioribus ſemper meritorum augmentis locupletet, ac denique, cum centeſimam expleris ætatem, pari corona cæleſtis gloriæ, atque opulentia fælicitatis æternæ remuneret. Duaci 27. Septembris anno 1633.

Admodum Reuerendæ D. T.
Addictiſſimus in Chriſto
ſeruus

IOANNES BOVRGHESIVS.

SVMMA PRIVILEGII.

EGo infrascriptus Societatis IESV in Gallo-Belgica Prouincialis iuxta Priuilegium à Serenissimis Principibus nostris, eidem Societati concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos, absque Superiorum permissione imprimant, permitto Baltazari Bellero Typographo Duacensi, vt libros duos P. IOANNIS BOVRGHESII è Societate IESV quorum primus est Cato Maior Christianus, siue de Senectute; Alter est de Christiana Humilitate, ad sex annos proximos imprimere, & liberè distrahere, possit. In quorum fidem has manu propriâ subscriptas & officij nostri, sigillo munitas dedi, Duaci 25. Septembris. Anno 1633.

IOANNES LOBBETIVS.

APPROBATIO.

LIber iste, de Christiana Humilitate aduersus Stoicorum decreta & paradoxa, auctore R.P. IOANNE BOVRGHESIO è Societate IESV olim Duaci S. Theologiæ Professore, non elegantius quam solidius, inanem Stoicæ Philosophiæ fastum, naturæ vires cum insigni Diuinæ gratiæ iniuria supra modum extollentis, comprimit; gratię Christi Reparatoris necessitatem beneficiumque ex vero demonstrat; hisque duabus vijs ad Humilitatem, propriam Christianorum virtutem, cùm raritate tum necessitate pretiosissimam, compendiose deducit. Quambrem auctoritate R.mi D.ni Episcopi Atrebatensis mihi hac in parte commissa, probo vt publici boni causa typis mandetur. Datum Duaci 12. Octobris, Anni 1633.

PHILIPPVS DV TRIEV
è Societate IESV S. Theolog. Doctor, Episcopali auctoritate Censor constitutus.



DE CHRISTIANA HVMILITATE ADVERSVS STOICORVM DECRETA ET PARADOXA.

LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

Disputatio Apostoli cum Epicureis, & Stoicis à S. Augustino explicata.



EXTAT tomo sexto operum Sancti Augustini Tractatus de Epicureis & Stoicis, cuius in Indiculo meminit Possidius, de lectione Actuum Apostolorum, vbi Epicurei, & [Sto]ici cum Apostolo Paulo contulerunt; [ea]emque disputatio gratâ quâdam varietate

 repeti-

repetitur sermone decimo tertio de verbis Apostoli.

Ex priore tract. mutuabimur hoc potissimum capite; proximo autem ex posteriore sermone. Principiò aperiendus est triplex horum Philosophorum ex Dei ignoratione profectus error. Nam scitè Tertullianus; Cui veritas cognita sine Deo? Cui Deus sine Christo?

Vnus est; Quod, cum omnis de beatâ vitâ foret contentio, viderunt quidem hominem corpore & animâ constare, & aut corpore, aut animâ beatum esse oportere; sed non aduerterunt hominem sibimet ipsi causam beatæ vitæ esse non posse, cum ab vno Deo Conditore possit ac debeat homo & corpore & animâ perfici, ac beatâ vitâ cumulari. Ob eam causam, Athenis, vbi Philosophorum disciplinæ studio & contentione feruebant, inquit S. Augustinus, duæ dumtaxat eorum sectæ, id agente Diuina prouidentia, cum Apostolo contulerunt, Epicureorum, & Stoicorum: Nihil est enim in homine quod ad eius substantiam pertineat atque naturam, pręter corpus & animam; horum duorum in vno, hoc est in corpore, Epicurei posuerunt beatam vitam; in altero, id est anima, Stoici, præstantiori, ac digniori parte.

Quantum ad hominem pertinet, si ab illo sibi est beata vita, nihil restat præter corpus & animam, aut corpus est causa beatæ vitæ, aut anima; si plus quæris, ab homine recedis. Omnino ab homine recedendum est: non enim ab illo sibi est beata vita, sed à Deo, ad quem

quem vnum corporis & animæ conditorem,
atque vtriusq; remuneratorē cogitatione pro-
grediendum est. Nempe vt à quo vitā habet, ab
eodē vitā beatam assequatur; vt sibimet homo
principiū existendi non fuit, nec à seipso cæpit;
ita nec sibi finis vltimus esse, neque in se de-
sinere potest: si ex se ipso beatus foret, Deus
foret, aut Deo par, nullo indigens, à nulla
superiore natura dependens, quod inter Stoi-
corum paradoxa maximè est paradoxum. Tria
igitur spectanda sunt, corpus, animus, Deus;
horum trium quæ sit causa beatæ vitæ, non
potest esse ambiguum; Id enim est causa bea-
tæ vitæ, quod est summum hominis bonum,
finis eius extremus, quo adepto planè exsa-
turetur, ac conquiescat.

Alter error Philosophorum, ex eadem Dei
virtutis ignoratione, cum Deum bonorum ope-
rum remuneratorem, ac scelerum vindicem
iustissimum minimè cogitarent, nec illis de
animorum nostrorum immortalitate planè
constaret. Etenim Epicurei pernegant im-
mortalitatem; Stoici, vt ait Tullius, vsuram
nobis largiuntur tanquam cornicibus, Tuscul. 1.
mansuros aiunt animos, semper negant;
hinc effectum est, vt beatam vitam inter æ-
rumnas mortalis huius vitæ reperire se posse
confiderent, cum tamen hæc vita mors po-
tius dicenda sit, quam vita, & in eam tot in-
commodis obnoxiam, totque miserijs refer-
tam cadere non posit status omnium bono-
rum aggregatione perfectus, quę definitio est
beatæ vitæ; sed neque in ea est status, cum
tota sit in transitu ac decursu; neque potest esse

finis extremus,& vltima meta,ad quam tendamus, ſtudiaque omnia referamus,quam conſequatur altera planè ſempiterna: nihil enim nos de animorum immortalitate, adeoque corporum exſuſcitatione dubitare patitur fides Chriſtiana. Non poteſt eſſe beata vita, quæ non ſit omnibus malis libera, omnibuſque bonis cumulata; quare quæ non ſit æterna, & de æternitate ſecura, atque, vt præclarè S. Auguſtinus: Beata vita non eſt, niſi quæ caret omni fallacia, atque miſeria. Nemo beatus eſt, niſi qui viuit in æternum, ſine vllo timore, ſine vlla fallacia. Quàm oderit anima falli, perſpicuum eſt ex eo, quod qui mente alienata rident, plorantur à ſanis; ſi duo iſta proponantur, ridere & flere, nemo eſt, qui non eligat ridere; ſi duo iſta falli & verum tenere, verum tenere, & tantum præualet inuictiſſima veritas, vt eligat homo ſana mente flere, quam alienata ridere. Ibi ergo in illa patria veritas erit; ſi dolor erit, vita non erit, neque enim vita dicenda eſt ſempiternus immortaliſque cruciatus: Ideo Dominus non appellat vitam, quam habituri ſunt impij, quamuis in igne victuri vitam non finiunt, ne pœnam finiant; *vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*. Adoleſcenti quærenti quid opus facto ad beatam vitam: reſpondit Dominus: *Si vis ad vitam i gredi* non addidit beatam (quia miſera nec vita dicenda eſt) nec æternam, quia vbi mortis timor, nec vita dicenda eſt: ergo vita quæ hoc nomine digna eſt, non eſt niſi beata, & non eſt beata, niſi æterna, & de æternitate ſecura.

Mar. 9. 43. Matth. 19. 17.

Tertius

Tertius error Stoicorum proprius, hisce libellis præcipuè coarguendus; quod Deum, qui est omnium nobis bonorum author, virtutis atque honestatis in animis nostris primam originem non agnoscerent, à quo illa velut à primo fonte deriuaretur, & per Christum Dominum mediatorem, ac Diuinæ gratiæ conciliatorem benignè communicaretur: ed inflati superbia virtutem à se ipsis habere esse prędicarent, ac gloriarentur: à se ipsis soli pendere vellent, ac se quosdam mortales Deos sapientia, ac virtute sua beatos æstimarent. Quare & ipsam virtutem, vnicum ac summum bonum appellabant, cum potius sit via & ratio illud assequendi, non ipsa beata vita, ed efficiendæ beatæ vitæ singulare quoddam nstrumentum, ideoque præcipuum Dei donum, præ cæteris omnibus æstimandum. Ex Christianæ philosophiæ decretis à Deo virtus omnis emanat, vt à primo principio, ad Deumque vt ad vltimum finem recurrit ac refertur. A Deo per Christum illa nobis flagitanda est, & de ea iam adepta Deo per Christum gratiæ referendę. Deus idem omnis virtutis author & remunerator, finis atque principium. His præmissis, constituite vobis ante oculos Epicureos, Stoicos, & Apostolum, & quod etiam potui dicere, Christianos.

Quid dicitis Epicurei? quæ res faciat beatam vitam? Respondent: voluptas corporis. Quid dicitis Stoici? Respondent: virtus animi Quid tu Apostole, & Christiani? Donum Dei. Quod Epicurei tam absurdo tenerentur errore id fuit causæ quòd animam vnà cum

 corpo-

corpore, ac prius interire crederent, remanente cadauere, post efflatum spiritum perseuerantibus aliquamdiu lineamentis; Anima verò, dissipata velut aura, mox euanesceret; quam tamen sectam porcorum magis, quam hominum, amplexatos quosdam, non re, sed sola nuncupatione Christianos, doluit Apostolus.

Ex hoc enim numero erant corrumpentes mores bonos colloquijs malis, ac dicentes: manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Moriemur quidem; sed non omnino, nec toti moriemur: comes enim morienti aut vita erit, aut pæna. Nemo dicat: quis inde reuersus est, diues ille purpuratus serò redire voluit, & permitti non potuit, stillam sitiens inquisiuit, qui esurientem pauperem fastidiuit. Christianis nihil de animorum immortalitate ambigentibus, illo retento certissimo: Cras enim moriemur, si non hodie; subiungendum fuerat: ieiunemus, oremus, & donemus, ad alteram nos vitam beatam oratione, ieiunio, atque eleemosyna comparemus.

Omissis ergo Epicureis, fortè cum Stoicis non indecens luctamen erit, honestum certamen erit cum ijs, qui in animo, præstantiore hominis parte, beatam vitam collocarunt; Verum enimvero ab ijs cauere nos monet Regius Vates, *Qui confidunt in virtute suâ: & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur.* Vt Epicureus in corpore ponens beatam vitam, in se spem posuit; ita Stoicus in animo, re quidem meliori, sed tamen & ipse in se, & in homine spem posuit; at maledictus omnis, qui spem

Ps.48.7.

ponit

onit in homine; Est virtus animi, res lauda-
ilis, prudentia mala & bona discernens, iu- ››
itia sua cuique distribuens, temperantia li- ››
idines refrenans, fortitudo molestias æqua- ››
imiter sustinens: lauda, Stoice, quantum po- ››
:s; sed dic, vnde habes? non virtus animi te ››
eatum facit, sed qui tibi virtutem dedit, qui ››
bi velle inspirauit, & posse donauit; virtus ››
: delectat, scio; sitis, sed virtutem tibi ma- ››
are non potes; si tibi curæ sit ostendere fon- ››
:m vitæ, fortè deridebis. Dicis enim apud ››
:: de ista rupe bibiturus sum accedat virga, & ››
ianet aqua. Iudæi signa petunt, sed tu, Stoice, ››
idæus non es, scio; Græcus es, & Græci sa- ››
entiam quærunt; nos autem prædicamus ››
Christum crucifixum, Iudæis scandalum, Græ- ››
s stultitiam. Scandalizetur Iudæus, subsan- ››
et Græcus; sed ipsis vocatis Iudæis & Græcis ››
Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. ››
im non irrides rupem, agnosce virgam, Cru- ››
m, Christum fontem, & si sitis, bibe vir- ››
item, esto fonte saginatus, gratiarum actio- ››
:s fortasse ructabis; quod ab illo habes, non ››
bi dabis, sed in eructatione exclamabis: di- ››
:am te virtus mea. iam non dices: animus ››
ieus facit beatum, non eris inter illos, ***Qui*** Ro. 1. 21.
gnoscentes Deum, non sicut Deum glorificaue-
int, &c. sed eris inter illos, de quibus Re-
us Psaltes. ***Domine in lumine vultus tui ambu-*** Ps. 88. 17.
bunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, &
iustitia tua exaltabuntur, quoniam gloria vir-
tis eorum tu es. Virtutem quærebas? Dic:
Domine virtus mea. Beatam vitam quærebas?
Dic: ***Beatus homo quem tu erudieris Domine.*** Ps. 93. 12.

Beatus populus, cuius non voluptas carnis, non virtus propria, sed cuius Dominus Deus eius. Hæc est patria beatitudinis, quam omnes volunt, sed non rectè quærunt; nos autem ad talem patriam non vobis viam quasi corde nostro machinemur, & erraticas semitas moliamur, venit inde via, Christus Dominus, author & Dux viæ cælestis; de quo ad calcem tractatus; Latuit Philosophos via, quia Deus superbis resistit. Lateret & nos, nisi venisset ad nos. Ideo Dominus, Ego sum, inquit, via. Piger viator venire nolebas ad viam, ad te venit via: Quærebas quò ires, Ego sum veritas & vita, non errabis quando is ad illum per illum.

Ad beatam vitam rectissima certissimaque via est, humilitatis Christianę, qua nobis Christus in omni vita ac morte prȩiuit, ac præluxit.

CAPVT



CAPVT II.

Stoicos viuere ſecundùm carnem ex Apoſtolo, & quales ab eo deſcripti ſint.

VT hoc caput cum priore nectamus, idemque proſequamur argumentum ex S. Auguſt. Contulerunt cum Apoſtolo quidam Philoſophorum Epicureorum ſecundum carnem viuentes, & Stoicorum quidam ſecundum animam viuentes, qui ſe remouentes à carne, & totam ſpem beatitudinis in anima con ſtituentes, poſuerunt ſummum bonum in virtute ſua. Vocem pſalmi in vobis affectus pietatis agnouit, ſcitis, noſtis, agnouiſtis quomodo irriſi ſunt in ſancto pſalmo, *Qui confidunt in virtute ſua*; nec illi, nec iſti ſecundum Deum viuentes; contulit cum illis Apoſtolus ſecundum Deum viuens. Dicebat Epicureus: mihi frui carne bonum eſt. Dicebat Stoicus: mihi frui mea mente bonum eſt. Dicebat Apoſtolus: *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt.* Dicebat Epicureus: beatus cuius eſt in fructu voluptas carnis eius. Dicebat Stoicus: immo beatus, cuius eſt in fructu virtus animi eius. Dicebat Apoſtolus: beatus cuius eſt nomen Domini ſpes eius. Errat Epicureus: falſum eſt enim eſſe hominem beatum, cuius eſt in

48.7. Pſ.72.28.

fructu

fructu voluptas carnis eius; fallitur & Stoicus, falsum est enim, & omnino mendacissimum, beatum esse hominem, cuius est in fructu virtus animi eius.

Beatus est ergo, cuius est nomen Domini spes eius, & quia illi vani sunt & mentiuntur, & non respexit, inquit, in vanitates & insanias
Ro. 8. 12. mendaces. *Ergo fratres debitores sumus non carni, vt secundum carnem viuamus*, sicut Epicurei; sed etsi secundum se ipsam sibi voluerit anima viuere, carnalis erit, carnem sapit, de carne non surgit, non est enim quemadmodum inde surgat: qui brachium porrectum iacenti non tenet; brachium interpretari licet Christum Dominum mediatorem, de quo Isaias:
Isai. 53. 1. *Et brachium Domini cui reuelatum est?* cuius oblatam gratiam quæ non complectitur anima, quę non illi adhæret, eiusque ope non se erigit, atque attollit ad Deum, iaceat necesse est carnis inuoluta cœno, eiusque desiderijs & affectibus implicata; cum enim non sibi sufficiat anima, nec se ipsa contenta esse posit, cum pro ea qua valet intelligendi, atque appetendi vi, quodammodo infinita, se ipsam explere, ac satiare nequeat, necesse est aut sursum ad Deum, summum bonum suum, se erigat, atque conuertat, aut ab eo desciscens, atque auersa, ad carnem, inferioraque bona, delabi se, abripique patiatur; atque vt eodem illo sermone ratiocinatur S. Augustinus, etsi viuere secundum carnem est malum, non est tamen
" caro malum; Nam & ipsa Dei creatura est, ab
" eo condita, à quo & anima; nec illa, nec illa pars
" Dei, sed illa, & illa creatura Dei; Deus summũ bonũ est, Anima magnũ bonũ, sed non sum-

mum, caro paruum, & infimum bonum; anima media, viuens inter summum bonum, & paruum bonum inferior Deo, & carne superior: quare non viuit secundum summum bonum; sed viuit secundum paruum bonum? hoc planiùs dicitur; quare non viuit secundum Deum, sed viuit secundum carnem? Debitrix est carni, vt secundum carnem viuat? Caro debet secundum ipsam viuere, non ipsa secundum carnem. Ipsa viuat secundum ipsam, quæ viuit de ipsa; certè vnaquæque secundum hoc viuat, vnde viuit. Vnde viuit caro tua? de anima tua. Vnde viuit anima tua? de Deo tuo. vnaquæque harum secundum vitam suam viuat: caro enim non est vita, sed anima carnis est vita. Anima non est sibi vita, sed Deus est animæ vita, tunc rectè caro viuit secundum animam, si anima viuat secundum Deum, secundum se ipsam viuere non potest, quia non est sibi vita, non est ipsa sibi sufficiens, cum aliorsum eam abripiat, inexhausta quædam vis intelligendi, atque appetendi, aut ad superius bonum Deum, cuius causa est condita, aut si ab eo s auertat, ad inferius, ad carnem, quę ipsius animæ causa condita erat, quam regendam ei Deus commiserat, ac curandam, sed ad gloriam, obsequiumque suum, vt sese denique vltimo fine, ac summo bono perfrueretur. Aut ascendat aut descendat intelligendo, atque amando anima necesse est; aut Deo sese submittat atque ab eo tota pendeat; aut carni, ac sæculo sese implicet; aut summis, aut imis delectetur, in eoque velut cæno sus immunda volutetur; medio loco

consistere non potest. Immò verò si Deo Conditori seruire neglexerit, efficiq́ue cælestis ac Diuina; necesse est carni fœdissimæ seruiat, totaq́ue terrestris ac carnalis euadat; tanta est carnis corruptio, tanta in sensibilia bona propensio, vt mox anima peruertatur, atque inficiatur, intelligendi facultas obscuretur, appetendi obtundatur, & veluti mancipium addicatur carni. Sic factum est, fratres mei, inquit, S. Augustinus. Accepit homo corpus tanquam in famulatum, Deum autem Dominum habens, corpus seruum, habens supra se Conditorē, infra se quod sub illo conditum est. In medio quodam loco rationalis anima constituta legem accepit, hærere superiori, regere inferiorem. Regere non potest inferiorem, nisi regatur à meliore. Trahitur ab inferiore, deseruit ergo meliorem. Non potest regere quod regebat, quia regi noluit à quo regebatur. Nisi anima sese subdat Deo, cuius assiduâ eget ope gratiæ, subdere sibi carnem non poterit, sed Deo id permittente, rebellis ac recalcitrans in animam caro dominatum sibi ac tyrannidem vindicabit.

In Ps. 145.

Alteram rationem, ob quam homo secundum se viuens viuere dicatur secundum carnem, adfert S. Augustinus ex vsitata phrasi Scripturæ, qua per synecdochen pars pro toto sumitur, vbi enim dictum est: Quid faciat mihi homo: ibi dictum est: Quid faciat mihi caro; & alibi passim: Verbum caro factum est; videbit omnis caro salutare Dei. Quare non dubitat Apostolus ad Galatas inter opera carnis recensere, Idolorum seruitutem, veneficia,

cap. 5. 20.

cia, inimicitias, contentiones, æmulationes, iras, rixas, dissensiones, sectas, inuidias, quæ quidem peccata carnalia dicuntur, non opere quidem omnia, & expletione voluptatis, quæ formatur ex carne, sed origine, & radice, quòd à carne, natura vitiata peccato originis, animaq; iam propemodũ effecta carnali proficiscantur.

Non dubitaret igitur Apostolus dicere Stoicos viuere secundùm carnem, qui secundùm se ipsos, non secundùm Deum viuerent, & dum naturam vitiatam sequuntur, vt aiebant, optimam Ducem, dum carnis obsequuntur concupiscentiæ, in hæc ferè vitia, aliaque carnis flagitia fœdiora sese precipites induerunt.


Quamobrem, generatim omnes quidem Philosophos, sed precipuè tamen ac speciatim Stoicos, describere mihi videtur Apostolus ad Romanos; *Qui cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim sese sapientes, stulti facti sunt*; si quidem falsa sapientia, vera stultitia est. Quid est, dicentes se esse sapientes. nisi à se habere, se sibi sufficere? cap. 1. 21.

Ex rebus creatis, atque huius vniuersitatis descriptione Deum conditorem deprehendere potuerunt, & verò non pauci eorum deprehenderunt, sed hanc veri Dei notitiam nunquam propalarunt, & popularibus sese erroribus accommodarunt, vt sint inexcusabiles, qui veritatem Dei in iniustitia detinuerint, quos inter illustris ille Senator populi Romani ait S. Aug. 6. de Ciui. de Seneca, colebat quod reprehendebat, agebat 10. quod arguebat, quod culpabat adorabat, idque propter

propter leges ciuium, moresque hominum, eò damnabiliùs, quod ille quę mendaciter agebat, sic ageret, vt eum populus veraciter agere existimaret. Illud: *Non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt*; præcipuè conuenit in Stoicos sibimet omnia tribuentes, apud quos vti & Pelagianos ex eis ortos, nec orationi, nec laudi Diuinæ, nec actioni gratiarũ locus erat. Mitto dicere quas in pænas inciderunt, Idololatriæ & flagitiorum aduersus naturã, de quibus ibidem fit sermo. Sequẽtibus quoque verbis dico Stoicos designari, superbos, elatos, inuentores malorũ sine affectione, sine misericordia, qui summam in ἀπάθεια laudem ac supremum velut apicem sapientiæ constituerent; sed inanis, ac falsæ sapientię, verę que stultitiæ is fuit summus apex. Non defuturos verò Stoicorum æmulatores, ac sectatores, vt quos iam dixi Pelagianos, aliosq; Hęreticos prędicit, atque eos egregiè describit Apostolus. *Hoc autem scito, quòd in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa: erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores magis quam Dei habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes*, verbo vno, simulati, & externa larua, ac specie Christiani, re ipsa, atque opere coniunctim Epicurei & Stoici, omni luxu ac fastu contaminatissimi.

2. ad Tim. 3. 1.

CAPVT



CAPVT III.

Sectam Stoicorum deteriorem esse sectâ Epicureorum, hos Sadducæis, illos Pharisæis æquiparandos.

TRactatum suum tomo sexto concludit S. August. in hæc verba; Hæc est doctrina Christianorum, non planè conferenda, sed incomparabiliter præferenda immunditię Epicureorum, superbiæ Stoicorum. Ex quo Sancti Patris dicto colligitur, quantum inter hæc vitia, immunditiam ac superbiam interest, tantum inter Epicureorum sectam, & Stoicorum interesse. Est quidem intemperantia fædius vitium hominum æstimatione; At Diuino iudicio longè grauius, & detestabilius est superbia, quæ Dei ipsius Maiestatem protervè petit, seseque ei, velut acie ac fronte directa impudenter opponit: cum intemperantiæ, quæ mortalis huius corporis imbecillitas est, atque adumbrata quædam necessitas, faciliùs indulgeatur. At videte, cuiusmodi sint eæ sectæ, quàm probrosæ, quàm detestandæ, quæ vitia summopere fugienda, veluti suprema quædam bona, complectantur, ac suis sectatoribus pro scopo, ac fine vltimo totius vitæ, summis studijs prosequenda proponant. O turpem labem prophanæ Philosophiæ! Epicurei

curei gulæ, atque luxuriæ; Stoici superbiæ omnis atque arrogantiæ vexilla, ac trophea velut exigunt, ad eaque homines tanquam ad beatam vitam, concitant, & omni disputationum contentione propellunt. Quàm diuersa, & ab ijs vitijs abhorrens, Christiana Philosophia; quæ nihil vnquam cuiquam corporis indulgendum voluptati, sed vni seruiendum necessitati; & verò corpus moderata quoque pænitentiarum asperitate macerandum, & in animi seruitutem redigendum esse censet! tum nullam æquè virtutem, atque animi demissionem & humilitatem, in proprij iudicij, suæque voluntatis abnegatione, commendat; vt expugnata carnis sensuumque rebellione, abdicataque propria voluntate, liber animus totum sese Deo subijciat, atque impendat, ad eum cognoscendum & amandum, quoad vitæ mortalis huius conditio patitur; tum & clarè in altera vita perfruendum comparet, idoneumque se probis, & honestis moribus, dignumque reddat.

Vtraque sanè secta, & Epicureorum & Stoicorum, ex amore suimet inordinato nata videtur; Inordinatum dixi, quod Dei Conditoris amori non subijciatur, nec ex eo oriatur, nec ad eum referatur. Æmulus hic est amor sui amoris Diuini, quod se ipsum sibimet pro scopo, ac fine constituat; Cum Deus idem nobis sit essendi principium & finis, à quo habemus vt omnino simus, tum vt iusti, ac virtute præditi, denique beatissimus, æquum est vt in illum, tanquam primam originem & metam extremam, omnis virtus, omnisque amor

amor honestus referatur. A Deo est & præsens & honesta vita, & futura beata; quam vtramque si nobis proximisque optamus, ad vnius Dei, eius largitoris, obsequium, honorem, cultum, amoremque conciliandum, optare debemus.

Quare huic maximè Diuino amori, & cultui, velut basi ac fundamento, nititur omnis Christiana Philosophia; indeque originem ducit omnis virtutis exercitatio, & in eundem ipsum finem est referenda. Inordinatus autem amor sui id efficit, vt semetipsum homo sibi pro fine statuat, cum ignoratione, aut obliuione ferè perpetuâ Dei Conditoris. Ex Epicureorum sententiâ, homo sibi finis est secundum corpus; Ex Stoicorum, secundum animum. Illic imperat corpus; hic animus subijci Deo recusat; & illa quidem corporis dominatio seruitusque animi turpior existimatur; hæc tamen animi rebellio aduersus Deum, denegataque subiectio, ac seruitus, atrocior est, & detestabilior, cum maiore Diuini Numinis coniuncta dedecore. An non id est omnino peruersum, atque iniquum, vt animus sibi dominationem in corpus Dei munere vindicet, & Dei tamen in se Conditoris supremam potestatem, atque authoritatem aspernetur? Quamquam constare nullo modo potest animi in corpus dominatio, si quam Deo debet, subiectionem deneget. Non potest animus imperare corpori, qui Deo authori suo non obsequitur. Accedit quod Stoicus non sibi tantummodo vult esse scopus, ac finis bonorum; sed principium, & prima velut causa,

primaque radix & origo; à se solo vult pendere, sibi sufficere, nullius ope indigere, à se sibi sapere, à se, ac per se omnia posse. Est igitur, vti dixi, luxuria maioris infamiæ; at superbia grauioris culpæ: Illa nos ad brutarum animan-
Ps. 48. 13. tium vilitatem abijcit; *Homo, cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* At hęc dæmonibus nos similes efficit, dęmonumque Principi Lucifero succenturiat, qui dicebat:
Is. 14. 13. *In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum &c.* Et, *similis ero Altissimo.* Ex quâ comparatione perspicitur quantò Stoicorum secta deterior existat, etsi apud homines Epicureorum turpior habeatur. Intemperantia bene curatum Epicuri de grege porcum; Arrogantia diabolum de Stoicorum porticu conflat, ac reddit. At Christiana virtus humilitas, charitasque Deo similem, Deumque quemdam creat participatione diuinorum morum ac donorum.

Quemadmodum Sadducæos, qui dicunt non esse Resurrectionem, nec Spiritum vllum, rectè censueris Epicureos; ita Pharisęos Stoicis comparaueris; quibus sanè cum Pharisæis Christo Domino Saluatori longè maior semper extitit contentio, quàm cum Sadducæis, quos vnâ responsione coarguit, nescientes scripturas, neque Dei virtutem; cum Pharisæi semper agnitæ veritati palam obsistentes, doctrinæ se eius tot illustribus miraculis confirmatæ, tot clarissimis Sanctæ Scripturæ testimonijs corroboratę, professi sint acres aduersarios, quibus iure merito multi-
plex.

plex Væ dirissimum sit imprecatus; Homines superbi, atque elati, qui in se confidebant tanquam iusti, & aspernabantur cæteros, hypocritæ, sepulchris dealbatis similes, arrogantes, obstinati, atque impœnitentes; quo etiam ex capite videri potest Epicureorũ secta tolerabilior, cum facilius ad pænitentiam ac virtutem perduci se paterentur Epicureorum similes, publici peccatores; Stoicorum verò similes scribæ & Pharisæi in errore persisterent obstinati; Itaque Phari æis ait Dominus: *Quia Publicani & meretrices pracedent vos in regnũ Dei. Venit enim ad vos Ioannes in via iustitia & non credidistis ei: Publicani autem, & meretrices crediderunt ei.* Matth. 21. 31. 32.

Quamobrem non est ea laus, sed vituperatio, quod apud Hebræos Pharisæorum sectę, illa Stoicorum apud Græcos sit maximè consentanea; neque item ea laus, sed vituperatio summa & condemnatio, Cynicos originem dedisse Stoicis, & dogmata ferè conuenire: Nam ea dogmata necesse est, vt verecundiæ, sic & veritati inimica, hominum generi noxia esse atque pestifera, quæ Philosophos eos ad impudentiam canum vsque redegerint: Nec vnus Cicero, id est vulgus, vt ait vir eruditus in litteris, sed omnes rectè sentientes Philosophi, & Theologi inclamabant; Cynicorum natio tota eijcienda est: est enim inimica verecundiæ, sine quâ nihil rectum esse potest, nihil honestum. Patres verò Cappucini veræ virtutis, inopiæ, patientiæ, & quod antiquis defuit, ait ille, pietatis exemplar; non æquo ferent animo, me quidem authore, Cynicis se comparari, etiamsi pietatem excipias, &

verecundiam; quarum illam æuum illorum abnuit, hanc institutum. Excipienda foret omnis virtus: non enim Cynicorum inopia, & simulata patientia, vera virtus fuit, inanis gloriolæ causa suscepta. Non ferent se religiosi Patres vlla contagione, ac communione dogmatum istorum infici, è quibus velut fontibus, aut lacunis magè putidis, impietas, atque impudentia profluxerunt. Ex veritate pietas, ex humilitate pudor, & verecundia nascitur; at impietas, & impudentia ex errore & stultitia Stoicorum, ac Cynicorum arrogantissimâ. Pietatis custos, ac nutrix, eademque verecundię soror, & Mater est humilitas; quâ virtute maximè præstant Cappucini, qui non in se, sed in Domino bonorum omnium authore gloriantur; quibus illud psalmi scitè accommodaueris, quod Philoso-
Psa.88. 17.18. phis Christianis tribuit S. Augustinus. *Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt totâ die: & in iustitiâ tuâ exaltabuntur. Quoniam gloria virtutis eorum tu es.* Tales erant Sapientes Apostoli, non de Stoicâ, sed de porticu Salomonis, ab ipsa Dei Sapientiâ primitus instituti.

CAPVT




CAPVT IV.

Ex Stoicorum dogmatis ortas hæreſes; cur ea tamen eruditis nonnullis hodieq; probentur.

NIhil mirum, ſi ex Stoicorum doctrinâ progerminatæ ſint hæreſes, cum hæreticorum omnium Mater ſit ſuperbia, teſte S. Auguſtino, qui & alibi ait: Non fecerunt hęreſes, niſi magni homines, ſed quantum magni, tantum mali montes, qui non ſuſciperent pacē, ſed diſſenſionē à Diabolo Patre ſuo; montes naufragoſi ac confragoſi. Vocat eoſdem feras calami ſeu arundinis, latentes in humidis, & obſcuris lacunis, & tauros propter ſuperbiam durę & indomitæ ceruicis; Item tauros ceruicatos, & ſuperbos; quod æquè conuenit in Stoicos, quos ipſa diſciplina reddebat aſperiores, duriores oratione, & moribus, qui pro ſumma virtute propoſitam ſibi haberent tumidam animi confidentiam, & peruicaciam. Non excutio hic veteres hiſtorias, & hæreſes Gnoſticorum; quid eorum deliramenta de materiâ ingenitâ &c. cum Stoicorum Philoſophia haberent commune.

Quod pertinet ad inſtitutum, hæreſes Origenis, Iouiniani, Pelagij, proſeminatas ex Stoicis, vnus nobis author, Diuus Hierony-



mus, luculentè demonstrabit, epistolâ ad Aui-
" ctum, recensitis aliquot Origenis erroribus;
" Cum hæc dicat, nónne manifestissimè Gen-
" tium sequitur errores, & Philosophorum de-
liramenta simplicitati ingerit Christianæ? A
Stoicis mutuatus est Origenes omnes ratio-
nales naturas, Angelos, hominesque vnius
cum Deo esse substantiæ, animas nostras par-
tes esse Diuinæ naturę, relegatas in hæc cor-
pora, velut carcerem & sepulchra, iuxta Græ-
cum etymon σῶμα corpus, idem quod σῆμα
monumentum; dictas ψυχὰς ἀπὸ τοῦ ψύχεσθαι,
quòd de cælestibus ad inferiora venientes ca-
lorem pristinum amiserint. Animas Stoici
quemadmodum & astra animata, igneæ esse
naturę, & auræ Diuinæ particulas, ex Dei na-
turâ decerptas esse fabulabantur.

De Iouiniano libro secundo aduersus illum;
" Miror quomodo Serpens lubricus, & Proteus
" noster in variarum se mutet portenta forma-
" rum. Qui enim in coitu, & saturitate Epicu-
" reus est, subitò in retributione meritorum
" Stoicus efficitur; Hierosolymam Cythio, Iu-
" dæam Cypro, Christum Zenone commutat.
" Si non licet à virtutibus paulatim declinare, &
" omnia peccata sunt paria, eiusdemque crimi-
" nis reus est, qui panem esurienti surripuerit,
" & qui hominem occiderit; tu quoque maxi-
" morum scelerum reus teneberis; &c.

De Pelagio, eiusque sectatoribus, ad Cte-
siphontem. Quæ enim potest alia maior esse
" temeritas, quàm Dei sibi, non dicam simili-
" tudinem, sed æqualitatem vindicare, & breui
" sententiâ omnium hæreticorum venena com-
plecti,

plecti, quę de Philosophorum, & maximè,, Pythagoræ, & Zenonis Principis Stoicorum,, fonte manarunt? Et infra: Pulchrè quidam,, nostrorum ait; Philosophi, Patriarchæ Hære-,, ticorum, Ecclesię puritatem peruersâ macula-,, uere doctrinâ, & nesciunt illud dictum de hu-,, manâ fragilitate: Quid gloriatur terra, & cinis? Pelagianorum errores, quos eâ Epistolâ damnat Hieronymus, & sequentibus tribus libris ex Stoicorum disciplina, præcipui sunt; Hominem posse esse sine peccato, nulla perturbatione posse commoueri; Non egere in omnibus auxilio Diuinæ gratiæ; Naturam, quam summis semper laudibus efferunt Stoici, nihil læsam in primo parente; neque vllum esse peccatum in cæteros homines origine deriuatum.

De ἀπάθεια Euagrius Ponticus Hyperborita, qui scribit ad Virgines, scribit ad Monachos, scribit ad eam, cuius nomen nigredinis testatur perfidiæ tenebras, edidit librum & sententias περὶ ἀπαθείας, quam nos impassibilitatem, vel imperturbationem possumus dicere, quando nunquam animus vllo perturbationis vitio commouetur, & vt simpliciter dicam, vel saxum, vel Deus est. Melaniam notat hîc Hieronymus, de qua, Ruffino, Dydimo, & alijs Origenistis, Baronius ab eis exortos inquiens Pelagianos; vtrique sanè à Stoicis originem duxisse videntur. Pelagij studiosum fuisse Nestorium indicat Baronius; cum initio sui Episcopatus curasset hæreticos à Theodosio publicis edictis exagitari, Pelagianorum, qui tum maximè vigebant nullam habuit mentionem.

Ad ann. Chr. 428.

tionem. Vt Pelagium impulit superbia ad Christi Domini gratiam denegandam; ita Nestorium eadem impulit superbia ad Diuinam Christi Personam, Sanctissimæque Dei Matris dignitatem abrogandam. Huius erant blasphemæ voces; Nemo Mariam Deiparam vocet; Nam Maria homo erat, atque ab homine Deus nasci non potest. Ego eum qui spatijs menstruis, hoc est bimestri, & trimestri, & ita deinceps adoleuerit, Deum certè non appellauero. Displicuit homini superbo Dei propter nos hominis effecti non admiranda modò, verum & imitanda singularis humilitas. Quod D. Hieronymus disputans de virtutum connexione, Stoicorum sententiam sequitur, & ait eos in plerisque nostro dogmati concordare, quodque persimiles Stoicorum sententiæ in Ambrosio, aut alio quopiam Patre, Origenis studioso comperiuntur, ea causa est, quod in bonum sensum, veritati ac pietati congruentem, multæ Stoicorum sententiæ pertrahi possint, multaque ab eis commode dicta ac præcepta sint, ad mores instituendos, maximè si quis in meliorem ea partem ex Christiana interpretetur intelligentia. Qua nempe ratione à Stoicis ipsis multæ laudantur Epicuri præclaræ sententiæ; qualis illa, qua pronuntiat non posse iucundè viui, nisi sapienter, honestè, iusteque viuatur; nec sapienter, honestè, iustè, nisi iucundè; aut quoties ad contemptum rerum terrenarum, moderatamque corporis curam adhortatur; cum de paupertate non metuenda disputat, quod natura paucis est contenta, de morte contem-
nenda

nenda, in quâ nihil sit mali; de tolerando dolore, qui, si grauis breuis; si diuturnus, leuis de ægritudine lenienda, cæterisque perturbationibus, minus quidem constanter, ac congruenter principijs suis, at non minùs fortiter, & eleganter quàm Stoici. Non diffiteor Stoicorum disciplinam externa specie magis ad virtutem accommodatam videri, cum nihil bonum nisi honestum, nihil malum nisi turpe censent; solam virtutem in bonis habendam, ad bene beatéque viuendum satis habere præsidij, seipsâ contentam esse; quæ sanè magnificè dicuntur, & quodam sensu verè & Christianè, si quis veram virtutis vim ac rationem teneat, eamque ad Deum, vtiad originem, ac finem suum referat; At Stoicorum sensu, peruersè, & malignè, eoque maiore periculo, quò latens intus superbiæ atque arrogantiæ venenum obscurius ac tectius, eo velut aureo vase magnificorum verborum, & quasi mellea quadam eloquentiæ suauitate circumlito, propinatur. Quemadmodum à Peripateticis Stoici, non tam re, quam verbis discrepare creduntur; ita Christiani cum Stoicis in plerisque consentire verbis, sed re & sensu dissidere, deprehendentur. Nihil verò admodum à Peripateticis, aut cæteris Philosophis eximium, aut valde diuersum, quod ad morum disciplinam pertinet, Stoicos tradidisse comperiet, qui rem ipsam penitius inspexerit, verborumque phaleras, & integumenta detraxerit. Verùm esto, valeat institutio Stoicorum ad contemptum rerum omnium terrenarum; quamquam & hîc laqueus incautis inijci potest: ille etenim damnatus

natus error Pelagij; diuitem non posse salutem assequi, nisi diuitijs abdicatis, ortus videri potest ex Cynicorum, vel Stoicorum disciplina. Valeat, inquam, hæc institutio ad solius virtutis æstimationem, ac prosequutionem, præ omnibus bonis: nihil tamen valet, neque præsidij quicquam confert ad suimet contemptum, ad depressionem, & humiliationem sub Deo Conditore, quæ virtutum omnium basis est, ac fundamentum. Quapropter illud D. Iacobi
Iac.2.10. rectè hic accõmodaueris: *Quicumque autẽ totam legẽ obseruauerit offẽdat autẽ in vno*, tã necessario præsertim instituendæ vitæ principio, ac fundamento, *factus est omnium reus*. Atque vt appareat quantopere exorbitarit, atque à fine suo consequendo aberrarit externa Philosophia: compendio redigam quibus maximè gradibus ad Deum finem vltimum, & summum bonum provehamur, quos si quis attentiùs inquirat, quinque esse comperiet. E quibus; Primus est, mundi contemptus. Secundus, corporis subiectio. Tertius, Animi moderatio. Quartus, Virtutum exercitatio. Quintus denique, Dei contemplatio, fruitio, & possessio. Quę sunt infra nos omnia despicienda sunt, ac proculcanda, pro nihiloque ducenda; opes, honores, dignitates, copię, facultates, quidquid homine minus est, & inferius. Tum ad corpus coërcendum, animoque subigendum, progressus est faciendus. Nihil vnquam voluptatis causa corpori est indulgendum, sed eius vni necessitati seruiendum. Quin verò pænitentiæ, & austeritati moderatæ danda est opera quoad valetudo patietur, & caro cum vitijs, ac concu-
piscentijs

piſcentijs crucifigenda. Inde ad animum tranquillandum, ac pacandum adlaborare nos oportet, compreſsis vitiorum paſsionibus, ac perturbationibus, abnegatâ propriâ voluntate, iudicioque in fidei obſequium, & captiuitatem redacto, ac rectæ ratiocinationis ſemper incluſo limitibus, & hos intra ſuimet amore, ſi non extincto, at repreſſo, & coërcito. Deinde gradus eſt faciendus ad virtutum, maximè Theologicarum, Fidei, Spei, Charitatis, quibus Chriſtiani ſumus; & infuſarum, Prudentiæ, Iuſtitiæ, Religionis, exercitationem. Poſtremò Contemplationi vacandum, harum maximè virtutum pręſidio, qua Dei in animis noſtris cognitionem, & amorem in dies augeamus, illoque ſummo bono, quoad fert hæc vita mortalis, perfruamur: hæc enim eſt inchoata quædam, & imperfecta ſummi boni poſſeſsio, proximè ad alteram in immortali vita completam vndequaque, ac bonorum omnium aggregatione abſolutam accedens. Ab hac inchoatione beatæ vitæ, perfectioniſque, ac ſapientiæ Chriſtianę ſummo culmine, quàm longè abfuit externa omnis Philoſophia, quæ vix primum, ſecundumve gradum conſcenderit vnquam! Nam nec mundum contemnere, nec corpus edomare, nec animum reprimere, ſeque deſpicere, nec vlli omnino virtuti vtiliter operam dare, quis poteſt; qui non ante Deum ſuum Conditorem agnouerit, eiuſque ſupplex opem implorarit; qui non ſummæ eius Maieſtati ſeſe, qua par eſt animi demiſsione, ſubmiſerit? Verùm, vt ad Stoicos regrediamur; Scio multos hodieque viros in litteris
eruditos,

eruditos, plurimùm Senecæ, atque Epicteti, qui Stoicorum sunt Principes, lectione delectari; ex qua se non mediocrem fructum capere, fortesque, & magnos animos haurire existimant. Atque, vt ad hoc Stoicorum Philosophiæ studium nos incitent, in ea hæresi commemorant magna nomina, Homerum Principem ingeniorum, Socratem, Platonem, & primores illos Romanos, Tuberones, Catones, Varrones, Traseum, Petum, Heluidium, Rubellium, Plautum, Tacitum, Antoninum Imperatorem: è quibus nonnulli sibi mortem fortissimè, dic verius fædissimè, consciuerunt; de quibus quid censendum, ex S. Augustin. potius quam ex me lectorem malim ediscere. Hoc genus fortium, cauendum, metuendum, auersandum, non imitandum; præsumentium, non de corpore, non de opibus, non de genere, non de honore. (omnia enim ista quis non videat temporalia, fluxa, caduca, volatica) sed præsumentium de iustitia sua.

O fortes, quibus Medicus opus non est! fortitudo ista non sanitatis, sed insaniæ est. Nam & phreneticis nihil fortius: valentiores sunt sanis; sed quantò valentiores vires, tantò mors vicinior. Auertat ergo Deus ab imitatione nostra fortes istos: Timendum enim ne eos quisquam velit imitari; Dominus autem humilitatis, particeps nostræ infirmitatis, donans participationem suæ Diuinitatis, ad hoc descendens, vt viam doceret, & via fieret, maximè nobis suam humilitatem commendare dignatus est: Quantò

satius

ſatius hoc vti Magiſtro Dei Filio, cæleſti Doctore hominibus à Deo Patre dato, & ex ſacris Euangelijs, aut Sanctorum Chriſti Sectatorum monumentis, atque hiſtorijs, virtutum exempla, ac documenta petere, quàm in obſoleta ac ſepulta Stoicorum Philoſophia, ab erroribus, atque obſcuritatibus eruenda, tempus conterere; cum ex ea præſertim ad hæreſes procliuis ſit gradus? Malim ego certè Sancti Auguſtini confeſsiones, aut Thomæ à Kempis de Chriſti imitatione librum, quam Senecam aut Epictetum, diurna, nocturnaque verſare manu; maiore ſanè, ſenſu, ac fructu pietatis id fecerim.



CAPVT



CAPVT V.

Humilitatis virtutem nè de nomine quidem Philosophis notam fuisse, & quid ea sit.

HVmilitatem abiectionis, quæ sit in vitio, vel infortunio, norant Philosophi; sed non virtutem humilitatis, quæ sit laude ac commendatione digna, quæ sponte suscipiatur ob honestatem. An non id mali dæmonis, superbiæ Principis, artibus malignis effectum est, vt ipsum quoque nomen humilitatis obscuraretur, & nunquam pro virtute, sed pro vili dumtaxat abiectaque sorte ab Authoribus prophanis vsurparetur vel, cum illi laborarent ignoratione veri Dei, modestiam quidem, & animi moderationem quandoque laudabant; sed non æquè virtutem humilitatis, coram suprema Dei Maiestate suimet vltroneam honestißimamque dimißionem? S. August. tractans illum psalmi trigesimi primi versum. *In diluuio aquarum multarum.*
Ps. 31. 6. « Quid est diluuium aquarum multarum? Mul-
« tiplicitas variarum doctrinarum. Multæ aquę
« variæ doctrinæ, Dei vna, non sunt multæ, sed
« vna, siue Sacramenti Baptismi, siue doctrinæ
« salutaris, de qua per Spiritum Sanctum dici-
Prou. 5. tur: *Bibe aquam de vasis tuis, & de puteorum tuorum*

tuorum fontibus; Quæ est illa aqua? Illa vera, quæ manat de intimo fonte puræ venæ veritatis; Quæ est illa aqua, fratres, nisi quæ docet confiteri Domino? *Dixi pronuntiabo aduersum me iniustitiam meam Domino. Ego dixi Domine miserere mei, sana animam meam quia peccaui tibi.* Hęc aqua confessionis peccatorum, hæc aqua humilitatis cordis, hæc aqua vitæ salutaris, abijcientis se, nihil de se præsumentis, nihil suæ potentiæ superbè tribuentis, hæc aqua in nullis alienigenarum libris est, non in Epicureis, non in Stoicis, non in Manichæis, non in Platonicis. Vbicumque etiam inueniuntur optima præcepta morum, ac disciplinæ; humilitas tamen ista non inuenitur. Via humilitatis huius aliunde non manat, à Christo venit; hæc via ab illo est, qui cum esset altus, humilis venit. Quid enim aliud docuit humiliando se, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis? Quid aliud docuit soluendo quod non debebat, vt omnes à debito liberaret? Quid aliud docuit baptizatus, qui peccatum non fecit? Crucifixus, qui reatum non habebat? Quid aliud docuit nisi hanc humilitatem? Non immerito ait: *Ego sum via, veritas, & vita*; in hac ergo humilitate propinquatur ad Deum, quia prope est Dominus ijs qui obtinuerunt cor. Et sanè si quis Euangelicam percurrat historiam, non aliam magis virtutem, quam humilitatem verbo, & exemplo docuisse, ac commendasse Saluatorem nostrum comperiet, eiusque vitam à primo conceptu ad supremum vsque spiritum non nisi perpetuum quoddam humilitatis exemplum

Ps. 31. 5. Ps. 40. 5. Ioan. 14. 6.

plum, ac documentum extitisse: Qua etiam de causa plurimùm semper obstitit Scribis, & Pharisæis, hominibus superbis & arrogantibus, dictum illud suum crebrò repetens, atque in-
Luc. 18. 14. culcans: *Omnis qui se humiliat exaltabitur, & qui se exaltat humiliabitur.*

Matth. 11. 25. Apud Matthæum; Gratias agit Patri, quod sacra mysteria absconderit à sapientibus, & prudentibus, & reuelarit ea paruulis: omnesque ad eam suam prælectionem, quam eandem appellat, iugum suaue, & onus leue, gratiæ ac legis Euangelicæ, peramanter inui-
Matt. 11. 28. tat *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis & ego reficiam vos &c. Discite à me quia mitis sum, & humilis corde: & inuenietis requiem*
Mat. 18. 2. *animabus vestris.* Quærentibus discipulis: *Quis putas maior est in regno calorum? Aduocans* Iesvs *paruulum, statuit in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum calorum. Quicunque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic maior est in regno calorum.*

Appositè D. Basilius hom. de Humilitate. " Vniuersam namque Domini dispensationem " ad humilitatem nos instruere deprehendimus. " Cum infans esset; mox in spelunca, non lecto, " sed præsepi imponitur. Deinde in domicilio " Patris & Matris pauperculæ enutritur, sub- " ditus matri, & illius sponso; docetur audiens, " quorum non egebat; interrogatus verò & in- " terrogando admirabilem declarabat sapien- " tiam. Subditur Ioanni, & Baptismum à ser- " uo suscipit Dominus. Nemini aduersario- " rum resistit, neque inenarrabilem suam po- testatem


testatem in quemquam vibrat, sed quasi po- „
tentioribus cedit, & potestati temporariæ po- „
tentiam quã illa habebat, permittit. Principi- „
bus Sacerdotum in forma rei sistitur, ad Præ- „
sidem ducitur, & iudicium illius sustinet, & „
cum posset calumniatores suos arguere, silen- „
tio tolerat illorum calumnias. Conspuitur à „
seruis, ac vilissimis pueris; Morti traditur, „
eique hominum iudicio turpissimæ. Ita ho- „
minem omnia ab ipsa natiuitate ad mortem „
vsque exercuerunt. A primo spiritu vsque ad „
extremum anhelitum nullam æquè virtutem, „
atque humilitatem spirauit, exemploque to- „
tius vitæ & mortis, suis sectatoribus commen- „
dauit. „

Rectè ergo Hieronymus. Prima virtus Christianorum est humilitas; prima planè & origine, & dignitate, & necessitate, prima eadem & suprema, principium & fastigium, fundamentum & culmen totius ædificij spiritalis, si Diuina fuerit informata charitate, vt mox aperietur. Cęterum vt ad id quod initio proposui, regrediar; Humilitas externis Philosophis nota quidem est, prout eadem est vilitas, abiectio, deiectio ab externo facta principio, vt loquitur S. Thomas, quâ ratione etiam in sacris litteris nonnunquam vsurpatur; At non vt est animi virtus, vt ab interno profecta principio, vt suijpsius est voluntaria ac sponte facta demissio. Quare nec ab externis Authoribus expectanda est definitio Humilitatis, sed à nostris & SS. PP. requirenda. Basilius in 2. cap. Isaiæ sic definit: Humilitas est depositio vani sensus, qui ab elatione

Epist. ad Eustoc.

vanę de se existimationis proficiscitur. In regulis breuioribus, quęstione centesimâ nonagesimâ octauâ. Humilitas est, cum quis cæteros omnes seipso superiores existimat, ex Apostoli præscripto, *Phil.* 2. Bernardus epistolâ ad
42. Henricum Episcopum Senonensem: Humilitas est contemptus propriæ excellentię, vt superbia est appetitus excellentiæ. De gradibus humilitatis. Est virtus, qua quis verissimâ sui cognitione sibi vilescit. Verùm cum hęc suiipsius cognitio perfecta esse non possit, nisi collatione sui factâ cum Deo conditore, rectè
Gen. 18. 27. adieceris: coram Deo, instar Abrahami Patriarchæ, cum diceret; *Loquar ad Dominum meum, cum sim puluis & cinis*. Itaque Rusbrochus lib. de principalibus virtutibus, sic definit: Humilitas est animi demissio, id est, interna quædam cordis, & animi profunda coram celsissima Dei Maiestate inclinatio, & submissio, quam & iustitia imperat, & cor Diuino amore succensum, vrgente charitate, non potest omittere. Mater humilitatis quandoque est iustitia latiùs & generatim sumpta, vt religionem, pietatem, obseruantiam, gratitudinem, obedientiam aduersus Deum, & superiores amplectitur; quandoque charitas ex Dei contemplatione, diuinarumque eius perfectionum ardentiùs inflammata. Pertinet ad voluntatem quidem Humilitatis virtus, vt pars modestiæ, & temperantiæ; sed præsupponit in intellectu duplicem cognitionem, & æstimationem, tum suimet, tum
2. 2. q. 161. a. 1 ad 1. Dei Conditoris; Cum quis considerans suum defectum, ait S. Thomas, tenet se in infimis,
secun-

ſecundum ſuum modum; Humilitas, qua ibid. ad 1.
ratione eſt ſpecialis virtus, præcipuè reſpi- "
cit ſubiectionem hominis ad Deum, pro- "
pter quem etiam alijs humiliando ſe ſubijcit. "
Nemo ſibi notus, cui Deus ignotus eſt, ac
quò quiſque Deum clariùs, eò ſe quoque
perſpectius nouit vilem, humilem, abie-
ctamque eius ſummi Numinis creaturam.
Quare duplicem hanc cognitionem ſui, ac
Dei, duplicem quis rectè primariam ra-
dicem humilitatis, duplicemque eius velut
cardinem nuncuparit.





CAPVT VI.

Stoicos ignoraſſe duplex hoc principium Veritatis, & humilitatis.

QVemadmodum ſuperbia naſcitur ex errore, & ignorantia, totaque mendacio conſtat, & vt atramento ſepia, ſic inuoluitur, atque obtegitur falſitate; Sic è contra, veritate nititur humilitas, & tum ex ſui, tum ex Dei cognitione gignitur, atque illuſtratur. Quod Stoici neque ſe, neque Deum agnorint, vti par erat, Authorem ſuum; haud probatu difficile eſt: Nam tametſi non condemnentur Atheiſmi, Mundumque, aut animam mundi, Æthera, vel Ignem Deum confinxerint; tamen à cognitione veri Dei, primi principij rerum omnium, atque vltimi finis, Conditoris ac moderatoris huius vniuerſi, hominumque prouidentiſsimi Rectoris, & Patris, abfuerunt longiſsimè: neque videntur in eo contemplando, atque agnoſcendo, multum operæ ac ſtudij poſuiſſe. Nam de perfectionibus Diuinis, & attributis, Sapientiâ Potentiâ, Bonitate, Prouidētiâ, Immēſitate, Æternitate, Immutabilitate, atque Infinitate, &c. altum eſt apud eos ſilentium; nec virtutis illum authorem, ac largitorem; neque honeſtę vitæ ex virtute

tute traductæ remuneratorem, aut ſceleratæ vindicē futurū aliquando cogitabant. Sublata Prouidentia, Fato omnia regi, atque admini-ſtrari, ipſumque fatum, rerum ac cauſarum ineuitabilem neceſsitatem, errore ſtultiſsimo, delirabant; quam,& naturam ipſam communem ac generalem, Deum cenſebant, velut chaos quoddam inducentes, effectus cum ſupremâ causâ permiſcentes, ac confundentes.

Quare, nec illud vulgare,præ foribus inſcriptum Templi Delphici, *Noſce te ipſum*, aſſequuti ſunt, aut vt aſſequerentur elaborarunt; cum nec ſuam originem à Deo deducerent, nec eundem Deum, extremum finem, quò eſſet omnis vita referenda, cogitarent.

De primi Parentis creatione in originalis iuſtitiæ fælici ſtatu,eiuſque lapſu, & peccato, quod in omnes poſteros origine traducitur, ex qua velut prima ſcaturigine manarunt omnes ærumnę noſtræ; deque multiplici ſtatu naturę,integræ,vitiatæ, ac corruptę, denique per Chriſtum inſtauratæ,nihil ſunt ſuſpicati; Quî ergo ſeipſos noſſe potuerunt, qui duo in ſe primaria Dei beneficia, Creationis, ac Redemptionis, omniaque eius, ſeu naturæ,ſeu gratię dona, ac munera penitus ignorarent? De conſeruatione, ac Prouidentia Diuini eiuſdem Numinis, qua nos, donaque ſua in nobis tuetur,cuius-cuiuſque modi,gradus,& ordinis, & de deſtinatione noſtra ad dona gloriæ, finemque ſupernaturalem, per eiuſdem ordinis media, nihil, ne ſuſpicando quidem, ſunt aſſequuti. Quare non in ſumma tantum Naturę ſuæ ignoratione, ſed in multiplici planè

verſabantur errore; cum naturam illam ſummis laudibus efferrent, & tanquam optimam Ducem, ac Magiſtram ſequendam eſſe traderent;& verò etiam,pro Deo Authore,communem ac generalem naturam vſurparent. Quæ non incommodè fortè dicerentur, aut benignam certè in partem acciperentur,ſi natura manſiſſet integra,atque incorrupta, quemadmodum à Deo primitus erat condita, atque inſtituta, ſingularibuſque eius gratiæ munita pręſidijs, ac prærogatiuis iuſtitiæ originalis exornata;At cum primi parentis inobedientia læthalibus ſauciata plagis, cæcitate, malitia, concupiſcentia tota propè deprauata ſit, à recto bonoque abhorrens, ad malum maximè procliuis, ac propenſa, ſibimet ipſa rebellis, ac repugnans; cum neque Deo obtemperet ratio, neque rationi pars appetitus inferior; lamentanda magis,quam laudibus immodicis efferenda natura eſt: neque iam ad Deum dux optima, aut magiſtra vitæ, aut Dei imagine excellenter inſignita Deum refert; ſed vehementer obſcurata,ſemetipſam amans, ac ſpectans, ſibi dux in pręceps longiſsimè abſcedit à Deo, atque in omnia vitia, ac flagitia ſponte proruit. In cęteris quidem animantibus, inſtinctus,quo permouentur, Authori naturæ tribuitur,& rectè illę viuunt,dum cõuenienter naturæ viuũt,ſeruãtq; homologiã Stoicorũ;At hominis natura libera eſt,& ſui cõpos,ſeq; ipsã regit,ac mouet in finem à ſe ſibi præſtitutũ,per ea, quæ congrua ſibi adſciſcit, media; tum variæ ſunt, pro cuiuſque indole,propenſiones, variaque ſtudia,inſtituta,& negotia; quare nec
ſemper

mper idem velle, ac nolle quispiam potest, aut
:bet; vt diuersissimæ se offerunt vitæ huius
ıortalis opportunitates, ac necessitates. In
eteris animantibus nulla tanta est diuersitas
ctionum, nec illæ laude, aut vituperio dignæ
ınt, cùm careant arbitrij libertate, nec tam se
;unt, quam aguntur in fines suos. Idem in om-
ibus viget vniformis impetus naturæ, & te-
ıe quoddam, ac rude vestigum libertatis, è
nsu dimanans; At homini intelligenti, plena
onstat perfectaque libertas, omnisque eius
ἰio, ex deliberatione suscepta, aut virtutis
udem meretur, aut in vitij dedecus incurrit;
ıt honestatis, aut turpitudinis inuritur nota.
ieque tamen vnquam sibi plenè sufficit, nisi à
perıore regatur principio, Deo suo, cuius
oe gratiæ, & sanctarum inspirationum in om-
bus eget, siue malis euitandis, siue bonis, ac
rtutibus exercendis: Nam, vt de externis si-
amus obstaculis, ipse sibi homo vehementer
ostat, ac secum maximè pugnat; si ratio,
ırsque superior in virtutis bonum propendet;
ferior appetitus in vitium, ac peccatum tra-
t; de qua quidem interna rixa, pugna, &
orruptione naturæ, differetur inferiùs. Vnum
ıodò Paulinum audiamus, laudatum à S. Au-
ustino, non minus religiosa humilitate, quàm
natoria olim dignitate conspicuum, ex Ro-
ıano Senatore Monachum Christianum, ad
uem cum imaginem sui pictam expetens
:ripsisset Seuerus Sulpitius, sic ille respondet,
ræclarum in eo quoque genere vanitatis
oarguendæ, & docendæ humilitatis exem-
lum (Eius epistolæ fragmentum hoc refert,

 & laudat

" & laudat S. August.) Pauper ego & dolens, qui
" adhuc terrenæ imaginis squalore concretus
" sum, & plus de primo, quàm de secundo Adam
" carnis sensibus, & terrenis actibus refero;
" Quomodo audebo me tibi pingere, cum cæ-
" lestis imaginis inficiator prober corruptione
" terrena? Vtrimque me concludit pudor, eru-
" besco pingere quod sum, non audeo pingere
" quod non sum, odi quod sum, & non sum quod
" amo; sed quid misero mihi proderit odisse
" iniquitatem, & amare virtutem; cum potius
" id agam, quod odi, nec elaborem piger id po-
" tiùs agere, quod amo? ipse discors & intesti-
" no bello distrahor, dum spiritus aduersus car-
" nem, & caro dimicat aduersus spiritum, &
" lex corporis lege peccati legem mentis impu-
" gnat. Infælix ego, qui in me venenatum ini-
" micæ arboris gustum, nec Crucis ligno digessi!
" Durat enim mihi illud primi Adami virus pa-
" ternum, quo vniuersitatem generis sui Pater
" præuaricatus infecit. Hinc illę lacrymæ, hæc origo mali, hinc pugnæ illę molestissimæ, ac periculosissimæ dimicationes internæ, prauæ concupiscentiæ; Hæc seges amplissima demissionis, atque humilitatis, quæ Christianæ menti semper obuersari debeat; *Ecce enim in* Ps. 50. 7. *iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me Mater mea*; Quam humilitatis pręcipuam materiam, atque radicem, Stoici ne suspicione quidem attigerunt; At verò Christiani Philosophi semper obuiam, altiusque memoriæ gerunt infixam; ac modò Dei optimi maximi Conditoris eximia in se recolunt beneficia, supremamque eius clementiam, ac benefi-

eneficentiam cum sua conferunt in omni
enere, naturæ,ac gratiæ, rerum indigentia,
c miseria; modò se magis etiam à Deo,quàm
ıx, & radij solares à sole pendere cogitant;
nodò velut ad ditissimi Patrisfamilias ianuam
nendici quotidianam stipem efflagitant; mo-
ò de acceptis beneficijs gratias agunt, omnia-
ue bona sua eius largitati gratissimis animis
ccepta referunt, gaudentque sub ea summa
Maiestate ac celsitudine deijcere sese, obno-
iasque eius Numini, viles, & abiectas creatu-
ıs profiteri. Quis sanè secum animo recogi-
et Deum infinitum, æternum, immensum,
nmutabilem, per se, ex se existentem ac bea-
ım, summè sapientem, bonum, ac potentem,
onorum omnium pelagus inexhaustum, ex
uo omnia creaturarum participata bona di-
ıanant, ac largissimè profluunt; se verò inter
ıtionales creaturas extremam, egentissimam
erum omnium, sexcentis ærumnis corporis,
tque animæ confectam, quæ ex sese nihil sit,
ihil sciat, nihil omnino possit, clementissi-
ıa tamē Dei benignitate sustentetur, ac donis
ius cumuletur supra meritum, supra votū: hæc
nquam, quis secum animo recogitet, & non
bstupescens sese velut in infinitum deijciat,
ilipendat, ac confundat; inde supremam Dei
ui Maiestatem adorans, ac summo quo possit
ımore, atque honore prosequens; hinc animo
ubenti ac gratissimo suam ex aduerso vili-
tatem, & abiectionem profitens, ac submit-
tens? vt infinitum quoddam interuallum inter
e, Deumque clarè recognoscit; ita nihil du-
bitet in infinitum se sub Deo deijcere, eius-
que

que causâ, & respectu infra omnes omnino creaturas amandare, omnibusque, cum se dabit occasio, aut necessitas, vtilitasue Diuinæ glorię, ac laudis exiget, Dei causa se proculcandum, & proterendum substernere?

" Huc illa pertinet S. August. breuis precatio:
" Nouerim te, nouerim me, vt oderim me, &
" amem te, exaltem te, & humiliem me: Qua
" eadem precatione noctes integras exhauriebat
" S. Franciscus: Nouerim te, nouerim me: Quis
" enim es tu dulcissime Domine Deus meus? &
" quis ego miserrimus, vilissimus, abiectissimus seruus tuus? &c. Qua duplici contemplatione, Diuinarum inde perfectionum ac beneficiorum supremæ Dei Maiestatis, hinc extremæ hominis vilitatis, ingratitudinis, ac miseriæ, deuotionem excitandam esse tradit S. Thomas; eadem nos humilitatem, quæ deuotionis parens, aut soror, aut filia est haud illi absimilis, gignendam ac confirmandam contendimus.

Ad hunc sanè modum Sanctus Pater meus Ignatius iubet, ad compunctionem excitandam, quæ germana proles est humilitatis, cogitare, quid sit Deus, quem offendi, collatis comparatisque perfectionibus attributis Deo, vt proprijs, cũ oppositis meis vitijs, atque defectibus, summam eius potentiam, sapientiam, bonitatem, ac iustitiam, cum extremâ meâ infirmitate, ignorantia, malitia, & iniquitate conferendo; quæ vulnera sunt naturæ ex primi parentis inflicta peccato, sed quæ nostrorum adiectione peccatorũ, mirum quantum increuerint, in diesque etiam augescant, ac grauiora semper euadant.

1. Hebd. Ex. 2. p. 4.

CA-



CAPVT VII.

De præstantiâ Virtutis Humilitatis, eiusque necessitate.

Vbet S. Pater meus Ignatius præcedente puncto, si contritioni excitandę velim opem dare, considerare meipsum, quisnam, aut ualis sim, additis exemplis, quę me in maiorm mei contemptum trahant, vt si mecum putem, quantulus sim ad omnium homiım cœtum comparatus, quid deinde sit vniersa multitudo mortalium, si cum Angelis, eatisque omnibus conferatur; Post hæc atndendum est, quid rei sit tandem, quicquid t creatum, prę ipso Deo Creatore; Iam quid munció ego vnus esse posim? Demum spiciam corruptionis mei totius prauitatem, imæ atque corporis fæditatem, ac me tanıam vlcus, siue apostema esse ducam, ex quo nta sanies peccatorum, tantaque lues vitioım defluxerit.

Ex qua sanè consideratione, non ipsa modò ntritio, & contritionis comes parietur huilitas, intima ac profunda mentis demisio ram supremâ Dei Maiestate; verum eius oque virtutis summa dignitas, ac necesitas ucescet, dum per eam suus cuique naturæ los, ac gradus asignatur, rectusque ac rationi consen-

consentaneus stabilitur ordo, vt Diuinum Numen, infinito quodam spatio, suis omnibus creaturis anteponatur, & verus humilis infra eas omnes sese abijciat, extremumque ac nouissimum sibi vindicet locum, Deo imprimis Conditori, tum propter Deum cæteris omnibus sese subdat, ac supponat creaturis. Ac quemadmodum teterrimum est superbiæ vitium, quod sese opponit Deo, omnemque rectum ordinem peruertit, dum vult præeminere, ac statum suum transgredi, cæterorumque vitiorum habetur radix & origo, quæ ex suimet inordinato gignuntur amore; sic ex aduerso honestissima virtus, & præstantissima est Humilitas, quæ nos Deo subijcit, imò & propter Deum, omni creaturæ præcellenti, quod eximijs Dei donis ornata sit, nosque extremo contentos loco quietos, pacatos, ac hilares, & in Diuinâ semper acquiescentes voluntate, amplius etiam, si fieri possit, ad Dei gloriam, abijci atque humiliari paratos efficit; quod sanè generosæ mentis est, res creatas omnes infra Deum despicientis, & Deum vnum impensè atque ardenter amantis, ac reuerentis.

Serm. 4. de Aduen. Distinguit S. Bernardus duplicem humilitatem, cognitionis alteram, alteram affectionis, quæ dicitur cordis: Priore discimus, quod nihil sumus, & hāc discimus à nobis ipsis, & ab infirmitate propriâ; Posteriore calcamus gloriam mundi, & hanc ab illo discimus, qui exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens; qui etiam quæsitus ad regnum, fugit; quęsitus ad tanta probra, & ignominiosum suppli-

applicium crucis, sponte obtulit semetipsum. De eadem duplici specie humilitatis agit serm. quadragesimo secundo in Cantica. Est Nardus humilis herba, quam & calidæ ferunt naturæ, qui herbarum vires curiosius explorarunt, & ideo per hanc videor mihi non inconuenienter hic veræ virtutem humilitatis accipere, ed quæ sancti amoris vaporibus flagret; quod propterea dico, quoniam est humilitas, quam n nobis veritas parit, & non habet calorem, & est humilitas, quam charitas format, & inflammat; Atque hæc quidem in affectu, illa n cogitatione consistit; Etenim, si tu temetpsum intus ad lumen veritatis, & sine dissimulatione inspicias, & sine palpatione diiudices; non dubito, quin humilieris & tu in oculis uis, factus vilior tibi ex hac vera cogitatione ui; quamuis necdum fortasse id esse patiaris n oculis aliorum. Eris igitur humilis, sed de pere interim veritatis, & minimè adhuc de moris infusione: Nam si veritatis ipsius, quæ e tibi veraciter atque salubriter demonstrauit, sicut splendore illuminatus, ita affectus more fuisses; voluisses proculdubio, quod in e est, eandem de te omnes tenere sententiam, quam ipsam apud te veritatem habere cognoscis; sanè, quod in te est dixerim, quia plerumque non expedit innotescere omnibus omnia, quæ nos scimus de nobis. Hæc Bernardus; qui cum priorem necessitatis appellet, posteriorem voluntatis, sat indicat hanc posteriorem dumtaxat veræ virtutis laudem ac nomen obtinere; & vt loquitur, hanc voluntariæ humilitatis speciem, non redargutione veritatis

ritatis, sed charitatis infusione creari, quia cordis est, quia affectionis, quia voluntatis. Quàm præstans igitur ea virtus est, quæ aut charitas est, aut charitati semper annexa! quæ calorem ac vitam à charitate mutuatur! Quâ parte se Deo subijcit, à Religione sciuncta multis non videtur; quâ se cæteris hominibus propter Deum, excellens quædam est aut pietas, aut obseruantia, aut à charitate profecta modestia; Hæc attenta Dei Maiestate, suique vilitate, coram eo supplex humiliatio, suprema mihi latriæ videtur adoratio; coram sacratissimâ Virgine ob præcellentissima Dei dona, quibus eminet, & incõparabilem summamque Dei Matris dignitatem, hyperduliæ; coram cæteris Sanctis, duliȩ, vel obseruantiæ sacræ cultus eximius. Videtur & perquam facilis, & expedita ratio Deum præsentem rebus in omnibus creatis agnoscendi, ac venerandi, si quis hos humiliationis internæ crebriores actus exerceat, ac frequentet. Hæc S. Bernardi distinctio duplicis humilitatis, in alium quoque sensum commodè traduci possit, vt quædam sit humilitas pȩnitentiarum, ex consideratione peccatorum, & vitiatæ naturæ, non ijs modò peccatis coinquinatæ, sed ad eadem maximè quoque procliuis, praua concupiscentia, perturbationumque morbis fædè & misere laborantis, quæ humilitas in Christo Domino, B. Matre, cæterisque innocentibus, SS. Angelis, & Beatis locum non habeat; quædam verò sit humilitas innocentium propria, quæ ex consideratione nihili sui, tum naturæ, tum gratiæ, tum meritorum bo-

norum

orum omnium oriatur; cum & SS[a]. Christi
saluatoris Anima, & B. V. Mater, omnes-
que Sancti agnoscant & profiteantur, quæ
unt in eis eximia dona, & bona omnia, à gra-
uita Dei benignitate deriuari, nihilque suum
sse in quo glorientur, sed Dei esse munera
ratuita, cui sit laus, & omnis gloria adscri-
enda. Quare & ea humilitas, quam informat
haritas, semper à veritate gignitur, & pœ-
itentibus ad Deum verè conuersis, quæ fuit
ognitionis, euadit affectionis humilitas. Sed
la præcipua est plurimique æstimanda humi-
tas, quæ ab exemplo Christi Domini duci-
ır, qui sese propter nos ad infamia quæque
obra, ac dedecora; ad mortem ipsam crucis
biecit ignominiosissimam. Ac quemadmo-
ım qui in superbiæ Principis, ac mundi ca-
ris militant, gloriam, & existimationem
oud homines summo studio conquirunt, &
petunt; ita qui seriò Christum Dominum
quuntur, ac sub eius crucis, & humilitatis
xillo nomina dederunt, suimet contemptum
denter amant, apud homines latere, negligi,
spici, vilipendi cupiunt; adeo, vt (si fieri
osset absque offensa Diuinæ Maiestatis, &
oximorum scandalo) optarent pati contu-
elias, falsa testimonia, sannas, & omnis ge-
eris iniurias, quin & amentes ac stulti repu-
ri, nulla tamen ad id data occasione, eo quod
iqua ex parte Christum Dominum imitari,
que affectari, longo licet post interuallo, ve-
ementer exoptent eius amore succensi, eius-
ue vestibus atque insignibus indui, quibus
se salutis nostræ induit causa; vt præclarè mo-
net

Reg.11. Sum. constitut. Ex c.4. §.44. net S. P. Ignatius.

Hic planè supremus est humilitatis præstantissimæ gradus, ad quem nos eximia Christi Domini charitatis, & humilitatis coniunctim exempla, ac documenta prouocant.

in Ps.118. tract.15. Reperio apud S. August. duplicem prȩterea humilitatem; Vnam, qua quisque humiliat se, confitendo peccata sua; aliam, qua quisque humiliatur aliqua tribulatione, vel deiectione, quam meruit eius superbia; aut qua exercetur eius patientia; quæ quidem posterior humilitas, si non respuatur, sed acceptetur propensa voluntate, Deo sese subdente, valere potest ad meritum, vt valuit in B. Iob humili ac pa-

Iob.1.21. tiente Propheta, cum diceret: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domi o*

Iob.2.10. *placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum*. Ad vxorem pessimam, Satanæ consiliariam: *Quasi vna de stultis mulieribus locuta es, si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?* Sed prior confitens vltrò peccata, potior est, & eam habet prærogatiuam, vt nos Deo reconciliet, deperditamque eius gratiam instauret ac renouet. Per eam, dum petitur, remissio peccatorum obtinetur; neque perfe-

4.Reg. 20.11. cta esse potest contritio, quæ non humilitate nitatur. Tantum valuit ipsius Achab impij Regis humiliatio, quamquam haud omnibus numeris absoluta, Deum vt iratum tamen placaret, ac propitiaret. Est igitur humilitas instauratrix gratiæ, & charitatis violatæ reparatrix. Est & eiusdem conseruatrix, optimaque nutrix, incrementorum eius in dies amplio-

npliorum à Deo conciliatrix; quâ de re com-
ionefaciunt duo nos Apostoli, Petrus & Ia- 1.Pet.5.5
obus; *Deus superbis resistit, humilibus autem dat* Iac.4.6.
ratiam. Tutissimus virtutum omnium portus, in Ps.118.
x Basilio; virtutum omnium caput, ex Am- serm.20.
rosio, quę totum velut quoddam actionum
ostrarum fouet corpus; in quâ vna consistit
mnis Christiana disciplina, ex Augustino,
ui librum de Virginitate sacra quidem in-
ripsit, at integrum de humilitate perscripsit:
st enim humilitas pudicitię custos, & integri-
tis thesaurus, si subdatur animus Deo, &
imo quoque corpus ac caro subijcietur.
reuiter, omnium virtutum fundamentum
re dicitur humilitas, non modò quia præ-
mptionem ac superbiam remouet, quo nul-
m habet virtus maius obstaculum, quodque
ium veluti pectoris aperiat Deo, ac vacuum
hibeat, omnibus eius gratię donis impluen-
m, atque implendum; sed quod, cum Deo
s subijciat, eidem nos adiungat, atque ag-
itinet.

Ipse Deus fundamentum est fundamento-
m, cui dum perfectè subijcimur, inhæremus,
od fundamentum in summo & cælo est, non
humo & imo. Nam ad cęlum ædificamur
ti præclarè S. August.) & quemadmodum
ndamentum corporeæ fabricæ in imo est, sic
ndamentum spiritalis fabricæ in summo est: in Ps. 86
uare, quando hic humiliantur, qui Deum in Ps. 30
nent, humiliati non cadunt, quia altitudo conc. 3.
rum ipse est Deus: Nam quò se perfectiùs
miliant, atque subijciunt Deo, eò sese illi ar-
us astringunt, intimiusque coniungunt.

Mira hæc est indoles siue humilitatis siue ipsius Dei, vt humilitate propinquetur ad Deum: sis humilis, si vis, vt Deus altus vicinetur; si te humiliaueris, appropinquabit ad te; si te excelsum feceris, longinquabit à te. Humile cor de cælo adducit Deum, vt proximus fiat. Altus est Deus, humilia te, & descendet ad te; quin verò cor humilitate sursum abripitur in cælum ad Deum, vt terrenis omnibus, seque etiam ipso despecto, vnum Deum suspiret, amet, ac pro destinato scopo actionum omnium honestarum propositum semper habeat, ac mente circumferat. Sursum habere cor ad seipsum, superbia; ad Deum, humilitas. Quæ quidem eximia virtus mihi quoque videtur illum primæuum ac beatum originalis innocentiæ statum postliminio reuocare, nec sine quodam gratiarum fœnore redintegrare; dum mentem ac rationem Deo, & eius ope ac beneficio corpus animo, rationique, partem inferiorem sensus & appetitus subijcit; dum per eam charitate informatam, cæterarumque virtutum chorum ac comitatum, quoad licet in hac vita mortali, Deo, summo bono nostro, ac fine vltimo, perfruimur; quæ cum sit beata vita, summa sapientia, ac perfectio hominis Christiani, quid ad humilitatis commendationem vberius, atque amplius à me proferri queat?

Quò magis excrescit in animis nostris humilitas, eò quoque magis excrescit Diuina Charitas, magisque decrescit & imminuitur praua cupiditas, capitalis eius aduersaria. Si penitus extirpari, atque extingui nequit cupiditas,

piditas, amorque sui; at vehementer assidua reprimitur humilitatis exercitatione: augetur è contra, & vehementius inflammatur Charitas & amor Dei, recteque dicitur Humilitas, & Mater, & filia Charitatis, aut adhærescens illi comes perpetua. Etenim quò Deum impensius amamus, extollimus, ac magnificamus, eò nos ipsos magis oderimus, humiliemus, vilipendamus oportet, & à cæteris mortalibus haberi despectui cupiamus. Quò Dei maior est aduersum nos bonitas, clementia benignitas, misericordia; nostra verò aduersus illum ingratitudo, peruersitas, infidelitas, grauior; eò & ille magis est amandus, honorandus, exaltandus; nos verò deijciendi, deprimendi, ac detestandi sumus. Hoc sanè postulat omnis æquitas, & hoc est præstans huius præstantis virtutis officium.

Vt, dum per superbiam ac priuatum amorem erigimur, Deus, ita dicam, in nobis humiliatur ac deprimitur; ita, dum per humilitatem exinanimur atque deijcimur, Deus in nobis extollitur atque exaltatur. Itaque humiliari nostrum, Dei est exaltari, & vice versa; non secus ac è duabus staterę lancibus, dum vna deprimitur, erigitur altera. Quæ sanè causa est, cur verus humilis tantopere se deprimi ac despici gaudeat, ad Dei gloriam & honorem; vt superbus gaudet honore se affici, etiam cum Dei contemptu. Sed de præstantiâ & officijs huius virtutis sæpe adhuc erit differendi locus. Iam de eius necessitate.

Præter ea, quæ de gratiæ necessitate dicentur, nihil hic plenius dici potest, quam quæ

habet Sanctus Augustinus, epistola ad Dioscorum: Nisi humilitas quæcumque benefeceris & præcedat, & comitetur, & subsequuta fuerit, & proposita quam intueamur, & apposita cui adhæreamus, & imposita quâ reprimamur, iam nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum de manu extorquet superbia; Vitia quippe cętera in peccatis, superbia verò etiam in rectè factis timenda est: Quod & alias frequenter inculcat: Nullum enim aliud est vitium periculosius, nullum damnosius, nullum (quæ naturæ nostræ corruptio est) familiarius, non domesticum modò, sed planè intestinum; primum quod nos oppugnat, postremum quod expugnatur; aduersus quod dimicatio prope continua, rara & sera, & nunquam omnino secura victoria. Nam, vt aduertit idem S. Augustinus; Vbi lætatus homo fuerit in aliquo bono opere, se etiam superasse superbiam, ex ipsa lætitia caput erigit, & dicit: Ecce ego viuo, quid triumphas? Et ideo viuo, quia triumphas. Non est igitur præmaturè de superbia deuicta gloriandum, sed mox in subsidium humilitas aduocanda, quæ totum Deo bonum opus adscribens exclamet: *Non nobis Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam.*

Ep. 56.

de natura & gratia 31.

Ps. 113.

CAPVT



CAPVT VIII.

De summo Bono, & Fine vltimo, ad quem omnia referenda, ipse ad nullum; quis sit ex Christianorum & Stoicorum sententia.

VEritas vna est ac simplex; Mendacium multiplex ac varium. Christianorum sententia est, summum bonum ac finem nostrum esse Deum Opt. Max. cuius causa conditi sumus, in quo vno mens nostra conquiescat, perfecteque satietur & expleatur, vt nihil præterea desideret. Stoicorum de summo bono ac fine vltimo variæ sunt sententiæ, neque satis apertæ & explicatæ: nam veritatem, quam velut per vmbram affectabantur, verborum ambagibus obscurarunt, multaque parum ei consentanea protulerunt, si ad vnguem Theologicum resecantur; quæ tamen ipsa in meliorem partem accipi, & recto aliquo sensu ad veritatem reuocari possunt. Plurimorum sententia est, summum bonum & finem vltimum esse, conuenienter Naturæ viuere; Epicteti, conformiter, seu concorditer Naturæ, quo spectat illud Horatij:

Viuere naturæ si conuenienter oportet.

At de qua Naturâ intelligunt? si de ea, quę in ori-

in originalis iustitiæ, atque innocentiæ primæuo statu à Deo fuerat instituta, non omninò perperam: Nam ad Deum, à quo erat condita, & tot excellentibus gratiæ donis, ac præsidijs instructa dirigebatur; Si de naturâ primi Parentis peccato vitiata, & necdum plenè per Christum instaurata, & saluatâ, in qua remanet adhuc prauę concupiscentiæ fomes, cum secum ipsa pugnat, ac dissidet; tum minimę Naturæ, sed Gratiæ Christi conuenienter est viuendum, & Naturæ per Christi Gratiam repugnandum; iuxta illud Scripturæ; *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*; *sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentiâ suâ*. Et illud Christi Domini: *Qui amat animam suam, perdet eam*.

Gen. 4. 7. Gen. 8. 21

Io. 12. 25.

Apud Diogenem, Zeno Stoicorum princeps explicat; secundum vnam rationem, & concordem sibi viuere; Apud Clementem Alexandrinum; in recta ratione & ratiocinatione, in electione eorum, quæ sunt secundum Naturam; Apud Stobæum non additur, Naturæ, sed absolutè, finem esse conuenienter viuere, seu ipsam conuenientiam, ὁμολογίαν; quod idem esse aiunt, atque secundum virtutem viuere: Nam virtus conuenientia constat, inquit Seneca. Accedit, vt perfecta virtus æqualitas sit, ac tenor vitæ, per omnia consonans sibi. Quid est sapientia? semper idem velle, atque idem nolle, licet exceptiunculam illam non adijciam, vt rectum sit, quod velis; non potest cuique semper idem placere, nisi rectum. Sed imprimis regula ac finis non assigna-

Ep. 74. Ep. 20.

aſsignatur, ad quem recta ratio & ratiocinatio dirigenda ſit; quæ ſit menſura rectæ & conuenientis electionis; ad quem illa ſcopum collineare debeat. Deinde cætera, licet in ſpeciem magnifica, tamen obſcura ſunt, & implexa, parumque ſibi conſentanea; cum ad ἀπάθειαν referri videantur, & in hac ærumnoſa vita, quæ tot propè caſibus, atque euentibus obnoxia eſt, quot ſunt eius momenta, nequeant obtineri. Cum re mutare conſilium, prudentis eſt. Nunquam ita quiſquam bene ſubductâ ratione ad vitam fuit; quin res, ætas, vſus ſemper aliquid adportet noui. Neque idem ſemper eſt tempus, nec eadem ſemper rerum conditio, ipſius ſanè corporis (vt de animo ſileamus) fouendi ac ſuſtentandi perpetuæ ſibi ſunt ſuccedentes ex ordine varietates. Vt in bono conſtantia ac perſeuerantia laude digna eſt; ita vituperanda in malo peruicacia, & obſtinatio. Vt Dei proprium ac Beatorum eſt, idem bonum ſemper velle, ac nolle malum; Diabolicum verò ſemper idem velle malum, & nolle bonum; ita hominum, pro hoc mortalitatis ſtatu, modò bonum, modò malum, modò velle, modò nolle.

Summa illa ſapientia ſummaque fælicitas ſit, nolle ſemper malum, ſemper velle bonum; quod ſine ſummo Dei beneficio nemo conſequetur. Alij Stoici contendunt addendum, Naturæ; Cleanthes, communi, Chryſippus, communi & propriæ, ſeu humanæ; Natura duce aberrari nullo modo poſſe; Naturam ducem optimam, tanquam Deum, ſequendam, eique parendum. Communem Natu-

ram Deum intelligunt, aut communem vniuersi legem, & rectam rationem per omnia permeantem; Propriam, rationalem, rectâ & perfectâ ratione vtentem in electione aut reiectione eorum, quę ex naturâ. Denique, finem esse aiunt, secundum virtutem viuere. Tullius 2. de finibus: Stoicis finis est, consentire Naturæ; quod esse volunt, è virtute, idest honestè viuere; quod ita interpretantur, viuere cum intelligentia earum rerum, quæ natura eueniunt; eligente ea reijcienteque contraria; Quod idem esse aiunt Viri eruditi, ac Deum sequi ac imitari, cum Deus sit natura communis & propria: Nam animum bonum
Ep. 31. & rectum quid aliud voces, ait Seneca, quàm Deum in humano corpore hospitantem? Bo-
41. nus vir sine Deo nemo est. Quare finis vltimus partim in Dei sequela, partim in assimilatione situs sit, planius ac breuius diceretur, in humilitate, qua te supremo Numini subijcias, in obedientia, qua Diuinis eius iussis ac monitis obtemperes, si te vilem sub Deo creaturam agnoscas & substernas, si tuam voluntatem Diuinæ per omnia subijcias atque accommodes, si Diuinos mores, quoad licebit, imitatione proxima consecteris. In hunc pium sensum traduci possunt Stoicorum dicta, & præclara sanè continent adiumenta ac media, quibus summum bonum, & finem vltimum assequamur, hac in vita mortali, quoad licet, inchoatè & imperfectè; in altera demum immortali planè consummatè.

Verùm non explicant disertè finem ipsum, & summum Bonum; & suspicari quis posit,

Stoicos,

Stoicos, nescio qua dementia, & insana prorsus superbia, semetipsos Deos quosdam finxisse mortales, animasque rationales censuisse particulas quasdam velut è natura Diuina decerptas, velut scintillas quasdam igneas, abscissas ex Deo, neque extra se finem vltimum summumque bonum collocasse. Aut si benignius interpretari velimus, rectam rationem in homine dicemus participationem quandam Diuinæ lucis ac veritatis, iuxta illud psalm. *Signatum est super nos lumen vultus tui.* Ps. 4. v. 7.
Cui rectæ rationi conformitas ac congruitas ipsa, est virtutis honestas, vt vitij malitia & turpitudo, disconuenientia ac discrepãtia cum recta ratione. Verum enimuero hæc recta ratio, in animis nostris inserta diuinitus ab Authore naturæ, ab eodem dirigenda, & infusæ fidei, aut inspirationis piæ lumine collustranda, ne exorbitet, aberret atque cæspitet, eiusque omnis rectę rationis vsus in Dei Conditoris, cuius est donum honorem, & gloriam suapte conditione reuocatur & refertur, vt abusus in eiusdem Diuini Numinis offensam ac contemptum suapte natura redundat. Quapropter virtus omnis, vt à Deo manat tanquam à primo principio sic ad Deum tanquam ad finem vltimum referenda est.

Deum igitur, vt ex his Stoicorum salebris emergat oratio, solum esse summum bonum nostrum, ac finem extremum, etsi probatione non eget, tamen S. Augustini præstantissimi Doctoris auctoritate ac ratione probemus, cum illum versum psal. edisserit: *Beata gens, cuius Dominus Deus eius.* Inter alia sic in Ps. 32. serm. 2.
ait;

" ait: Cum enim beatus fueris, melior vtique
" eris, quàm cum miser es; fieri autem non po-
" test, vt res deterior te faciat meliorem. Ho-
" mo es, deterius te est quicquid cupis, quo
" beatus esse desideras. Aurum, argentum,
" quælibet corpora, quibus inhias acquirendis,
" possidendis, fruendis, inferiora sunt te. Tu
" melior es, tu fortior es, & vtique vis melior
" esse quàm es, cum beatus esse vis quia miser es.
" Melius est enim vtique beatum esse, quam
" miserum. Vis esse melior te, & quæris, per-
" quiris per quæ id fiat, deteriora te. Quicquid
" quæsieris in terrâ, deterius est quàm tu.
" Intuere cęlum & terram, non tibi sic hæc
" pulchra corpora placeant, vt eis fieri beatus
" velis. In animo est quod quæris. Ipso animo
" tuo quære quid sit melius.
" Iam ergo superest, vt queras, quid sit me-
" lius quàm animus tuus. Quid erit obsecro,
" nisi Deus tuus? Non inuenis aliquid melius
" animo tuo, quia cum fuerit perfecta natura
" tua, Angelis æquabitur. Iam supra non est
" nisi Creator. Erige te ad illum, noli despe-
" rare, noli dicere: multum est ad me.
" Aurum, etsi volueris, fortè non habebis.
" Deum, cum volueris, habebis: quia & ante-
" quam velis, venit ad te; & cum auersâ volun-
" tate esses, vocauit te: & cum conuersus esses,
" terruit te: & cum territus confiteris, consola-
" tus est te. Iste est qui tibi præstitit omnia ista,
" qui fecit vt esses, qui cùm his, qui tecum sunt,
" etiam malis præstat solem, pręstat pluuiam,
" præstat fructus, fontes, vitam, salutem, tan-
" tas consolationes, seruat tibi aliquid quod
non

non det, nisi tibi; Quid est autem, quod tibi „
seruat, nisi se? Pete aliud si melius inueneris, se „
tibi seruat Deus. Auare, quid inhias cælo & „
terræ? Melior est, qui fecit cælum & terram: „
ipsum visurus, ipsum habiturus es. Totus hic commentarius exscribendus foret, sed breuitati consulendum.

Vulgatum illud eiusdem S. Augustini: Quan- „
tumcumque sis auarus, sufficit tibi Deus tuus. „
Excedat cor vestrum omnia visa, excedat in- „
tentio vniuersas cogitationes vestras solennes „
ex carne, eductas ex sensibus carnis, & imagi- „
natas nescio quo phantasmate. Totum ab „
animo reijcite, &c. Ita desiderabitis quoddam „
bonum; Quale bonum, omnis boni bonum, „
vnde omne bonũ, bonum cui non addatur quid „
nisi ipsum bonum; Nempe illud, de quo Moysi: Exod. 33.19.
Ego ostendam omne bonum tibi. Quod experiebatur Sanctus Franciscus, identidem illud noctibus integris versans ac repetens: Deus meus, & omnia; Quod continet eminenter omnia, & maiori iucunditate suorum mentes complet, quàm si rerum omnium compotes existerent; quod & de Sapientiâ dicitur: *Pretiosior est cunctis opibus: & omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari*. Pro. 3. 15. Vt sol vnus magis illuminat, quam cæteræ omnes stellæ & mundi luminaria; ita vnius Dei possessio longè magis, quàm cæterarum rerum, mentem implet atque exsatiat. Vt manna ciborum omnium suauitatem ac condimentum; ita Deus delitiarum omnium perfectionem ac plenitudinem continet, atque exhibet. Ad imaginem quippe Dei facta rationalis anima cæ-

teris

teris omnibus occupari poteſt, repleri non poteſt: Capacem enim Dei quicquid Deo minus eſt non implebit, aptiſsimè S. Bernardus. Auguſtinus: Feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. Cum inhęſero tibi ex omni me, nuſquam erit mihi dolor & labor, & viua erit vita mea tota plena te. Nunc autem, quoniam quem, tu imples, ſubleuas eum; quoniam tui plenus non ſum, oneri mihi ſum (Omnis copia, quæ Deus meus non eſt, egeſtas mihi eſt) Neque in his omnibus, quæ percurro conſulens te, inuenio tutum locum animæ meæ, niſi in te, quo colligantur ſparſa mea, nec in te quicquam recedat ex me. Et aliquando intromittis me in affectum multum inuſitatum, intrinſecus, ad neſcio quam dulcedinem, quæ ſi perficiatur in me, neſcio quid erit, quod iſta vita non erit. Pertinet id ad prægustationem quandam futuræ vitæ, & ſummi boni, quoad hæc mortalis vitæ conditio patitur, inchoatam conſequutionem, de quâ proximo capite differendum.

Serm. de Dedicat. l. 10. conf. c. 10. c. 40.

CAPVT



CAPVT IX.

De duplici consequutione summi Boni, ac Finis vltimi; duplicique Beata vita.

ERat inter Stoicos Peripateticosque dissensio verborum magis, quàm sententiarum; An esse posset Beata vita, & non semper eadem beatissima? Peripatetici, qui finem hominis vltimum statuebant, secundum naturam viuere, id est, adhibitâ virtute frui primis à natura datis, aiebant, virtute quidem constare beatam vitam, sed non beatissimam, nisi cætera accederent naturę commoda, externaque bona, sine quibus hæc vita traduci non potest. Stoici, qui beatam vitam in solâ virtute statuerent, quæ vt illis placet, crescere non potest, nec vlla bonorum accessione cumulari (nihil enim in bonis censent, nisi virtutem) negabant beatam vitam esse posse, quæ non foret eadem semper beatissima; quò spectabat illa beatæ vitæ definitio; seclusis malis, cumulata bonorum complexio. Qui sunt Beati? qui sunt in bonis, nullo addito malo; sed aberrabant vtrique vehementer, qui beatam vitam præsentem dumtaxat in hoc mortali corpore spectabant, & futuram alteram, non modò non certa spe, & expectatione, sed ne suspicione

quidem

quidem vlla consectabantur.

Præsens vita non modò non beatissima, sed ne beata quidem, ac prope nec vita dicenda est, cum sit cursus ad mortem, tot malis referta, tot ærumnis, periculisque exposita, vt magis deploranda sit, ac lugenda, patienter magis, quàm hilariter traducenda; futura etsi est beatissima, tamen & ipsa latè patet variosque gradus obtinet, vt beato beatior quis esse possit. Nihil aliud est, Beata vita, quàm summi boni, & finis vltimi consequutio, quâ desiderium omne rationalis naturæ compleatur, eadem honestissima, iucundissima, securissima, perpetua & sempiterna. Nam eas secum affert expetitque conditiones; tamen hæc ipsa consequutio summi boni varia est, & magnam habet amplitudinem, vti post explicabitur.

Vt duplex est vita, mortalis hæc præsens, aliquando interitura, altera futura immortalis, in æuum omne duratura; ita duplex est Deum, summum bonum nostrum ac finem, assequendi ratio; prior inchoata, atque imperfecta; lumine naturæ, aut fidei super infusę crebrâ erectâ, & attentâ Dei contemplatione, actuumq́; Fidei, Spei, Charitatis, Religionis, Humilitatis, aliarumque virtutum, quæ tendant in Deum, exercitatione comparata; Posterior perfecta, & consummata lumine gloriæ, clarâ Dei visione nunquam interrupta, summè intensa, & perpetua, ac continenti charitate, numeris omnibus expleta, quæ Deum clarè conspectum teneat, ac complectatur. Prior ratio licet honestatem habeat annexam, non æquè tamen iucunditatem, securitatem

tem, ac perpetuitatem, quas omnes conditiones amplectitur posterior, eadem honestissima, iucundissima, sempiterna. Atque vt hæc vita præsens refertur ad futuram, ita prior ratio, quâ Deum assequi conamur ac contendimus, tota refertur ad posteriorem, quâ plenè iam eo possesso potiemur ac perfruemur.

Quare si duplex quoque statuatur Beata vita, duplexque beatitudo, id constare debet, priorem omnino ad posteriorem referendam, ex eâque dimetiendam; Quo gradu proximè hæc ad eam accedit, eò censenda perfectior est; quò nos illi propiores & similiores, eò quoque beatiores efficit.

Id inter naturas rationis capaces, & expertes interest; quod illæ summi boni ac finis vltimi sint capaces, intelligendo, atque amando, illoque potiri, ac perfrui possint; beatæ, si perfruantur; miseræ, si ab eius omni spe exciderint, aut tantisper, dum adhuc eo non potiuntur; Nam Beatitudo est adeptio finis vltimi, inchoata spe, perfecta reipsa; Miseria summa ab eo excidisse, non parua sanè, nec contemnenda, nondum attigisse, spemque ac metum inter periclitari.

Si dixeris Beatitudinem esse omnium bonorum, secluso omni malo, complexionem, aut statum omnium bonorum aggregatione perfectum; tamen ex summi boni adeptione id natura sua quodammodo consequens est. Ac quemadmodum ex Deo clarè viso consequitur ardentissima charitas, tranquillitas, pax & iucunditas quædam infinita, corporis immortalitas, & omnium bonorum accumulatio; ita ex

ita ex Deo per contemplationem fidei, & charitatis amorem hac in vitâ possesso, licet inchoatè, atque imperfectè, consequitur maxima pax animi, tranquillitas, iucunditas, securitas; tum & corpori Deus prouidet, quia paruo admodum eget natura, paruoque contenta est.

Sed vt id, quod cæpimus exequamur; Differunt naturæ intelligibiles ab expertibus rationis, quod illę fine ac bono summo fruantur, expertes in finem quidem dirigantur ab intelligentibus, & Deo ipso Conditore naturę; sed eo perfrui non posint, nec propriè dicendæ sint miseræ, aut beatę. Quod præclarè tradit S. Augustinus: In omnibus autem

In ps. 110.

'naturis producendis, earum Deus author, 'atque effector alium à seipso diuersum sibi propositum scopum habere non potuit. Ete-

Prou. 16. v. 4.

'nim *Omnia propter semetipsum operatus est* '*Dominus*; Irrationales rationabilium causâ, 'ad earum sustentationem, opportunitatem, 'atque oblectationem; rationales verò sui cau- 'sa, ob gloriam suam, honorem, subiectionem, obedientiam, cultumque deferendum, vt in eum omnia studia sua facta, dicta, cogitata, vitæque instituta conferrent.

Atque vt iam dicta compendio repetamus: duplex naturæ rationali tempus est constitutum, duplexque operandi modus, quo Deum suum demereatur ac consequatur. Prius tempus est præsentis vitæ, velut experimenti ac probationis cuiusdam, cum periculo non assequendi, tempus militiæ ac pugnæ, contentionis ac conatus, cursus ac viæ nondum

assequutæ

aſſequutæ metam ac quietem; Poſterius eſt futuræ vitæ, velut expletâ iam probatione, militiâ, pugnâque, ac contentione curſus, adeptâ iam mercede, victoriâque reportatâ, quiete ac ſecuritate perfectâ; ſine vllo metu ac periculo. Prior operandi modus, per Fidem, Spem, Charitatem, ſed viatoris in incerto adhuc, ac fluctuanti ſalo nauigantis, nondum in portu. Poſterior hominis portum ac viæ metam iam aſſequuti, per claram viſionem & Charitatem Deum comprehendentis, de æternitate beata certi ac ſecuri.

Duplex igitur quoque ſtatuatur Beatitudo ſummi Boni, & finis vltimi aſſequutio; Duplex beata vita, ſpei ac rei, fidei obſcuræ & claræ viſionis, præſentis temporis in labore ac contentione, futuræ æternitatis in præmio & mercede; Idque conſtet, priorem hanc viæ atque exilij viatoris, ad poſteriorem Patriæ ac comprehenſoris termini referendam beatitudinem.



CAPVT X.

Quæ bona? quæ mala? quæ adiaphora? commoda, vel incommoda? producta? reiecta? quæ neutra?

PEripatetici tria bonorum genera statuebant, Animi prima, secunda corporis, externa tertia, tantamque esse præstantiam, & amplitudinem virtutis, vt ea sola constaret beata vita, quod ita exiguæ essent cæterorum bonorum accessiones, vt quemadmodum stellæ in radio solis, sic istæ in virtutum splendore, ne cernerentur quidem; si in altera libræ lance virtus statueretur, terram ea lanx & maria deprimeret.

Non tamen nulla sunt, etsi parua, inquiebant, hæc momenta commodorum naturę, ac corporis, externaque bona, quin, quò quis eis bonis plenior est, eò quoque beatior existere dicendus est. Semper ex eo quod maximas partes continet, tota res appellatur; vt quæstuosa mercatura, fructuosa aratio dicitur, non si altera semper omni damno, altera omni temporis tempestate vacua, sed si multò maiori ex parte; ita vita non solum si vndique referta bonis, sed si multò maiori ex parte bona propendent, beata rectè dicitur.

Cæterùm bona dicuntur, quæ secundùm natu-

naturam, mala quæ secus. Stoici non tam re, quàm voce dissentientes, in speciem magnificentius contendebant, nihil bonum nisi honestum; nihil malum nisi turpe; Virtutem solùm esse vnicum & summum Bonum; Cętera: adiaphora, media, interiecta, indifferentia, minime in bonis numeranda, nec bona nec mala, quòd neque ad fælicitatem, neque ad infælicitatem conducerent; sed eorum tamen quædam esse secundum naturam, vt sanitas, robur, sensuum integritas; quædam præter naturam, vt morbus, imbecillitas, mutilatio; quædam neutra, vt imaginatio ta is, vel visum; & hæc nec appetitum, nec declinationem habere: Alia quæ ęstimationem habeant, producta, promota præcipua, vt ingenium, sanitas. Alia quæ deæstimationem, vt stupor, morbus, reiecta, reijcienda, secernenda; Hæc illa Zenonis celebrata προηγμένα καὶ ἀποπροηγμένα, commoda & incommoda, vtraque extra nos, quia extra animum: Bona illa sunt vera, quę ratio dat, cætera, opinione bona sunt. Itaque commoda vocentur, & (vt nostra lingua loquar) producta: sumenda; non expetenda; reijcienda, non fugienda, seu secernenda. Senec. Ep. 74.

Quæ omnia S. Augustin. rectissimè censet verborum certamini, non rerum examini deputanda: meritoque ridet Plut. sumenda, non expetenda: Apta naturæ, non tamen bona; Inutilia, tamen commoda. 9. de ciuit. c. 4.

Apud Tullium, Piso Peripateticus de Stoicis: Vt reliqui fures earum rerum, quas ceperunt signa commutant; sic illi vt sententijs 5. de fini.

nostris pro suis vterentur, nomina tanquam rerum notas mutauerunt. Si Stoicis concedis vt virtus sola, si adsit, vitam efficiat beatam, concedis etiam Peripateticis: Quæ enim mala illi non audent appellare; aspera autem, & incommoda, & reijcienda, & aliena naturæ esse concedunt; ea nos mala dicimus, sed exigua, & porro minima. Quare si potest esse beatus, qui est in asperis reijciendisque rebus, potest is quoque, qui est in paruis malis.

Quemadmodum in senatu semper est aliquis, qui interpretem postulet; sic isti nobis cum interprete audiendi sunt. Bonum appello, quicquid secundum naturam est; quod contra, malum &c. Cum omnia, quæ illi commoda certè dicunt esse, & sumenda, & eligenda, & præposita, quę ita definiunt, vt satis magno æstimanda sint. Hæc igitur cum ego tot nominibus à Stoicis appellata, partim nouis & commentitijs, vt ista producta & reiecta, partim idem significantibus (Quid enim interest expetas, an eligas? mihi quidem etiam lautius videtur quod eligitur, ad quod delectus adhibetur) sed cùm ego ista omnia, bona dixero, tãtùm refert quàm magna dicam, quàm valde expetenda; sin autem nec expetenda ego magis, quàm tu eligẽda, nec illa pluris ęstimanda ego, qui bona, quàm tu, qui producta appellas; õnia ista necesse est obscurari, nec apparere, & in virtutes, tãquam in solis radios incurrere.

Metelli vitam negant Stoici beatiorem quàm Reguli, præponendam tamen: nec magis expetendam, sed magis sumendam, &, si optio esset, eligendam Metelli, reijciendam Reguli.

Ego

Ego beatiorem hanc appello, nec vllo minimo momento plus ei vitæ tribuo, quàm Stoici. Quid intereſt, niſi quòd ego res notas notis verbis appello, illi noua nomina quærunt, quibus idem dicant.

Qui doces (idem Tullius) paratiorem me ad contemnendam pecuniam fore, ſi illam in rebus præpoſitis, quàm ſi in bonis duxero? fortioremque in patiendo dolore, ſi eum aſperum & difficilem perpeſſu, quàm ſi malum dixero? Reijciendum aſperum, contra naturam, difficile perpeſſu, triſte, durum; hæc copia verborum eſt, quod omnes, vno verbo malum appellamus. 4. de fini.

In eandem ſententiam Sanctus Auguſtinus, ſed pleniùs, & preſsiùs. Quid intereſt, vtrum aptiùs bona vocentur, an commoda; dum tamen, ne his priuetur, non minus Stoicus, quàm Peripateticus paueſcat, & palleat, non æqualiter appellando, ſed æqualiter æſtimando? Quę mala, Stoici Philoſophi miror qua fronte mala non eſſe contendunt, quibus fateantur, ſi tanta fuerint, vt ea ſapiens vel non poſsit, vel non debeat ſuſtinere, cogi eum mortem ſibimet inferre, atque ex hac vita emigrare: nam efficitur non ſolum mala, ſed intolerabilia mala exiſtere. Vnde tantus ſuperbiæ ſtupor eſt in his hominibus, hic ſe habere finem boni, & ſeipſis beatos fieri putantibus; vt ſapiens illorum, qualem mirabili vanitate deſcribunt, etiamſi excæcetur, obſurdeſcat, obmuteſcat, membris debilitetur, doloribus crucietur, &, ſi quod aliud talium malorum dici, 9. de Ciui. c. 4. 19. de Ciuit. 4.

aut cogitari poteſt, incidat in eum, qui ſibi mortem cogatur inferre. Hanc in huiuſmodi malis vitam conſtitutam eos non pudeat beatam vocare? O vitam beatam, quæ vt finiatur mortis quærit auxilium. Fortè hic erat quoque Stoicorum error, vt hominem vna ſui parte cenſerent, Anima, non corpore; ſolumque animi bonum ſpectarent, non corporis. Tunde, aiebat ille, Anaxarchi manticam: nam Anaxarchum non percutis.

Cum homo non tantum anima, ſed & corpore conſtet, à quo plurimum pendet animus in functionum ſuarum ac potentiarum vſu, cumque corporis ægritudo & dolor in animum quoque tranſeat, eumque debilitet & varie afficiat, non ſatis eſt ſi animo virtus inſit, niſi & ſua corpori conſtet, integritas ſenſuum ac membrorum, valetudo, robur, & cætera virium animi ac functionum adiumenta. Tum verò negari non poteſt, quin & amicitia, & virorum proborum conuictus ac ſocietas per ſe ſit expetenda, & in bonis numeranda. Inſtitutio & doctrina, per quam maximè virtus paratur haud exiguum eſt animi bonum. Sed externorum quoque bonorum commoda vitæ hîc ſuſtentandæ neceſſaria ſunt, &, ſi quis rectè vtatur, exercendæ, atque excolendæ virtutis inſtrumenta. Non poteſt hæc vita ſine cibi, potus, ſomni, quietis, exercitationiſque præſidio commodè traduci; quamquam præponderet velut in immenſum virtus, & ad benè beateque viuendum maximum pondus


habeat.

habeat. Quod dicunt Stoici; Virtutem sufficere ad beatam vitam, sed non ad vitam; Sapientem se contentum esse ad beatè viuendum, sed non ad viuendum (ad hæc enim multis illi opus est, non tantùm animo sano, & erecto, ac despiciente fortunam) Paradoxum est intellectu difficile. Nam qui constare potest beata vita, si non constet ipsa vita? si fundamentum subruat, quomodo subsistent parietes, & stabit impositum tectum?

Quod si vita præsens tota referatur ad alteram, quam à Deo, piorum operum remuneratore, speramus, quam rectè factis promereri contendimus; si ex illa futuræ beatitudinis regula bonorum malorumque discretio fiat, tum in bonam partem Stoicorum dicta licebit interpretari; cuiusmodi est & illud Ambrosij: Nihil bonum scriptura, nisi quod honestum, asserit, virtutemque in omni rerum statu beatam iudicat, quæ neque augeatur corporis bonis, vel externis, neque minuatur aduersis. Hæc eodem sensu non planè erit improbanda, quam Aristo Chius, Pyrrhus, & alij inducebant, indifferentia; qui ita in sola virtute & vitio omnia ponebant, vt, rerum delectu sublato, cætera pro nihilo haberent, & inter optimè valere, & grauissimè ægrotare, nihil prorsus dicerent interesse. a. de finib.

Ad idem pertinet, quod scribit Seneca; Ep. 82. Omnis res, quæ non habuit decus, additâ virtute sumit. Cubiculum lucidum dicimus, quod idem obscurissimum est nocte; dies

illi lucem infundit, nox eripit; sic istis, quæ à nobis indifferentia dicuntur, diuitijs, honoribus, regno; & contra morti, exilio, malæ valetudini, dolori malitia aut virtus dat Boni, vel Mali nomen. Hæc ore ac verbis Senecæ, velut à veritate expressa sententia. Sed de extremo fine nostro, & adiumentis ad eum comparandum vberius differentem Sanctum Ignatium, Christianæ Philosophiæ non postremum ducem & doctorem, audiamus.



CAPVT



CAPVT XI.

Principium, seu fundamentum Exercitiorum S. Ignatij; & de rebus, quibus fruendum, vel vtendum.

CReatus est homo ad hunc finem, vt Dominum Deum suum laudet, & reuereatur, eique seruiens tandem saluus fiat.

O principium nunquam animo memori deponendum, ex quo rerum eligendarum, atque agendarum conclusiones saluberrimæ deducantur! Principium omnis boni consilij, sanæque ac rectæ electionis scopus, ad quem omnia vitæ studiorumque nostrorum instituta referantur! Ergo Dominus Deus noster, Creator, idem est finis noster extremus, summumque bonum, cuius adipiscendi causa conditi sumus, adde,& per Christum redempti, cæterisque tum naturę, tum gratiæ beneficijs affecti, ac donis instructi; vt eum cognoscamus, timeamus, amemus, adoremus, ei nos subijciamus, obsequentes diuinæ eius legi,parentes animo propenso, prouidentię, ac voluntati rebus in omnibus acquiescentes: tum demùm, in alterâ vitâ immortali, qua velut mercede rectè factorum ab eo cumulabimur, eo clarè viso plenè ac perfectè possesso perfruamur, ac potiamur.

Reuereri

Reuereri Deum, idem est, quod humiliare se summè coram Deo, suppliciter illum adorare, seruire, λατρεύειν. Ex amore, ac timore mixtus est reuerentiæ affectus; ex quo illi delata laus attributorum eius potentiæ, sapientiæ, ac bonitatis infinitæ, clementiæ, iustitiæ, benefactorum deprædicatio, gratiarum actio, adoratio, deuotio, omnesque Religionis actus Numini eius, accedunt gratissimi. Atque hęc est inchoata quædam Dei fruitio, ac possessio quoad patitur vitæ huius mortalis conditio, quoad se porrigere potest virtutum Christianarum Fidei, Spei, & Charitatis, Religionis, Humilitatis, Obedientiæ, cæterarumque exercitatio. At perfecta Dei possessio, visioque clara, & quæ eam consequetur omnium bonorum complexio, seclusis omnibus malis, alteri demum vitæ reseruatur. Frustra Beatam vitam Philosophi hic quæsierunt frustra illā ὁμολογίαν, ἀπάθειαν, consummatam & perfectam sapientiam ac virtutem Stoici sibi depinxerunt; quæ demum in alterâ vitâ tanquam merces virtuti hac in vitâ, ne dicam ęrumnosissimę, certè laboriosissimæ, rependetur. Reliqua supra terram sita, creata sunt hominis ipsius causa, vt eum ad finem creationis suæ prosequendum iuuent. Sola natura rationalis, vti iam dictum est, finis vltimi capax est, beatitudinis, si eum assequatur, miseriæ, si ab eo excidat; cæteræ expertes rationis ab homine intelligente ad eum finem dirigendę sunt; vnde sequitur vtendum illis, vel abstinendum eatenus esse, quatenus ad consequutionem finis, vel con-

ferunt,

ferunt, vel obsunt. En certissimam amussim & regulam, pænes quam diiudicetur, quæ res in bonis numerandæ sint, nimirum quæ ad propositi finis assequutionem conferunt; quę secus in malis, nempe quæ obsunt, vel nihil conferunt, inutiles, ideoq; malæ quia otiosę. Neque verò vlla est, etsi minima creatura, quæ non homini adminiculo esse queat ad cognoscendum & amandum Deum; Nulla enim res est, in qua non extat aliquod Dei vestigium, non eluceat Diuina, virtus, potentia, bonitas, sapientia: nulla, quę non in numero, pondere, mensurâ condita sit; quę non suam habeat speciem, formam, modum, ac statum, ordinemque, quo sit inter cæteras optimè digesta ac collocata.

Iam si quæ potest in rebus indifferentia mente præcogitari, ea demum est priusquam illæ ad extremum referantur & comparentur finem, nec perperam dictum est à Socrate, summam esse sapientiam, bona malaque distinguere, factâ collatione cum vltimo fine, & habita ratione eius, qui sibi finem habet propositum; nam euenire potest, vt vni bonum comparatione finis eiusdem, alteri malum existat; vni seruiat opportunè ad assequendum, alteri obstet, sitque non adiumento, sed impedimento. Quapropter ait S. Ignatius, debemus absque differentia nos habere circa res creatas omnes, vt illæ quidem libertati arbitrij nostri subsunt, & non sunt prohibitæ (Nam quibusdam, interiecto voto, aut speciali lege, poterunt esse prohibitę) ita vt, quod in nobis est, neque diuitias paupertati, neque honorem Senec. Ep. 71.
contem-

contemptui, neque vitam longam breui præferamus, sed consentaneum est ex omnibus ea demum, quæ ad finem ducunt, eligere, ac desiderare. Non vulgaris ea sanè virtus, nec multis perspecta sapientia. Quare fundamentum hoc idem fastigium, ac culmen omnis perfectionis censeri queat: nempè, quod aiunt Philosophi, id quod primum est in intentione, postremum est in executione.

Ps. 138. 12. Ad huncindifferentiæ perfectæ peruenerat apicem S. Iob, vti demõstrat S. Aug. illum versiculum explicans: *Sicut tenebra eius, ita & lumen* " *eius*. In hac nocte, in hac mortalitate vitæ hu- " manę habent homines lucem, habent homines " tenebras; lucem prosperitatem, tenebras ad- " uersitatem; sed vbi venerit Dominus Iesus, " & habitauerit animam per fidem, & promise- " rit aliam lucem, & inspirauerit & donauerit " patientiam, & monuerit hominem non de- " lectari prosperis, ne frangatur aduersis; inci- " pit homo fidelis indifferenter vti mundo isto, " nec extolli quando res prosperæ accedunt, nec " frangi quando res aduersæ sunt, sed vbique " Dominum benedicere, non solum quando " abundat, sed etiam quando amittit; non so- " lum quando sanus est, sed etiam quando ægro- " tat, vt sit in illo vera ista cantatio; *Benedicam* Ps. 33. 2. *Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo*. Totum hunc commentarium exscriberem nisi me reuocaret breuitas mihi proposita; suffecerint quæ ad extremum habet, Iam " non nouimus malum, nisi offendere Deum, & " non perduci ad illa, quæ promisit; nec n ouimus bonum, nisi promereri Deum, & perduci

duci ad illa, quæ promittit. Quid illa bona ,,
mundi huius, & mala mundi huius? Indiffe- ,,
renter habeamus, quia iam susceperi ab vtero ,,
Matris nostræ Babyloniæ, cuius vterus con- ,,
suetudo, indifferenter ea habentes dicimus; ,,
Sicut tenebræ eius, sic & lumen eius. Nec fæli- Psa. 138.
citas huius sæculi nos beatos fecit, nec aduersi- 12.
tas miseros. Opus est iustitiam tenere, fidem ,,
diligere, sperare in Deum, diligere Deum ,,
& proximum. Post istos labores habebimus ,,
indefessam lucem, habebimus diem sine occa- 1. de doct.
su. Transit quicquid est in ista nocte lucidum, Christ. 22.
& tenebrosum. Huc pertinet communis illa 31. 32.
Magistri, ac Theologorum ex S. Augustino 11. de ciuit. 15.
sumpta rerum omnium diuisio. Res aliæ qui- l. 15. 10.
bus fruendum, aliæ quibus vtendum; quæ de Trinit. c. 10. &
eadem est diuisio, ac finis & mediorum. Solo 11.
Deo fruendum, qui solus animum ad suam
imaginem conditum, cum sit infinitę capaci-
tatis, explere potest; cæteris rebus vtendum
tanquam vehiculis quibusdam, & adminiculis,
quibus ad Deum perducamur. Ex vsu linguæ
Latinæ Frui, est fructum capere ex re aliqua,
siue ad vlteriorem finem referatur, siue secus;
Vti, est assumere rem quampiam propter aliud
siue voluptas ex ea re capiatur, siue non; Ex
vsu tamen S. August. & Theologorum, Frui
est propriè re aliqua delectari propter seip-
sam, ita vt voluntas amantis in ea conquies-
cat tanquam fine extremo, & summo bono;
Vti est rem propter aliud, quo sit fruendum,
in operationem assumere, siue res ea delectet,
siue non; dummodo in ea tanquam fine vltimo 1. de doct.
non conquiescat. Quare S. August. ait ho- 22.
minem

minem, nec se, nec alio quopiam frui debe-
re, sed vti tantummodo, quia nec se, nec alium propter se diligere debet, sed omnem tum sui, tum proximi amorem referre ad incommutabile bonum, Deum Opti. Maxi.
Ierem. 17.5. *Male ictus qui spem ponit in homine*. Præuaricatorum Angelorum, & primorum Parentum ea superbię ruina fuit, quod seipsis frui voluerint, inspecta pulchritudine sua; & non illud totum naturæ suę bonum, quo delectabantur, mox in Deum Authorem retulerint, qui bonum in illis naturæ superadiecta gratia cumularat, ad quam illi non aduerterunt. In eo peruertitur humanum omne officium, si rebus, quibus vtendum est, frui velimus, & è contra, vti, quibus fruendum. Nec est alia,
11. de Trinitate. 10. inquit, S. August. hominum vita vitiosa, & culpabilis; quàm malè vtens, & malè fruens. Bonorum igitur è contra vita laudanda & expetenda, bene vtens mundo, & benè fruens Deo.

CA-



CAPVT XII.

Sola virtus sufficit ad Beatam Vitam, satis habet præsidij ad bene beatéque viuendum sensu Christianorum, non Stoicorum.

PRæclara laus ea virtutis & commendatio, vt à Christianis quidem explicatur, vera est ac germana; vt à Stoicis, falsa ac fucata; quare verbis conuenimus, sententijs dissentimus: nam Beatam vitam, non intelligimus præsentem temporariam, quæ tota est in fluxu, ac decursu, nusquam sibi cohærens, ac constans, varia semper & incerta, pluribus malis quàm bonis referta, sed futuram expectamus æternam, permanentem, stabilem, sui semper similem, atque æquabilem, omnibus bonis cumulatam, absque vllo malo, ad quam vna ac certa ratio perueniendi, virtus est Christiana. Habet virtus satis præsidij ad bene hic, honestè, iustè, & sanctè viuendum, & quoniam illi debetur æterna merces beatæ vitæ, mox ad beatè viuendum in æternitate atque immortalitate ipsius quoque corporis Dei beneficio exsuscitati; sed non habet satis præsidij ad vitam hic beatam in præsentiâ, & mortali corpore præstandam; Quemadmodum

dum qui viam insistit, atque in motu versatur, etsi rectè ac constanter ambulet, nondum tamen attigit metam, & quietem; ita qui perfecta etiam virtute fungitur, nondum beatâ vita fruitur, ad quam ducit. Virtus etiam perfecta & absoluta, via est dumtaxat, non meta beatæ vitę. *Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino*, nec adhuc eum cernimus, ac tenemus; sed adspiramus ac tendimus ad eum: non re, sed spe beati sumus, totaque felicitas huius vitæ in eo sita, quod ad felicitatem alterius vitæ contendat, ac perducat; quod ex Dei munere, certissimoque promisso eam rectè factis promereatur; quod exercitationi virtutum hac in vita præsenti tanquam merces in altera vita futura summi boni fruitio debeatur. Vtimur itaque hac vitâ, perfruemur altera; Vtimur hic virtutibus, illic virtutum præmio potiemur; Versamur hic in contentione, ac cursu ad brauium auferendum, in acie ac pugna ad victoriam & triumphum reportandum, in fatigatione ac labore ad quietem consequendam, hic probamus nos Deo, varieque ab eo exercemur, vt probati in æternum eius regnum adsciscamur, & beatæ vitæ corona donemur, hic miserijs atque ærumnis æternas mercamur ac comparamus fælicitates, pro mæstitia lætitiam, pro ignominia gloriam, pro morte vitam relaturi. Neque verò parum aptè dixit S. August. Sæculi homines infæliciter fælices 'sunt, Martyres autem fæliciter infælices; 'erant enim ad tempus infælices, sed in ęternum 'fælices; sic omnes pij in ærumnis politi fæli- citer sunt

2. Cor. 5. 6. 7.

in Ps. 86.

citer sunt infælices; & qui bonis huius vitæ circumfluunt improbi, summâ cum infælicitate sunt fælices; fæliciter infælix fuit Lazarus mendicus vlcerosus, & infæliciter fælix diues Epulo, qui suas epulas cum æternâ flammâ commutauit. Breuiter quò laboriosior ac miserior hæc vita præsens, si quis pius ea rectè vtatur, eò beatior existit, non in re, sed in spe. Circumfluant in hanc vitam omnia, quæ Peripatetici mala, Stoici dicunt aspera, reijcienda, incommoda, morbus, paupertas, exilium, orbitas, debilitas, dolor, ignominia, non officient virtuti, sed proderunt ad vitam æternam promerendam, non erunt bene vtenti mala, & incommoda, reijcienda; sed bona, commoda, præponenda, & eligenda. Quò vberior copia miseriarum, eò & amplior meritorum, ac præmiorum seges.

Sit idem Christianus Sapiens instar Tobię cæcus, exul, egens, debilis; instar S. Iob orbatus omni prole, in egestate summa, grauissimo vlcere coopertus, desertus ac derisus à suis omnibus, in sterquilinium redactus; tamen spe & expectatione beatæ vitæ se consolabitur, eaque certa spe & expectatione beatus erit. *Non contristabit iustum, quicquid ei acciderit.* Erit animo pacatus, ac tranquillus, in humilitate ac subiectione, Diuinique Numinis acquiescens prouidentia. Prou. 12. v. 21.

Est quidem virtus per se honesta, laude digna, & expetenda, detracta omni alia vtilitate, quam secum ipsa non afferat, sine vllis pręmijs fructibusque externis; sed non sine eo fructu, qui virtuti innatus est atque inter-

nus, ſine ea vtilitate, quæ ſciungi non potest, qua nos Deo Authori noſtro, & rectæ rationi congruos, & conſentaneos reddit; fructus officij, ipſum officium eſt, quia decet, quia rectum, quia honeſtum, quia naturæ rationali, quæ tota refertur in honorem Conditoris ſui, conſentaneum. Cuius animum inſedit vera virtus, eum Deo ſubmittit; tum ſecúm, ac cum proximo congruenter adaptat; quę laus magna eſt Dei Conditoris, à quo natura rationalis ad eum modum eſt inſtituta, ac finem, varijſque tum naturæ, tum gratiæ præſidijs inſtructa, quibus ad tam præſtantem perfectionis apicem perduceretur.

Non alium ob finem expetitur atque exercetur Chriſtiana virtus, quàm vti nos Deo fini noſtro adiungat, aut ad eo fruendum idoneos reddat, ac comparet. Virtutes Theologicę, Fides, Spes, Charitas, & ijs annexa Religio, Humilitas, Obedientia, Deo nos adiungunt. Morales, Prudentia, Iuſtitia, Temperantia, Fortitudo, nos ad id munus comparant; dum ſecluſis erroribus, affectibuſque moderatis animum vacandum Deo liberum atque idoneum reddunt; quamquam & morales, infuſæ ſint in nobis altioris Diuiniqúe Ordinis, dum ratio illuſtrata fide pręſcribit, quid Chriſtianos, amicos Dei, filios & hęredes regni eius cęleſtis agere ſit rectum, & conſentaneum, ad optimi ſui Conditoris, & Patris gloriam; acquiſitæ verò non ſe vltra limitem rectæ rationis, atque humanam proferant honeſtatem. Cæterum, quibuſcumque virtutibus vtendum eſt, vti monet ſapiens. *Quibus*

vtilius

vtilius nihil est in vita hominibus. Minimè verò fruendũ,cum non sint ipsæ summũ bonum nostrũ,nec finis extremus; Esto sint ipsa via certissima, atque vnica ratio eius assequendi; imò verò & ipsa adeptio, & possessio; quod de operatione perfectæ virtutis tradidit Aristoteles; Beatitudo formalis (non tamen obiectiua, quæ Deus est) finis quo, vti loquuntur, qui distinguunt accuratius, non cuius gratia: hic enim finis cuius gratia, Deus est, vt ipse homo est finis cui, seu subiectum, & causa materialis, non effectiua beatitudinis; quæ omnia apud externos Philosophos confusa sunt. Apud nos, vno Deo fruendum, cæteris omnibus vtendum; quod non ita per se principaliter amandæ sint virtutes, vt excludatur finis vlterior, & totus amor in ijs defigatur; sed sunt ad Deum auctorem, remuneratorem, obiectumque suum primarium, scopumque, ac finem vltimum dirigendæ. Demus Stoicis summum Bonum in animo constituendum esse, qua parte homo cæteris animantibus excellit; demus cęteras, quas enumerant, virtutis prærogatiuas; quod nostri sit arbitrij, nec casu detur, aut adimatur; quod nulla vis excutiat, casus aut fraus subducat; quod non perueniat ad indignos, & malos; quod eiusmodi sit bonum, quo quis malè nequeat vti, nec deterior vnquam euadat; quæ & aliæ prærogatiuę virtutis haud reijciendæ sunt, pręter illam, quod nostri sit arbitrij, si solius intelligas, & Diuinam beneficentiam atque opem secludas, à qua maximè nobis virtus prouenit; non efficiunt Sap. 8. v. 7.

tamen, vt virtus sit ipsa summum bonum; Deo eius auctore ac fine secluso. Et quis non intelligat, ipsam virtutem sibimet finem esse non posse; cum ad subiectum quoque suum, hominem nempe, perficiendum atque ornandum referatur? Itaque virtus hominis causa comparatur, nec in eam fertur amor beneuolentiæ, sed concupiscentiæ; cum sit bonum expers vitæ, atque intelligentiæ. Iam verò multò minùs efficiunt eę prærogatiuæ, vt sola virtute constet beata vita; cum pręsentes ærumnas atque miserias, quibus in hoc mortali corpore cōflictamur atque immergimur minimè secludat, nec ea, quæ dicuntur prima naturæ, semper conferat. Qua de re copiosissimè S. August. aduersus Peripateticos, quæ eadem valent aduersus Stoicos,
19. de ciuit. 4. solis verbis discrepantes. Quis enim dolor
« contrarius voluptati, quæ inquietudo contra-
« ria quieti in corpus sapientis cadere non po-
« test? Membrorum certè amputatio, vel debi-
« litas hominis expugnat incolumitatem, de-
« formitas pulchitudinem, imbecillitas sanita-
« tem, vires lassitudo, mobilitatem torpor,
« ac tarditas: Status quoque corporis atque
« motus, cum decentes sunt, & congruentes,
« inter naturę prima numerantur. Sed quid si
« aliqua mala valetudo membra tremore concu-
« tiat, si vsque ad ponendas in terram manus
« dorsi spina curuetur, & hominem quodammo-
« do quadrupedem faciat?
« Quid ipsius animi primigenia, quæ ap-
« pellantur bona, vbi duo ponunt propter
comprehensionem perceptionemque veritatis
sensum,

ſenſum, & intellectum; quid ſi quis efficiatur „
cæcus, & ſurdus, & ex morbo etiam inſa- „
nus, ſi phreneſi laboret, ſi dæmonum pa- „
tiatur incurſus? Denique perceptio verita- „
tis qualis & quanta eſt in carne, quando legi-
mus; *corpus enim quod corrumpitur, aggrauat* Sap. 9.
animum, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum v. 15.
multa cogitantem? Impetus, vel actionis appe-
titus, græcè ὁρμή, quem & primis naturæ de-
putant bonis, nonne & qui geruntur inſano-
rum illi miſerabiles motus, & facta, quæ
horremus, quando peruertitur ſenſus, ratio-
que ſopitur? Quis inter has ærumnas beatæ
vitæ locus eſſe poſsit? Quid præſidij virtus ad
eas omnes tolerandas, aut potius extermi-
nandas à beata vita conferre poſsit? Quid ad
hæc Peripatetici, vel Stoici, qui nullam niſi
præſentem vitam beatam agnoſcerent? niſi
fortè illam animi ſui confidentiam, & ſecu-
ritatem opponant, quam appellant εὐθυμίαν
tranquillitatem, quæ ſit ipſa beata vita; ſed
qui poteſt cum hiſce tot incommodis, ne di-
cam externis malis, conſiſtere? An non eſt ſu-
perbiæ plena præſumptio, quæ tantum abeſt,
vt ſit virtus, ac beata vita; vt illi plurimùm
officiat; *Quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus* 1. Pet. 5. v. 5.
autem dat gratiam, Animique perfectam pa-
cem & tranquillitatem? At verò Chriſtianis
expedita eſt ratio, qui beatam vitam expe-
ctant, immortalem, omnibus malis liberam,
omnibus bonis cumulatam, & præſentis vitæ
damna, atque incommoda in illius futuræ
lucra atque emolumenta conuertunt. Quare
etſi deficiant omnia, quæ in primis naturæ

bonis numerantur, modò Dei gratia, veraque virtus, Fides, Spes, Charitas, Religio, Humilitas, atque Obedientia aduersus Deum non desit, sola erunt virtute contenti, sola virtute beati, simul, inquam, vt dictum est, & miseri & beati, quoque miseriores, eò beatiores, certa spe atque expectatione futuræ beatitudinis. Sed ad August. redeamus. Porrò ipsa virtus; quæ non est inter prima naturæ, quoniam eis po-
" stea doctrina introducente superuenit, cum
" sibi bonorum culmen vindicet humanorum;
" quid hic agit, nisi perpetua bella cum vitijs,
" nec exterioribus, sed interioribus? nec alie-
" nis, sed planè nostris & proprijs? Prudentia,
" quæ bonæ discernit à malis, aut nos in malis,
" aut mala in nobis esse testatur. Temperantia,
" quæ refrænat libidines, ne mens in flagitia
" consentiat, quamdiu viuimus, in intestino
" bello nos esse proclamat, & ad æternam pacem,
" & victoriam adspirare, quâ demum consta-
" bit beata vita. Iustitia, cuius est sua cuique
" tribuere, vnde efficitur iustus ordo naturæ,
" vt anima subdatur Deo, & animę caro, &
" per hoc & anima & caro Deo; nonne demon-
" strat se in hoc opere adhuc laborare potius,
" quàm in huius operis fine requiescere? Tantò
" minùs anima subditur Deo, quantò minùs
" Deum in ipsis suis cogitationibus concipit; &
" tantò minùs animæ subditur caro, quantò
" magis aduersus spiritum concupiscit. Quam-
" diu ergo nobis inest hæc infirmitas, hæc pestis,
" hic languor, quomodo iam salui? Et, si non
" salui, quomodo beati? Fortitudo euidentissima est testis malorum, quę compellitur

patien-

patientia tolerare. Quæ mala, vt ſupra, intolerabilia cogunt ſapientem Stoicum ſibimet manus adferre, atque de hac Beata vita decedere. Exigit ſanè Beata vita, quæ nomen id propriè mereatur, vt ſit ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, in quo nihil ſit, aut eſſe poſsit mali, aut aſperi, quod naturæ rationali repugnet. Nam ſi quid patiatur mali, non quieſcit; ſed emergere nititur, & ad alium tranſire ſtatum, qui ſit expers omnis mali. Ob eam cauſam Beata vita debet eſſe ſempiterna, & de ipſa æternitate ſecura: nam quò maius eſt ipſa bonum, eò maius malum foret id amittere, aut in perpetuo eius amittendi metu, ac periculo verſari. Quies & ſatietas in omnium bonorum aggregatione, eſſe non poteſt, niſi adſit ſecuritas ea bona nunquam amittendi, aut vlla ex parte imminuendi. Teſtis hic nobis prodeat ipſe Tullius, ſolo lumine naturæ ac rationis illuſtratus, qui aduerſus Stoicos æquè, ac Epicureos, & omnes omninò Philoſophos, ſeque ipſum pro veritate teſtimonium dicat. Si amitti vita Beata poteſt, beata eſſe non poteſt. Quis enim confidat ſemper ſibi illud ſtabile, & firmum permanſurum, quod fragile ac caducum ſit? Qui autem diffidit perpetuitati bonorum ſuorum, timeat neceſſe eſt, ne aliquando amiſsis illis ſit miſer. Beatus autem eſſe in maximarum rerum timore nemo poteſt: neque enim in aliqua parte, ſed in perpetuitate temporis vita Beata dici ſolet; neque appellatur omninò Beata vita, niſi confecta atque abſoluta. Nec poteſt quiſquam aliàs beatus eſſe, aliàs

miser; qui enim exiſtimabit ſe poſſe eſſe miſerum, beatus non erit. Cum ergo omnis virtus vitæ, tametſi perfectiſsima, ſecuritatem eam minimè conferat; cum imminui, ac deperdi poſsit; ſatis apparet, nec ipſam eſſe beatam vitam, nec eius efficiendæ ſolam, ſufficientemque cauſam. Vnde enim de ipſa virtute non amittenda, aut non imminuenda ſecuritas? Omnis noſtra virtus, quæ hîc quidem obtinetur, inchoata eſt, & imperfecta; vt de ea ſemper tuenda, atque augenda ſollicitus ſit animus: quare per eam perfecta pace ac tranquillitate non potietur.



CAPVT.



CAPVT XIII.

An Deo seruiendum sit mercedis intuitu?

EX dictis id videtur consequi; cum beata vita sit expectanda à Deo virtutis remuneratore, & ille eam nobis conferat tanquam mercedem, vitę hîc honestè ex virtute traductæ. Contra, videtur virtus per se expetenda, & tantus esse splendor honestatis, vt per se alliciat, mercede non indigeat. Amor Dei gratuitus retributionem non quærit. Vt hic nodus dissoluatur, adhibenda distinctio est mercedis, quæ ex Dei cultu, & seruitute queat expectari: aut enim merces illa est ipse Deus: aut, quod eodem recidit, operatio, quâ Deo iungimur, visio & fruitio Dei: aut aliquid præter, & extra Deum. Priori modo fatendum est, posse nos, & debere seruire Deo mercedis intuitu. Tantum abest, vt id sit hominum imperfectorum (quod obijciunt Hæretici) vt sit maximè perfectorum, in quibus Spes Theologica virtus, præcipuè excellit; quæ est expectatio futurorum bonorum ex Dei gratia & bonis operibus.

Rectus ordo postulat, vt media in finem referantur: finis autem cultus Dei, & seruitutis in hac vita ei delatæ, est vita æterna. Tota

vita

vita nostra tendit in eam beatitudinem. Non foret ordinata Dei seruitus & vita nostra, si in eum finem minimè referretur. Tales Dei cultores in sancta scriptura perfectissimi quiq; recensentur: Abraham, cui Deus ait. *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis*. Moses, de quo ad Hebræos; *Aspiciebat in remunerationem*. Dauid. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas &c. propter retributionẽ*. Apost. Paulus. *Reposita est mihi corona iustitiæ Propter spem, quæ reposita est vobis in cælis*. Denique Princeps Apostol. omnium nomine. *Ecce nos reliquimus omnia &c. quid ergo erit nobis*? Quare quod inculcant SS. PP. Deum gratis amandum & colendum cum exclusione mercedis ac præmij, intelligitur de alia mercede extra Deum aut de mercede temporali, non æterna. Noli ad præmium diligere Deum, ipse sit præmium tuum, August. Gratis ametur, vt operis, quo ministratur illi, pretium sit, esse cum illo. In psalm. 72. vult à Deo non aliud præmium expectandum, quàm ipsum Deum. *Quid enim mihi est in cælo & à te*, id est præter te, *quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea, Deus in æternum! Clamaui ad te Domine: dixi, Tu es spes mea, portio mea, in terra viuentium*. Quid enim dabit amanti se, nisi se? Item conc. 11. in ps. 118. Ita vult nos gratis Deum colere, vt Deum non colamus, nisi propter Deum, vt sui cultus ipse sit merces. In Ps. 134. Hoc est " gratis amare, & sic amare debemus, vt ipsum " pro mercede desiderare non desinas, qui so- " lus te satiet. Serm. 100. de diuersis: Gratis ame- " mus. Dominũ enim amamus, quo nihil melius inueni-

Gen. 15. v. 1. Hebr. 11. v. 26. Ps. 118. v. 112. 2. Tim. 4. v. 8. 1. Coloss. 1. v. 5. Matth. 19. v. 27. Tract. 3. in Io. 8. 51. Ps. 72. v. 25. & 26.

inuenimus. Ipsum amemus propter ipsum, & nos in ipso, tamē propter ipsum. quibus verbis explicat, quid sit gratis amare. Amat Deum gratis, qui in amore Dei, pręter, & extra Deum nihil quærit. Sed de casto Dei amore pluribus alio libro, cuius ille bona pars tituli est, & argumenti. Nihil diuersum à S. August. tradit S. Bernardus libro de diligendo Deo, cap. 3. & serm. 83. in Cant. Verus amor se ipso contentus est, habet præmium; sed id quod amatur; non requirit præmium, quod nempe sit diuersum à Deo, & infra Deum. Posteriori igitur modo, si mercedis nomine aliquid extra Deum intelligitur, non licet Deum intuitu mercedis colere: nam magna fieret iniuria illi summo Bono, si quid ei tanquam præstantius anteponeretur. Non foret ea laudanda, sed vituperanda, & vitiosa Dei dilectio, turpis foret, non honesta, quæ Deo velut medio ad alium finem vteretur; sordida foret, mercenaria, indigna Deo, damnata in scripturis; de Hypocritis Matth. 6. *Receperunt mercedem suam.* Matth. 6. v. 5.
de Sacerdotibus Mosaicis. Malach. 1. *Quis est in vobis qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuito?* cap. 3. v. 14. *Dixistis: Vanus est, qui seruit Deo: & quod emolumentum, quia custodimus præcepta eius.* &c. In quem locum Hieron. Malach. 1. v. 10.
In præsenti sæculo mercedem pro Dei exigunt seruitute, ideo non recipiunt. Solet à subtilioribus Theologis in quouis amoris actu duplex eius ratio, & veluti duplex actus distingui, concupiscentiæ, respectu boni, quod optamus; & beneuolentiæ, respectu subiecti, cui illud bonum optamus. Quare cum nobis Deum Opt.

Max.

Ma. aut eius visionem & fruitionem optamus, videri possit comparatione Dei amor esse concupiscentiæ, nostri autem beneuolentiæ; sed cum amor noster, si est ordinatus, oriatur ex amore Dei, ad eumque tanquam ad finem referatur, amor omnis concupiscentiæ aduersus Deum oriri debet ex amore beneuolentię eiusdem; quodque nobis bene esse volumus, quod beatitudinem optamus, quod nos amamus, id ad Dei gloriã, & laudẽ, eiusq; in nobis amorem cumulandum referri debet. Quare gratis amamus Deum, cum nihil pręter ipsum amemus, cum & nostri ipsorũ amorem ad Deum referamus. Non enim nos ipsi nobis possumus esse vltimus finis, sed Deus ipse est vltimus finis, qui non referatur aliò, & ad quem omnia referantur.

Quæret aliquis, An propter immortalitatem, gloriam, sanitatem, aliaque corporis bona, quæ in futura vita expectantur, liceat Deo seruire? Respondetur, si ad illa bona, tanquam ad finem propriè dictum, referantur opera, quibus Deo seruimus, inordinatam esse eam seruitutem: nam oportet finem medijs esse præstantiorem. Est enim finis, optimum respectu mediorum: At bona corporis, quantumuis præstantia, longè sunt infra dignitatem iustitiæ, etiam imperfectæ, quâ Deo seruimus in hac vita; si non sit sermo de fine propriè dicto, sed bono quodam comitante & accessorio, quem finem secundarium vocant, cuius consideratio moueat ad colendum Deum, à quo tale bonum expectatur, tum licet colere Deum ob illa, siue sint æterna, siue temporalia bona; cuiusmodi

est

est sanitas, panis quotidianus, aëris temperies, pax, & tranquillitas Reip. quæ non sunt, nisi propter Deum petenda, & in Deum referenda; nec arguit imperfectionem iustitiæ huiusmodi rerum expectatio, nisi quando quis sine illis non diligeret Deum, aut non æquè, sed minus; quod Satan S. Iob exprobrat. *Nunquid Iob frustra timet Deum*? Alioquin posse illa à Deo expectari constat exemplo Abrahæ. *Domine quid dabis mihi? ego vadam absque liberis*. Et Iacob Patriarchæ. *Si fuerit Dominus mecum, &c.* Et ipsiusmet Christi Domini. *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem*. De mercede æterna definit Tridentin. Temporalia verò bona omnia constat à solo Deo postulanda atque expectanda. Quare sit hęc conclusio; Vnum Deum quęrendum, ac pro scopo habendum, tum in hac mortali vita, tum in altera futura immortali, auctorem & effectorem omnium hominum beatitudinis; siue quam hic assequi possint, inchoatam & imperfectam; siue, quam postea sperent, perfectam & consummatam. Solus enim Deus summum nostrum bonum tum præsentis, tum futuræ vitæ. Iam ab hac obiter interiecta breui digressione Theologica, regrediamur ad Stoicos.

Iob. 1. v. 9 Gen. 15. v. 2. Gen. 28. v. 20. Heb. 12. v. 2. Sess. 6. c. 11. & can. 31.

CAPVT



CAPVT XIV.

Hactenus irrepertum Sapientem Stoicum. De proficientibus, & de Sapientia Christianorum.

IN eandem vanitatem Stoici, & Pelagiani prolapsi sunt; & quemadmodum hi hominem posse esse absque peccato, neminem tamen fuisse, vel esse, vel etiam futurum esse dictitabant; sic illi Sapientem perfectum, & consummatum esse posse, neminem tamen hactenus repertum aiebant. De Stoico Sapiente Plutarch. Est verò nusquam gentium, terrarumve, neque fuit. Cicero: Stoici eam Sapientiam interpretantur, quam adhuc nemo mortalis est consequutus. Sed dissentit Seneca, aut secum ipsi pugnant Stoici. Scis quem virum bonum dicam? huius secundæ notæ, in classe proficientium; nam ille alter primę fortasse tanquam Phęnix semel anno quingentesimo nascitur. Et alibi. Non est quod dicas ita, vt soles, hic Sapientem nostrum nusquam inueniri. Non fingimus istud humani ingenij vanum decus, nec ingentem imaginem falsę rei concipimus, sed qualem conformamus, exhibuimus, & exhibemus. Rarò forsitan, magnisque ætatum interuallis inuenitur, neque enim magna, & excedentia solitum & vulgarem

De pugn. Stoico.

In Lælio

Ep. 42.

De constantia Sap. 7.

vulgarem morem, crebrò finguntur. Cæterum hic ipse M. Cato, à cuius mentione hæc disputatio fluxit, vereor ne suprà exemplar sit. Si supra exemplar Cato, qui sibi mortem consciuit, superbia victus, ne victori Cæsari daretur in triumphum, aut ne videretur ab eo salutem accepisse; si consimiles Stoici Sapientes, homines superbi, ac vitijs cooperti; Vana certè, fallax, ac falsa est ea Sapientia, fugienda, & execranda. Quemadmodum autem Pelagianos deridet Hieron. Cum ab eis » quærimus, qui sunt illi, quos absque peccato » putent? nouâ strophâ eludere cupiunt verita- » tem; se non eos dicere, qui sunt, vel fuerunt, » sed qui esse posśint. Egregij Doctores, dicunt » esse posse, quod nunquam fuisse demonstrant, » dicente scriptura. Omne quod futurum est, » iam factum est in priori tempore.

Ad eum modum derideri quoque possunt Stoici, qui fictitium Sapientem proponunt, cuiusmodi neminem vnquam fuisse confirment; cumque omnes, præter vnum Sapientem, stultos esse, & insania laborare contendant, se quoque stultitiæ, & insaniæ condemnent necesse est. Seneca de se veriùs, quàm sinceriùs ridebat. Epistola 50. Siquando fatuo delectari volo, non est mihi longè quærendus, me video. Iam qui virtutes omnes pares, & connexas; vitia item paria, ac colligata doceant; quî possunt in Sapientia ac beata vita proficientes statuere? Si neque in virtutibus, neque in vitijs oppositis sint gradus, differentesque modi, quis potest esse profectus, aut defectus? Primæ ille notæ Sapiens, quem doctum,

ctum & consummatum vocant, non est in rerum natura, nisi in scriptis & libris, in conceptione & imaginatione vanissima, instar Idearum Platonicarum. Est alius studiosus proficiens, seu procedens, in via Sapientiæ progrediens. Nostrum vitium est, qui quod dicitur de Sapiente, exigamus à proficiente inquit Seneca, apud quem proficientium duo
Ep.71. aut tria sunt genera. In ipsis Sapientiam sectantibus, magna discrimina esse fateamur necesse est. Alius iam tantum profecit, vt contra fortunam audeat tollere oculos, sed non pertinaciter; Alius in tantum, vt possit cum illa conferre vultum: si iam peruenit ad summum, etiam fiduciæ plenus est. Iterum, inter
Ep.75. ipsos proficientes sunt magna discrimina. In tres classes, vt quibusdam placet, diuiduntur. Primi sunt qui Sapientiam nondum habent, sed iam in vicinia eius constiterunt. Qui sunt hi, quæris? qui omnes iam affectus, & vitia posuerunt; quæ erant complectenda didicerunt: sed illis adhuc inexperta sui fiducia est. Iam ibi sunt, vbi retro non est lapsus; sed hoc illis de se nondum liquet. Iam contigit illis bono suo frui, nondum confidere. Secundum genus, est eorum, qui & maxima animi mala, & affectus deposuerunt, sed ita, vt possint in eadem relabi. Tertium illud genus extra multa, & magna vitia, sed non extra omnia. Quæ discrimina superbiam omnia redolent, & ad eius apicem, stultam sui fiduciam, deducunt; sed quis illis propior? an qui in primo, an qui tertio gradu versatur? Si rectè inspiciantur, tria nobis genera phreneticorum exhibent,
quibus

quibus cor obſcurauerit, & excęcauerit inanis ac ſtulta ſui confidentia. Nam cui poteſt homini liquere, depoſuiſſe ſe omnia vitia, & affectus? Quamquam nec affectus omnes ſunt vitioſi; ſunt enim multi virtutis, & pietatis affectus laude digni. Cui ſatis ex perta eſſe poteſt hæc tanta ſui fiducia? Quis verò non in eadem poteſt vitia ac peccata relabi pro liberi arbitrij poteſtate, & humanæ mentis inconſtantia, & imbecillitate? Si connexa ſunt vitia, quis poteſt eſſe extra multa, non extra omnia?

Iam quæ tradunt proficientibus præcepta, ex Demetrio videre eſt 7. de Benef. cap. 1. & 2. Non multum tibi nocebit tranſiſſe, quæ non licet ſcire, nec prodeſt; inuoluta veritas in alto latet (Sapientiam illam rerum humanarum ac diuinarum, quam nemo mortalis aſſequutus eſt, veluti condemnans vti ſuperfluam, minimeque neceſſariam) Nec de malignitate naturæ queri poſſumus, quia nullius rei difficilis inuentio eſt, niſi cuius hic vnius inuentæ fructus, inueniſſe. Quicquid nos meliores, beatoſque facturum eſt, aut in aperto, aut in proximo poſuit. Si animus fortuita contempſit, ſi ſe ſupra metum ſuſtulit, nec auida ſpe infinita complectitur, ſed didicit à ſe petere diuitias; ſi Deorum hominumque formidinem eiecit, & ſcit non multum ab homine timendum, à Deo nihil; ſi contemptor omnium, quibus torquetur vita, dum ornatur, eò perductus eſt, vt illi liqueat mortem nullius mali eſſe materiam, multorum finem; ſi ſociale animal eſt, & in commune genitus, Mundum vt vnam domum ſpectat, & conſcientiam

suam Dijs aperit, semperque tanquam in publico viuit, se magis veritus, quàm alios; subductus illis tempestatibus, in solido ac sereno stetit, consummauit scientiam vtilem ac necessariam. Reliqua oblectamenta otij sunt. Si singula quis excutiat hæc præcepta, non modò ad arrogantiam, & vanam sui præfidentiam, sed ad impietatem quoque, & atheismum multa spectare comperiet; cum & salutarem Dei metum, quo maximè pietas continetur, & ad mortem exitumque ex hac vita præparationem, quasi nihil à morte supersit, omnem ab animo sapientis ac proficiētis tollat.

Longè diuersa est Sapientia Christianorum, de sursum à Deo descendens, donum Dei eximium, vt eam describit S. Iacobus, diuersa, inquam, ab ea, quæ terrena est mundanorum, animalis Epicureorum, diabolica Stoicorum, quæ vel diuitijs & opibus conquirendis, vel carnis voluptatibus consectandis, vel ambitioni ac superbiæ inseruit; quæ triplicem comitatur concupiscentiam: oculorum,
Iac. 3. v. 17. carnis, ac superbiam vitæ; Sed, ***primùm quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis, consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis, non iudicans, sine simulatione.*** Imprimis pudica & casta. Primus hic color in imagine Dei per peccatum deformata, per sapientiam instauranda, pudicitiæ candor inducendus est, aduersus Epicureos. Pacifica deinde, contra Stoicos; cum Deo, cum proximo, cum seipso, per humilitatem, & charitatem. Modesta, moderata, modum seruans in suis functionibus, suadibilis in corrigendis erratis suis;

Bonis

Bonis consentiens, amando, promouendo, atque imitando aliorum opera bona; plena misericordia, compatiens malis proximi, eaque subleuans, quoad licet; plena fructibus bonis: misericordiæ operibus, eleemosynis, ieiunijs, vigilijs, & orationibus; non iudicans de alijs, iudicium non ferens suspicionis aut condemnationis, sine simulatione, aliena ab hypocrisi, sincera, recta intentione, nolens apparere sanctior meliorque, quàm re ipsa existat. Ecce præcepta proficientibus præ oculis semper habenda, veræ notæ Christianæ Sapientiæ, quæ & vulgaribus octo beatitudinibus, septemque Spiritus S. donis egregiè possunt accommodari. Ecce timor Domini; Iob.28. 28.
vel, vt legunt Septuag. Pietas ipsa est Sapientia, & recedere à malo, intelligentia. Verus Dei cultus, εὐσέβεια, θεοσέβεια, vti frequenter explicat S. August.

Qua ratione & explicari potest locus ille Prou.11. 12.
Prouerbiorum: *Vbi fuerit superbia, ibi erit & contumelia; Vbi autem est Humilitas, ibi & Sapientia*. Cum Animus insigni dono Timoris Dei, ac Pietatis ornatus, totum se subijcit ac substernit Diuinę Maiestati, supremâ eam latriâ venerans, atque ad omnia eius iussa atque imperata, adeoque consilia mox exequendam se promptissimum offert. Sapientia Christianorum est, nosse quæ ad Dei cultum & religionem pertinent: nosse te Deum, qui prima est, altissimaque rerum omnium causa, Ioan.17. v.3.
consummata est Sapientia. *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te, solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum*; quæ notitia

sapida est ab adiunctâ charitate, nihilque differt admodum ab humilitate Christianâ, animatâ atque informatâ charitate.

Si quis vberioris doctrinæ causâ requirit alia proficientium præcepta, mutuetur ea à S. Cypriano: Voluntas Dei est, inquit, quam Christus fecit & docuit, Humilitas in conuersatione, stabilitas in fide, verecundia in " verbis, in factis iustitia, in operibus miseri" cordia, in moribus disciplina, iniuriam facere " non nosse, & factam posse tolerare, cum fra" tribus pacem tenere, Deum toto corde di" ligere, amare in illo quod Pater est, timere " quod Deus est; Christo nihil omninò prępo" nere, quia nec nobis quicquam ille prępofuit, " charitati eius inseparabiliter adhærere, cruci " eius fortiter ac fideliter assistere, quando de " eius nomine, & honore certamē est, exhibere in " sermone cōnstantiā, quâ cōfitemur, in quęstio" ne fiduciā, quâ congredimur, in morte patien" tiā, quâ coronamur: hoc est cohęredem Christi " esse velle, hoc est pręceptū Dei tenere, hoc est vo" lūtatē Patris adimplere, hoc est per ōnes virtutū gradus ad sūmū perfectionis apicē attingere.

Cypr. de ora. Dom.

Sumat & illa ab eximio S. Humilitatis Magistro S. Franc. Asisinate. Cū septē primos fratres suos, quos aggregarat, in vniuersū orbē prædicaturos submittere pararet; Ite, inquiebat dulcis Pater ad filios, annuntiātes hominibus pacē prędicate pænitentiā in remissionē peccatorū. Estote in tribulationib⁹ patiētes, in orationibus vigiles, in laboribus strenui, in sermonibus modesti, & in beneficijs grati, quia pro his omnibus regnum vobis præparatur æternum.

CA-



CAPVT XV.

Perfectis quoque, quamdiu durat hæc vita, proficiendum.

CRitobulus, apud Hieron. partes Pelagianorum agens, vt conficiat hominem posse esse absque peccato & perfectum, si velit; affert illud Domini ad adolescentem; *Si vis perfectus esse, vade, & vende quæ habes.* Et Moysis ad populum; *Perfecti estote in conspectu Domini Dei vestri.* Item Saluatoris iterum ad Apostolos; *Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est.* Matth. 19. v. 21. Deut. 18. Matth. 5. v. 48.

Cui contra opponit Atticus, ex Catholici personâ, locum Apostoli: Non quia iam accepi, aut iam perfectus sim; persequor autem, si comprehendam, in quo & apprehensus sum à Christo. Fratres, ego me non arbitror apprehendisse. Vnum autem, posteriorum obliuiscens, ad ea, quæ priora sunt, me extendens iuxta propositum sequor, & ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo IESV. Quotquot ergo perfecti sumus, hoc sapiamus; &, si quid aliter sapitis, hoc quoque Deus vobis reuelabit. Quo loco, quod Apostolus negat se esse perfectum, & comprehendisse; & mox se perfectis annumerat: Quotquot perfecti sumus; declarat omnem vitæ huius Phil. 3. v. 12.

 perfe-

perfectionem imperfectione constare, nec minimam illam esse perfectionis partem, si quis se agnoscat imperfectum.

Non agit Apostolus de perfectione patrię, & alterius vitæ, cum negat se perfectum, aut comprehendisse, sed de perfectione viæ, metaphorâ ductâ ab ijs, qui cursu certant in stadio, negatque se ad metam peruenisse, se currere adhuc, & progredi, multa sibi deesse, ad quæ adspiret, posteriorum oblitus, ad ea, quæ supersunt, se extendens; non quod præterita contemnat, sed quod ijs minimè contentus ad præstantiora animum intendat; hocque vult omnes perfectos, id est spirituales, firmiores, sublimioris sapientię capaces, percipientes quæ sunt spiritus Dei, animo sentire, quod de se ipse profitetur; se non ita perfectos, quin eis multa adhuc perfectionis fastigia capescenda supersint, etsi iam non sint paruuli, carnales, animales, sed qui spirituales sensus exercitatos habeant, ad discretionem boni ac mali; qui sint perfecti, non absolutè, quibus omninò nihil desit; sed, vt loquitur Hieronymus, secundùm modulum fragilitatis humanæ; qui ad similitudinem Diuinæ perfectionis adspirent, etsi longo, & infinito post interuallo, non ad æqualitatem, sed ad imitationem, & similitudinem.

Potest homo cum Dei gratia esse sine peccato grauiore, sine crimine, sed non sine venialibus, & quotidianis peccatis. Potest diligere Deum ex toto corde, vt nihil ei prępo-nat in amore; sed non ita, vt omnes animi vires semper impendat, atque intendat, vt

nihil

ihil conatus atque intentionis superadijci ueat. Potest æstimatiuè Deum supra omnia iligere, etsi non semper intensiuè.

Quare ex S. Aug. sententiâ, præceptum diligendi Deum magis proponitur vt scopus, ad uem connitamur, ac collimemus ad scopum ttingendum, quàm vt sub peccati pæna nos bliget, aut transgressores efficiat. Primus le gradus Sapientiæ, Charitatis, Humilitatis, adeoque perfectionis omnibus ad salutem necessarius est, vt Deo nihil anteponant, ongeque absint à capitali crimine, vt Deum upra res omnes ament, si non supremo quoam ardoris atque intensionis gradu; at apretiationis, & æstimationis certo iudicio, abilique ac firmâ voluntate; vt Deo sese lanè submittant, Diuinæque eius prouidenæ ac voluntati; nihil eorum, quæ ad peccam obligent transgredi audeant.

le doctri. Christ. 22. le perfectione iustitiæ c. 8.

At supersunt alij propemodùm infiniti gra-us, quibus in Sapientiâ, Deique notitiâ, Chatate, atque Humilitate progrediantur semer vlteriùs: vt Deus infinitus est, immenım, inexhaustum bonum; ita velut in innitum excrescere, atque augeri potest Chriiana virtus, dum in eo cognoscendo, & mando noua semper accipit incrementa. Cum anima viuit ex Deo, Deumque duobus quasi brachijs complexa, intellectu & vountate, cognitione & amore comprehendit; um perfecta est. Tum nihil illi deest, cui Deus minimè deest; cum Deum possidet, & ossidetur à Deo per infusam gratiam, & Charitatem, quæ participatio quædam est

Deitatis: & tamen in hac ipsâ Dei possessione sunt varij gradus, per quos sensim anima graditur nouis quotidie splendoribus Diuinæ lucis irradiata, atque inflammata in Deum sese perfectius erigit, illique se arctius, ac firmius astringit. Tum animæ corpus, mundusque perfectè subijcitur, cum sese ipsa Deo perfectè subdiderit.

Sed hæc ipsa perfecta humilitas, demissioque sub Dei Maiestate, maiorumque suorum, qui Dei locum tenent, authoritate, sub omni denique creaturâ in quâ Deum quis veneretur, creaturarum eius ipse velut vltima, latissimè patet, & varios gradus habet, quos proximè exequemur.

Perfecta Charitas Dei & proximi, nullum prætermittens officium Diuini cultus; nullam Pietatis, ac Religionis promouendæ, tum & iustitiæ, & misericordiæ, beneficentiæque in proximum exercendæ præteriens occasionem, habet amplitudinem maximam, multisque ex capitibus excrescere, & augeri potest.

Hinc perfecto Christiano nihil omninò boni deest, quod ad bene, beateque viuendum exigatur; & multa tamen desunt, pro zelo, & desiderio, quo ardet Deo perfectiùs obsequendi, ad eius gloriam opera noua atque ingentia moliendi, seque, ac proximos inpensiùs illi subijciendi, atque vniendi. Huiusmodi Sapientes Christiani, neque præteritis sæculis defuerunt vnquam, nec futuris, ac consequentibus vnquam deerunt Deo propitio, ac benignè prouidente, verè humiles, ac prudentes in Christo, mundi contemptu, suique despi-

cientiâ præcipuè commendandi, charitate, pietate, atque omni virtute perillustres: semper tamen vltrà nitentes, ac progredientes, noua capientes semper augmenta Fidei, Spei, Charitatis, Humilitatis, Obedientiæ, Patientiæ, virtutum cæterarum, quoad metam beatæ vitæ alterius immortalis attigerint. Nunquam dicit Christiana virtus satis est. Amandus Deus sine modo, & si fieri queat, supra modum omnem, omni contentione virium naturæ ac gratiæ.

Atque hoc ipsum de Humilitatis exercitatione pluribus locis persequitur S. August.

Vt sciam quid desit mihi, in comparatione illius, quod est, attendens ista, quę non ita sunt, & plus mihi videns deesse, quàm adesse, ero humilior ex eo quod deest, quàm elatior ex eo quod adest. Nam qui se putant aliquid habere, cum hic viuunt, superbiendo non accipiunt quod deest, quia magnum putant esse quod adest. Qui enim putat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit; nec isti ex hoc magni sunt. Nam & inflatio & tumor imitatur magnitudinem, sed non habet sanitatem. In ps. 38. v. 5.

Quantumcumque hîc vixerimus, quantumcumque hîc profecerimus, nemo dicat; sufficit mihi, iustus sum, qui dixerit, remansit in via, non nouit peruenire; vbi dixit sufficit, ibi hæsit. In ps. 69.

Semper tibi displiceat quod es, si vis peruenire ad id quod non es; nam vbi tibi placuisti, ibi remansisti, &c. Cresce, validæ erunt vires tuæ; videbis, quod non poteras; capies, quod non capiebas. Quid ergo? cum videro, quæ Serm. 15. de verb. Apost. In ps. 130.

ro, quæ non poteram videre, & cepero, quæ non poteram capere, iam securus ero, iam perfectus ero? Non, quamdiu hic viuis, ipsa est perfectio, nostra Humilitas; idque mox confirmat ex Apostolo. Quis audet dicere, quia comprehendit? Ecce Paulus non apprehendit, & dicit: non me arbitror apprehendisse. Et quid ais, ô Paule? Ad huc curro, inquit, vt apprehendam. Adhuc Paulus in via est, & tu te putas in Patriâ?

Breuiter, idem S. August. ad Bonifac. Ad virtutis, quæ hic habetur, perfectionem pertinet ipsius imperfectionis & in veritate cognitio, & in Humilitate confessio.

Tractat hoc idem argumentum copiosè S.
353. Bernardus serm. 49. in Cantica, & duplici
" epistolâ pereleganti; Altera ad Quirinum
" Abbatem Alpensem, cùm in extrema sene-
" ctute sui ordinis innouationem esset aggres-
" sus: Cum consummauerit homo, tunc incipit
" iam seni requies, iam corona debebatur eme-
" rito, & ecce tanquam nouus in Christo mi-
" les noua iterum tibi bella suscitas. Vera vir-
" tus finem nescit, tempore non clauditur;
" indefessum proficiendi studium, & iugis cona-
" tus ad perfectionem, perfectio reputatur; quod
" si studere perfectioni esse perfectum est; pro-
" fectò nolle proficere, deficere est. Inter pro-
" fectum & defectum nihil medium inueni-
" tur; quo modo ipsum corpus nostrum conti-
" nuò aut crescere constat, aut decrescere; sic necesse est spiritum aut proficere, aut deficere.

341. Altera ad Monachos S. Bertini. Quisquis in schola

in ſchola Chriſti non proficit, eius indignus eſt magiſterio, præſertim vbi ſumus, vbi nihil in eodem ſtatu permanet, vbi non proficere, ſine dubio, deficere eſt. Nemo proinde dicat: ſatis eſt, ſic volo manere, ſufficit mihi eſſe ſicut heri ac nudiuſtertius; in via reſidet qui eiuſmodi eſt, in ſcala ſubſiſtit, vbi neminem Patriarcha vidit non aſcendentem ac deſcendentem. Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat; aſsidua & anguſta via eſt. Non hic, ſed in domo Patris manſiones ſunt multæ.

In vtraque Epiſtola pluribus oſtendit, eum qui lento incedat gradu non poſſe Chriſtum conſequi, qui tanquam gigas exultauit ad currendam viam; parum eſſe ſi Chriſtum ſequaris, niſi & conſequaris. Illud: in viâ Dei non progredi, regredi eſt, confirmat Hiero. aptâ ſimilitudine; quemadmodum qui aduerſo flumine lembum trahit, ſi remiſerit manus, ſtatim retrotrahitur, & fluentibus aquis, quò non vult ducitur; ſic humana conditio, ſi paulatim remiſerit, diſcit fragilitatem ſuam, & multa ſe non poſſe cognoſcit. l. 3. aduerſus Pelag.

CA-



CAPVT XVI.

De gradibus Humilitatis.

2.2.q.141 ar.6. DVodecim enumerantur in regula S. Benedicti, quorum ordinis, numerique rationem ita reddit S. Thomas, vt intelligatur vltimus, duodecimus gradus, omnium esse primarius, idem supremus, ac primus, fundamentum & culmen spiritalis ac religiosæ, beatæque vitę. Primus est, Corde & corpore Humilitatem semper ostendere, defixis in terram aspectibus. Secundus, vt pauca quis verba & rationabilia loquatur, non clamosa voce. Tertius, vt non sit facilis ac promptus ad risum. Quartus, taciturnitas vsque ad interrogationem. Quintus, tenere quod habet communis regula Monasterij. Sextus, credere, & pronuntiare se omnibus viliorem. Septimus, ad omnia indignum & inutilem se confiteri, & credere. Octauus, confessio peccatorum. Nonus, pro obedientiâ in duris & asperis patientiam amplecti. Decimus, vt cum obedientiâ se subdat maiori. Vndecimus, vt voluntatem propriam non delectetur implere. Duodecimus, vt Deum timeat, & memor sit omnium, quæ præcipit; hic fons est omnium, & prima radix, animi demissio ex sui vilitate, Deique Maiestate concepta, sanctus timor filialis, quo Diuinum Numen vir humilis

ilis reuereatur, ac supplex adoret, illi se
bmittens, omnibusque eius iussis, ac man-
itis morem gerere cupiens. Sic itaque expli-
t S. Thomas: Humilitas in appetitu, seu vo-
ntate consistit, refrænans eius impetum, ne
ordinatè tendat in magna, sed sui cognitio-
: reguletur, ac coerceatur; ne se existimet
pra id, quod est: & vtriusque principium
radix est reuerentia, quam quis habet ad
eum. Ex hac interiori dispositione proce-
nt, tum quædam externa Humilitatis signa
verbis, factis, & gestibus, vt in cæteris
ioque virtutibus accidit. *Nam ex visu cognos-* Ecc.19.
ur vir, & ab occursu faciei sensatus. Tum in- 26.
iores quidam actus, quibus moderatur ap-
titum, ne in propriam excellentiam inor-
natè feratur, quibusque suum semper re-
gnoscat defectum.
Humilitatis radix gradu duodecimo conti-
tur. Ne sequatur propriâ voluntatem, gra-
vndecimo. Vt eam ex arbitrio superioris
oderetur, ac dirigat, decimo. Ne ab obe-
ntiâ desistat ob res duras & asperas, nono.
proprios defectus agnoscat, ac confiteatur,
tauo. Vt inde existimet se insufficientem ad
iora, septimo. Vt alios sibi præferat, sexto.
n qui sequuntur exteriora signa continent
militatis in factis; Ne à viâ communi rece-
t, & singularis videri nolit, quintus est gra-
s. Vt non præuertat ac præripiat tempus
quendi, quartus. Ne excedat in loquendo
odum, secundus. Vt in gestibus reprimat ex-
lentiam oculorum, primus. Vt cohibeat
ım, aliaque ineptæ lætitiæ signa, tertius.
Constat

Constat autem apud Magistros vitæ spiritualis, inchoandum ab hominis externi compositione, primoque dandam operam, vt proximorum ædificationi seruiamus externa specie, ac modestiâ; quæ tamen, vt firma sit, constans, ac diuturna, ab interiori radice deuotionis ac humilitatis exoriatur, oportet. His gradibus consimiles habemus à S. P. Ignatio modestiæ regulas. Gradus vero Humilitatis tres ipse statuebat, qui dici possunt, tres ijdem gradus sancti timoris & amoris Dei, ex consideratione summę Diuinæ Maiestatis, cui subdi nos oportet, pro conditione atque abiectione nostrâ, exorti. Primus est ad salutem necessarius, vt me penitus subdam Diuinæ legi obseruandæ, vtque ne mundi quidem oblato mihi dominio, vel extremo vitæ discrimine obiecto, transgrediar ex deliberato mandatum vllum Diuinum, aut humanum, quod quidem peccati mortalis vinculo nos obliget. Secundus maioris est perfectionis, vt fixo animo ad diuitias, paupertatem, honorem, ignominiam, breuitatem vitæ, ac longitudinem æquè sim propensus, vbi æqualis est Diuinæ laudis & salutis meæ occasio. Vtque nulla, vel humanæ quantęcumque fælicitatis, vel propriæ mortis conditione proposita adducar vnquam, vt culpam, licet venialem tantum, decernam admittere.

Tertius est modus Humilitatis absolutissimæ, vt priores duos iam adeptus, etiamsi nullo superaddito laus Dei par foret, ad maiorem tamen imitationem Christi, eligam potiùs cum eo paupere, spreto, & illuso, paupertatem,

ertatem, contemptum, & insipientiæ titu-
im ampleċti, quam opes, honores. & sapien-
iæ æstimationem. Qui tertius gradus conti-
et amplissimum campum exercendæ semper,
: augendæ, & à Deo continuis votis efflagi-
ndę humilitatis. Ex eiusdem Diuinæ Maie-
atis respectu, & donorum ab ea proximis
ıdultorum, intelliguntur & illi tres gradus
Glossa consignati: Primus, subdere se maio-
, & non præferre se æquali, qui sufficiens
t: Secundus, subdere se æquali, & non pręferre Matth. 3.
minori; qui dicitur abundans. Tertius sub
e minori, in quo est omnis iustitia; sed eâ par-
maiori, quâ Dei in eo dona spectantur, &
m nostrâ exiguitate ac vilitate conferuntur.
Sanctus Anselmus, libro de similitudinibus,
ɔtem statuit Humilitatis gradus. Primus
:, cognoscere se contemptibilem esse. Se-
ndus, de hoc dolere, seu affectu comitari
gnitionem, seu contemptus sui causam dis-
cere. Tertius, hoc confiteri. Quartus, hoc
rsuadere, & velle, vti credatur. Quintus,
:ienter sustinere hoc dici, & credi. Sextus,
:iatur insuper se contemptibiliter tractari.
ptimus, vt hoc ipsum amet & gratum ha-
at, gaudeat suo contemptu ac despicientia.
superbus honore delectatur, sic humilis
iectione lętatur.
Quare gradus omnes reuocantur, ait S.
ıom. ad opinionem, manifestationem, &
luntatem proprię abiectionis. Humilis vult,
n humilis, sed vilis, & abiectus reputari.
Non discrepant sex, quos in honoris am-
itheatro, explicat Ludouicus Richeomus.
Primus

Primus eſt, reputare nihilum ſuum, ſe nihil eſſe coram Deo. Secundus, inferiorem ſe cæteris reputare. Tertius, velle humilis eſſe, & abiectus. Quartus, patienter ferre, ſi humilieris. Quintus, quęrere occaſiones ſe humiliandi. Sextus, gaudere in abiectione ſuiipſius.

Præcipuè obſeruandus, & vſurpandus ſecundus ille gradus: inferiorem ſe cæteris reputare (de quo & Apoſtolus: *In humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes*) quadam ex parte neceſſarius. Namcuiquam nos omnino præferre, aut quemquam omnino prę nobis deſpicere, videtur inſignis ſuperbiæ gradus, in Phariſæo notatus à S. Auguſtino, dum ille ſe præponit Publicano. Attendite, fratres mei, quale genus ſuperbiæ commendet Deus. Verè quale poteſt ſubintrare homini iuſto, quale poteſt ſurrepere bonæ ſpei, &c.

Ad Phili. 2. v. 3.

In pſ. 31. exp. 2.

Vnde ergo ſuperbus? Non quia de bonis ſuis Deo gratias agebat, ſed quia ſuper alterum ſe de ipſis bonis extollebat. Tota parabola deinceps pluribus illic explicatur. Et alio pſalmo. Quis eſt ſuperbus? qui in confeſſione peccatorum non agit pænitentiam, vt ſanari per humilitatem poſſit; Quis eſt ſuperbus? qui illa pauca, quę videtur habere bona, ſibi vult arrogare, & derogare miſericordiæ Dei. Quis eſt ſuperbus? qui etiamſi Deo tribuat bona, quæ facit, inſultat tamen his, qui illa non faciunt, extollit ſe ſuper illos.

Pſ. 93.

Ex quibus ſuperbiæ gradibus, humilitatis ex aduerſo reſpondentes agnoſcentur. Primò præcedere debet confeſſio peccatorum, ſalubris


ıbris pænitentia, quæ valeat ad corrigendum ıominem, non ad irridendum Deum. Cum utem post pænitentiam bene viuere cæpit, abet adhuc, quod cogitet, ne sibi tribuat, uod bene facit, sed illi agat gratias, cuius ratia factum est, vt bene viueret, quia ille lum vocauit, ille illum illuminauit; Ergo iste m perfectus est? Non, adhuc deest illi aliuid. Quid deest? vt non superbiat super eos, ıi necdum sic viuunt, quomodo ipse viuit: ıi talis fuerit, securus sit.

Id quî fieri queat saluâ veritate: non enim endacio ac falsitate nititur humilitas, explit S. Thomas; quod in homine duo possint nsiderari; id quod est Dei, & id quod est ominis: Hominis est quicquid pertinet ad fectum, Dei quicquid ad profectum, salun, & perfectionem, iuxta illud Oseæ 13. 2.2.q.81. ar. 3. Glossa.
rditio tua Israel: tantummodò in me auxilium ım. Humilitas propriè respicit reuerenm, quâ homo Deo subijcitur; & ideo quiet homo secundum id, quod suum est, det se cuilibet proximo subijcere, secundum , quod Dei est in ipso. Oseæ 13. v. 9.

Duo sunt cardines ac poli virtutis Humiıtis; Duplex cognitio; sui, & Dei; viliıs suę, & Maiestatis Diuinæ; Si conferas tur quod tuum est, nihilum tuum cum exlentibus Dei donis, quæ sunt in proximo, n erit tibi difficile subijcere te proximo opter Deum, aut Deo ipsi in proximo. Vt na Dei in te, cum donis eiusdem in proxi- conferas, aut nihilum tuum cum nihilo oximi, id non pertinet ad humilitatem;

quamquam etsi non dissimules in te Dei dona, suspicari potes in proximo latere maiora, & excellentiora: Si proximum castitate superas, at ille te patientia, temperantia, fortitudine, charitate, prudentia & ipsa longè superat humilitate; fortè latet in te occultum superbiæ vitium, quo proximo es inferior. Atque in hoc iudicio, quod est suspensum & conditionatum, nulla subest falsitas, aut error.

1. Petri 2. v. 13. Sic igitur licet inferiores nos existimare quouis proximo, & quod monet alter Apostolorum Princeps, subiecti esse possumus omni humanæ creaturæ propter Deum.



CAPVT.



CAPVT XVII.

Amplius differitur de perfectione Charitatis, & Humilitatis.

PErsimiles sibi sunt, & arctiore quodam nexu colligatæ virtutum Christianarum hæ duæ principes, Charitas & Humilitas, mutuamque sibi præstant opem; tum vt se tueantur ac conseruent in Dei gratia; tum vt augeantur, & noua in dies capiant incrementa. Charitas, aut gratia est, aut illi semper annexa; ad quam conciliandam plurimum valet humilitas: nam humilibus Deus dat gratiam, qui superbis resistit; dat & perseuerantiam: nam humiles spiritu saluabit. Præcipuum obstaculum gratiæ ac perseuerantiæ, præsumptionem ac superbiam amolitur Humilitas; bonis operibus meriti dignitatem, honestatemque ordinis Diuini Charitas elargitur; Hæc perfectionis culmen ac vinculum, illa velut radix & fundamentum, vtraque prima atque vltima virtutum iure potest existimari: nam nec absque Humilitate Charitas consistere, & in animis nostris altiores agere radices potest; & ea demum Humilitas probanda, quam informarit atque animarit Charitas, quæ ex eius imperio suscepta sit.

Ac quemadmodum iubemur Deum dilige-

re toto corde, tota anima, tota mente, hoc est verè, sincerè, non simulatè, & pro viribus, proximum vehementissimè, sicut nos ipsos; ita iubemur nos humiliare sub Deo, & Dei causa sub quoque proximo, in quo Dei imago ac dona relucent eximia, vt monet Apost. *In humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes.*

Ad Phili. 2.v.3.

Quod si quis contendat, omnes animi vires in exercenda charitate impendendas, easdem quis dixerit exercendas in humilitate. Vtraque virtus Deum spectat infinitum, cui adhærere ac submittere nos conuenit absque modo, absque termino, & mensura. Vt nunquam Deum satis amare; ita nos sub Deo humiliare satis nunquam possumus. Modus amandi Deum, & nos humiliandi, est sine modo, sine vllo certo limite. Commensuratum infinito nihil magis, aut æquè potest intelligi, quàm id quod modo & mensura caret; quare qua parte Deum infinitum proximè attingunt Humilitas, & Charitas; eatenus in infinitum se proferunt, nec vllo modo ac limite coërcentur. Etsi virtutes, quæ medij rationem habent, certa quadam mensura, & mediocritate contineantur; At quæ finem ipsum attingunt summum, infinitum bonum, infinitę sunt, & illimitatæ; in immensum excrescere semper nouis in dies augmentis & possunt, & solent. Neque verò desunt vnquam, quæ summa Dei bonitas est, Diuinæ gratię noua præsidia, quibus intellectus illustretur, & voluntas inflammetur ad huius vtriusque virtutis excolendæ atque augendę studium; non desunt cælitus immissæ menti

menti nouæ ſemper illuſtrationes & inſpirationes, quibus amplius quotidie Deus agnoſcatur & ametur, ac ſub ſuprema eius Maieſtate amplius ſeſe ſemper homo deijciat.

Idem omnino eſt totum, integrum, quod perfectum; & hoc, cui nihil deeſt, ex Ariſtotele 3. Phyſicorum definitur. Quare ſynonyma videri poſsint Totalitas, Integritas, atque Perfectio; atque idem eſt diligere, & humiliare ſe toto corde, quod integro ac perfecto, vt nihil deſit.

Sed multiplex hic totalitas, vniuerſitaſque, ac perfectio ſpectari poteſt; Vna quidem abſoluta, ex parte Dei Opt. Max. quem reſpicit Humilitas & Charitas, vt hęc vtraque tanta ſit, quantùm exigit eius infinita Maieſtas ac Bonitas; tantùm à nobis ametur, quantùm eſt amabilis; ita nos in eius conſpectu deijciamus & humiliemus, quantùm exigit infinita eius celſitudo; Quem gradum perfectionis omnes creaturæ vires exuperare, perſpicuum eſt: nam à nemine tantùm amari poteſt Deus, quantùm amari eſt dignus, niſi ab ipſo Deo; nec Seraphini quidem ipſi tantùm reuerentur, ac timent Deum timore reuerentiæ, quantùm timeri meretur, nullaque creatura parem & condignam ſuprema eius Maieſtate reuerentiam deferre poteſt.

Altera totalitas, ſeu integritas, deſumitur ex parte hominis, vt ſeſe totum, vireſque omnes ſuas impendat in diligendo Deo, aut Humilitatis exercenda virtute; nullam occaſionem, nullum tempus, nullum gradum, ac modum Charitatis, aut Humilitatis exer-

çendæ prætereat. Hic quoque nemo dubitat, pro conditione huius vitæ mortalis, talem Charitatis perfectionem non esse possibilem; nec à Deo præcipi, vt semper actu Deum, omni contentione virium, quam adhibere possimus, sine vllo motu contrario, diligamus; hic modus beatæ vitæ ac patriæ conuenit, non viæ. Ac pari modo de Humilitatis exercitatione sentiendum.

Tertia totalitas, atque integritas, quæ conueniat huic vitæ mortali, duplex est; prior, quæ secludit omnia contraria Charitati, vel Humilitati, quæ cum ea pugnant, quibuscum illa consistere nequit; cuiusmodi sunt omnia peccata lethalia, quę Charitatem interimunt; præsumptio & superbia, quæ directa fronte Humilitatem impetunt, ac secludunt: atque in eo gradu præcepta est Charitatis, & Humilitatis perfectio, cum sit necessitatis, & sine ea consistere nequeat.

Posterior verò est consilij, & supererogationis, quæ insuper excludit impedimenta omnia, quæ feruorem charitatis, vel promptitudinem Humilitatis remorantur, & efficiunt ne Charitas, aut Humilitas expedita feratur in Deum, aliorsum auersa nonnihil, ac retenta mente varijs cogitationibus, atque affectionibus distracta, ne vim omnem suam, contentionemque adhibeat ad Charitatis, Humilitatisque partes omnes explendas. Eiusmodi impedimenta sunt, peccata venialia, resque huius sæculi, & amor sui, dum ei plus quam par est, indulgetur; dum in eo minuendo, & extirpando, non quotidie magis

gis adlaboratur.

Quò pertinent etiam Euangelica consilia, perpetuumque suimet abnegandi rebus in omnibus studium, orationis item assiduæ ad Deum vsurpatio, tum cęterarum virtutum, quæ plurimum valent ad opem Diuinæ gratiæ, quâ maximè eget hæc vtraque virtus, implorandam, exercitatio. Quo sensu negat S. August. præceptum Charitatis hac in vitâ impleri posse: quia, cum est adhuc aliquid carnalis concupiscentiæ, quod vel continendo frænetur, non omni modo, ex totâ animâ diligitur Deus. l.de perfectione iustitiæ c.8.

Ad illam vitam immortalem pertinet; ***Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde***; Ad hanc: ***Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore***. Ad illam: ***Non concupisces***; Ad hanc: ***Post concupiscentias tuas non eas***. Constat igitur omnem huius vitæ perfectionem esse imperfectam maximè ac mancam, si cum alterius vitæ beatæ perfectione comparetur. Iterum, creaturæ omnis perfectionem, si ad Deum referatur, qui se solus amare potest, quantum meretur, esse imperfectam; si homines cum Angelis componas, & inter eos si inferiores cum superioribus compares, esse imperfectos; quod pluribus explicat S. Hieron. aduersus Pelagianos. Matth. 22. v.37. ad Rom. 6. v. 12. ad Rom. 7. v.7. Ecc. 18. v.30.



CAPVT XVIII.

De passionibus seu perturbationibus Animi, siue de ἀπάθεια Stoicorum.

NIhil ita videtur officere profectui ac Sapientię, quàm motus animæ, quos Græci πάθη appellant; ex Latinis alij perturbationes, alij affectiones, alij affectus, alij expressius passiones vocauerunt. Quisquis est, qui moderatione & constantia polleat, ait 4. Tuscul. Tullius, quietus animo est, sibique ipse pacatus; vt nec tabescat molestijs, nec frangatur timore; nec sitienter quid expectans ardeat desiderio, nec alacritate futili gestiens deliquescat: is est Sapiens.

Peripatetici hos affectus moderandos docent, & intra rationis regulam coërcendos; cum sint alioquin à natura dati, tanquàm arma atque instrumenta virtutis, tanquàm stimuli & aculei, quæ languentem naturam ad res gerendas excitant. At Stoici volunt planè tollendos, tanquàm morbos (quibus, etiam modicis, carendum sit sapienti) tanquàm perturbationes voluntarias, opinionis iudicio susceptas, quarum mater, immoderata sit quædam intemperantia.

9. de Ciui, c. 9. S. Augustinus; Aut nihil, aut pænè nihil, inquit,

inquit, distat inter Stoicorum, aliorumque „
Philosophorum opinionem, de passionibus & „
perturbationibus animorum: vtrique enim „
mentem, rationemque Sapientis ab earum „
dominatione defendunt; & ideò fortasse di- „
cunt Stoici, eas in sapientem non cadere, quia „
nequaquam eius sapientiam, qua vtique sa- „
piens est, vllo errore obnubilant, aut labe „
subuertunt. Accidunt autem animo salua se- „
renitate Sapientiæ, propter ea, quæ commo- „
da vel incommoda appellant.

Idem asserit S. Thomas, & fontem erroris 1.2.q.24. ar.2.
Stoicorum aperit; quod non discernerent inter sensum, & intellectum, & per consequens, nec inter appetitum intellectiuum, & sensitiuum; vnde non discernebant passiones animæ à motibus voluntatis, secundùm quod passiones animæ sunt in appetitu sensitiuo, simplices autem motus voluntatis sunt in intellectiuo; sed omnem rationalem motum appetitiuæ partis vocabant voluntatem, passiones autem dicebant motum progredientem extra limites rationis.

Cui sanè obseruationi congruit, quod ait 4. Tusc.
Cicero: Mihi in tota ea oratione, quæ pertinet ad animi perturbationem, vna res videtur causam continere, omnes eas esse in nostra potestate, omnes iudicio susceptas, omnes voluntarias. Et, cum ab eo definitur: Perturbatio est vel auersa à recta ratione contra naturam animi commotio, vel breuius, appetitus vehementior, ἄλογος κίνησις: irrationalis motio.

Quare & in eo quoque peccabant Stoici,

quod

quod motus, quos vocant Theologi primò primos, inuoluntarios, ante rationis aduertentiam, à secundò primis, voluntarijs, ac deliberatis, in appetitu intellectiuo, non secernebant; omnesque voluntatis motus, deliberatos, ratione & voluntate susceptos esse censebant. Rectius Peripatetici inquiebant, eos motus esse à natura, & præter voluntatem exoriri, primùm in parte sentiente, tum & in partem intelligentem transire, verùm si maturè à ratione reprimerentur, ac coërcerentur, non essent mali; in quam sententiam ipsi quoque Stoici veritate compulsi concedebant; etsi prima fronte plurimùm dissidere viderentur. Auctorem do Senecam, cuius hęc
Ep. 116. sunt testimonia, Vtrùm satiùs sit modicos habere affectus, an nullos, sæpè quæsitum est; Nostri expellunt, Peripatetici temperant. Et
Ep. 85. epistola ea tota hos refellit. Et aliàs: Falsa est ista mediocritas, & inutilis, eodemque loco
1. de Ira 3 habenda, quo si quis diceret, modicè insaniendum, modicè ægrotandum. Affectus omnes in rationali parte esse, ideoque cætera animalia ijs carere, habere tamen similes quosdam
Ep. 71. illis impulsus. Non educo sapientem ex hominum numero, nec dolores ab illo, sicut ab aliqua rupe nullum sensum admittente, submoueo. Memini ex duabus partibus illum esse compositum. Altera est irrationalis; hæc mordetur, vritur, dolet. Altera rationalis; hæc inconcussas opiniones habet, intrepida
1. de Ira 16. est, & indomita. Ipsa tamen ista pars, in repentinis impulsibus, sentiet leuem quendam tenuemque motum. Nam, vt dixit Zeno, in

io, in Sapientis quoque animo, etiam cum
'ulnus sanatum est, cicatrix manet; sentiet
taque suspiciones quasdam, & vmbras affe-
ctuum; ipsis carebit.

Iterum. Quædam sunt, quæ nulla virtus Ep.57.
ffugere potest: Admonet illam natura mor-
alitatis suæ. Itaque & vultum adducet ad
ristitiam, & inhorescet ad subita, & cali-
abit si vastam altitudinem in crepidine eius
onstitutus despexerit. Non est hic timor,
ed naturalis affectio inexpugnabilis rationi.
/t scias, quemadmodum incipiant affectus, 2.de Ira c.4.
ut crescant, aut efferantur. Est primus
notus non voluntarius, quasi præparatio
ffectus, & quædam comminatio: Alter
um voluntate non contumaci: Tertius
notus est iam impotens, qui rationem
uicit.

Non negant igitur Stoici in parte sen-
iente exoriri hos affectus, ex apprehensio-
e boni aut mali; sed negant in volunta-
em & partem rationalem admittendos;
eque satis esse, si coërceantur intra li-
nites rationis, sed penitùs extinguendos
: extirpandos; quod tamen fieri non
osse parum sibi constantes admittunt.

Non sunt primi illi motus in nostrâ po-
estate, & nec secundò quidem primi,
lonec planè aduertat ratio, & eos aut reij-
iat, aut admittat, aut moderetur; quam-
quam non continuò cedunt rationi, at-
que eâ repugnante persistunt. Sunt ij mo-
us naturales, ex sese neutri & indiffe-
entes, qui, prout subsunt imperio ratio-
nis, &

nis, & libera voluntate suscipiuntur, capaces existunt bonitatis, aut malitiæ; vel virtutis, vel vitij sunt instrumenta, pro ratione obiectorum, in quibus versantur, dum imperantur à voluntate, vel certè non inhibentur.

l. 9. de Ciuit. c. 5. In disciplina nostra, inquit, S. August. " non tam quæritur; Vtrùm pius animus " irascatur, quàm quare irascatur; nec, " vtrùm sit tristis, sed vnde sit tristis; nec, " vtrùm timeat, sed quid timeat. Et alibi. " Rectus amor istas omnes passiones rectas 14. de Tri. habet. Metuunt enim peccare, cupiunt " perseuerare, dolent in peccatis, gaudent " in operibus bonis. Amor omnium prima " est passionum, earum radix & origo; " Quamobrem vitiosæ omnes ab amore " sui immoderato (quem Græci philautiam, " & Stoici fortè intemperantiam, appella-" runt) velut à radice rami, procedunt, " & quò fuerit hic amor sui vehementior, " eò quoque cæteros affectus immoderatiores esse necesse est.

Diuiditur autem hic amor sui in duo capita, vt duplici parte constamus, corpore & animo; in curam corporis immoderatam, gulam atque luxuriam; & cupiditatem propriæ excellentiæ, superbiam, illique annexa vitia, quæ animum inficiunt. Reprimi quidem, & intra rationis orbitam coërceri, ad honestumque finem dirigi potest hic amor sui, cum ope diuinæ gratiæ; sed cum à natura nobis insitus, adeoque necessarius existat, ex-

tirpari

tirpari, penitusque restingui non potest: ad eum modum, qui sequuntur ex eo, affectus, reprimi, corrigi, dirigi, & ad honestas res applicari queunt; at penitus tolli nequeunt: quod voluisse Stoici, si non re ipsa, at verbis & sententijs in speciem magnificis ac tumidis, præsetulerunt. Lactantius: Furiosi ergo Stoici, qui ea non temperant, sed abscindunt, rebusque à natura insitis castrare hominem quodammodo volunt. Hieron. Affectibus ad perfectum carere, iuxta Stoicos, possibile; iuxta Peripateticos, & difficile & impossibile; cui sententiæ omnis Scripturæ Sacræ consentit authoritas.

L.6.

12. aduersus Pelag.



CA-



CAPVT XIX.

De origine perturbationum, Animi praua Concupiscentia.

SI fortunatus innocentiæ ſtatus perduraſſet, & quæ à Deo conditore primi Parentes acceperant originariæ iuſtitię dona, in poſteros propagaſſent; abſque rationis ductu & imperio nunquam vllæ exortæ eſſent paſsiones, nunquam illæ limitem ab ea præſcriptum eſſent tranſgreſſæ; parſque animi inferior paruiſſet omnino ſuperiori; fuiſſet inter omnes animi vires maxima conſenſio, & pax imperturbata,

Verùm, Deo detrectantibus obedire primis Parentibus, & eius, de arboris interdictæ fructu non guſtando, mandatum prætergreſsis, mox ſimilis inobedientiæ pæna, inquit S. Auguſt. retributa eſt; quam & alibi reciprocam pænam talionis appellat; vt aduerſus rationem, animique partem ſuperiorem reniteretur, ac rebellaret appetitus; moleſtiſsimaque pugna concupiſcentiarum ac perturbationum concitaretur; quam neque ratio comprimere, atque exortam ſedare, neque præuertere, & impedire ne concitaretur, omnino poſſet.

Vt in Republica tres ſunt ordinum gradus;

Vnus

nus, Ecclesiasticorum; Alter, Nobilium, 'ertius, Plebeiorum, primisque perturbas, ac Principi suo rebellibus, mirum non t, si tertius amplius etiam tumultuetur, & duersus illos concitatus insurgat, totaque in artes discissa Respublica in certam perniciem uat. Ita superiore hominis parte; quæ contat & intellectu Ecclesiasticorum prudeniam referente, & voluntate libera, quâ Noilium vis & ingenuitas indicatur, Deo reellante; quid mirum, si plebs vniuersa mouum inferioris partis, atque appetitus, intetinum commoueat atque augeat bellum, eò certè molestiùs ac periculosius, quò est intetius; & pertinacius, quoque superiores ordines in eandem abripi dementiam proclinius est? Origo igitur perturbationum animi non alia est, quàm originale peccatum.

Cum ex Stoicorum doctrina nescio quid, ad rem & honestatem parum pertinens, Augustino Iulianus obiecisset; primùm ait, illi non fauere sectam Stoicorum, qui nullam humani boni particulam in corporis voluptate posuissent; ex quorum opinione Tullius ait, se non putare idem esse arietis, & P. Africani bonum. Tum rectius ex Tullio, opponit, hominem non vt à matre, sed vt à nouerca natura editum in vitam, corpore & nudo, & fragili & infirmo; animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines; in quo tamen inesset tanquam obrutus quidam Diuinus ignis ingenij, & mentis. Quid ad hæc dicis? Non hoc Author ille malè viuentium moribus dicet effectum, sed

l.3.c.12.

3.de Rep.

« sed naturam potius accusauit; Rem vidit, cau-
« sam nesciuit: latebat enim eum, cur esset gra-
« ue iugum super filios Adam, à die exitus de
« ventre matris eorum, vsque in diem sepultu-
« ræ in matrem omnium; quia sacris litteris
« non eruditus ignorabat originale peccatum.

Neque mirum, si Stoici eius ignoratione laborantes, naturam immodicis laudibus extollerent, eamque velut optimam ducem ac Magistram sequendam esse prædicarent; qua quidem commendatione naturæ, vt suspicor, & eximia laude Pelagianis occasionem prębuerunt originalis peccati pernegandi, pręcipui & capitalis erroris, ex quo cæteri deducerentur.

At verò SS. PP. nihil magis inculcant, quàm naturam humanam peccato primi Parentis fuisse vitiatam, redditamque inordinatam, debilem, & infirmam ad bonum, procliuem ad malum, quę doctrina Catholica definita habetur primis duobus canonibus Arausicani Concilij; priore, per offensam præuaricationis Adæ totum hominem, secundùm corpus & animum, in deterius esse commutatum; posteriore, nocuisse, tam quoad animam, quàm quoad corpus.

Quæ definito repetita est in Tridentino sess. 5. can. 1. & 2. Et mihi quidem videri solet, quemadmodum mors, ac cæterę corporis ærumnæ, fames, sitis, dolor, labor, morborum examina profluxerunt ex hac originaria labe; ita praua concupiscentia, perturbationum, & inordinatorum ineuitabilis animi motuum omnis copia, spiritalisque adeò quædam

quædam mors, ita loquar, necessitas peccandi, ex eodem hoc profluuio manasse.

Si non peccasset primus Parens, mors nunquam erat euentura; prouidente Deo, vt quamdiu illi subiaceret animus, animo quoque corpus perfectè obsequeretur, nec ab interioribus causis dissolui, nec ab exterioribus nocumentum pati posset; sed per peccatum mors introiuit in orbem, in hominumque genus vniuersum peruasit; ita mors spiritalis, animo (sic loqui liceat) peccandi quædam necessitas, per idem hoc originale peccatum intromissa est, destituta natura donis originariæ iustitiæ, specialique illa Diuinæ prouidentiæ ope atque assistentia, quâ in finem supernaturalem, ad quem erat condita, & gratiæ originariæ donis instructa, suauissimè dirigebatur. Nam & animus, deserto Deo ac neglecto, non illustratus, multis erroribus obcæcatus, densæ velut quadam ex sensibus orta caligine circumfusus, quæ vera sunt, honesta, & congrua, non videt, non attendit, aut vti par est, expendit atque diiudicat: tum voluntas ad omne virtutis opus honestum, atque arduum languidior est, atque remissior, ad malum semper, quàm ad bonum propensior; denique pars appetitus inferior rebellis prauos exsuscitat concupiscentiæ motus, qui in ipsam voluntatem ac rationem sibi dominationem ac tyrannidem vindicant, ipsâ maximè sensuum corporis titillatione ac voluptate præualente; Quæ sæpe duplex affertur causa à S. Aug. cur bonum non appetamus; aut quia latet; aut quia non delectat; adeoque maximopere egemus eâ il-

 lustratione

lustratione & inspiratione Diuinæ gratiæ Christi, quæ non nisi meritorum eius respectu confertur & ad vitij malum fugiendum, & ad virtutis bonum amplectendum.

Huc pertinent, quæ Theologi disputant de vulneribus inflictis Humanæ naturæ ex originario peccato; quæ quatuor recensent, iuxta quatuor præcipuas animæ potentias. Primum in intellectu est; ignorantia priuatiua rerum agendarum, insuper & positiua, error & pronitas ad sequendos errores, credendumque falsitati. Quod vulnus agnouisse videtur Philosophus, inquiens errorem & deceptionem magis esse hominibus propria, quàm eorum contraria: sed ipse quoque causam ignora-
Ioan. 3. v. 19. uit. *Dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.*

Secundum in voluntate; malitia seu pronitas ad eligendum & committendum malum, non modò per ignorantiam, sed scienter, & contra dictamen rectæ rationis. *Si vos cum*
Matth. 7. v. 11. *sitis mali, &c.*

Tertium in appetitu concupiscibili; vitium, quo mouetur ad ea, quæ sensibus iucunda sunt, & refugit molesta; quod vitium, concupiscentia dicitur.

Quartum in irascibili; per quod inordinatè se habet ad bona ardua prosequenda, mala fugienda, vel repellenda; vocaturque infirmitas; quò reuocantur honoris & gloriæ cupido, vindicandi libido, temeritas, despe-
Gen. 6. ratio, acedia. *Videns autem Deus, quòd multa*
v. 5. *malitia hominum esset in terrâ, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore.*

Sensus

Sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Seu, vt in Hebræo; à pueritia sua, adeoque infantia & prima conceptione vitiata natura. c. 8. v. 21.

Vulnera hæc optimè explicat S. Thom. per detractionem bonorum gratiæ, & destitutionem recti ordinis, quo in bonum singulæ potentiæ ab originaria iustitia dirigebantur; quam inordinationem virium animæ, quod inordinatè conuertantur ad bonum commutabile, ait vocari concupiscentiam. 1. 2. q. 85. ar. 3. q. 82. a. 3.

Hieron. q. 8. ad Algas. in illum Apostoli locum: *Concupiscentiam nesciebam*, inquit se intelligere omnes animæ perturbationes, quibus mæremus, & gaudemus; timemus, & concupiscimus; nempe inordinatè, sublato eo recto ordine, quem iustitia originaria statuebat.

S. August. vulnera naturę plerumque duo numerat: ignorantiam, & difficultatem; interdum: ignorantiam agendorum, & concupiscentiam noxiorum; interdum tria: ignorantiam, malitiam, & concupiscentiam; quod tertium sanè potissimum est, & ipsum originalis peccati nomen sibi vindicat tanquam primarius eius effectus, ac sæpissimè carnis item nomine designatur: *Caro concupiscit aduersus spiritum.* Et. *Quod natum est ex carne, caro est.* Lex carnis, lex membrorum, fomes peccati, languor naturæ, Tyrannus, quandoque iniquitas, quandoque iniustitia, immunditia, & mors animæ nuncupatur: à S. Fulgentio, impietas. Hominem nasci impietati subditum: Quod & S. August. indicat; hominem De natura & gratia c. 67. & 1. retract. 9. Gal. 5. v. 17. Io. 3. v. 6. De fid. ad Pet. 28. 3. De pec. m. c. 9. & contra Iul. c.

nasci cum impia voluntate; nimirum quòd Deo subiecta non sit, quòd inordinatè feratur in ea, quæ sunt Diuinæ legi & voluntati contraria.

Non est concupiscentia ex Deo, non est ex Patre, sed ex mundo, vt ait D. Ioannes de triplici concupiscentia, mundi nomine intelligens genus humanum primi Parentis peccato deprauatum.

Fatetur Tridentinum in renatis remanere concupiscentiam, vt tamen oporteat eos per Christi gratiam viriliter illi repugnare: quod ait Deum in renatis nihil odisse, nimirum quod faciat eos Deo exosos, & damnationis reos, vt nihil illos ab ingressu cęli remoretur; alioquin concupiscentiam odio habendam, persequendam, oppugnandam, mortificandam, ac crucifigendam, doctrina est SS. Patrum, sumpta ex Apostolo ad Romanos 7. & ad Gal. 5. Priore loco testatur Apostolus odisse se malum, quod carne faciebat, etsi nullo mentis accedente consensu: causam odij subijcit, quia lex membrorum repugnat legi mentis: Posteriore, spiritum concupiscere aduersus carnem: quod tum fit, cum homo spiritu Dei adiutus contra concupiscentiam pugnat, illamque domat.

Sess. 5. can. 5.

Aug. in ps. 35. con. 8. in ps. 118. Greg. 9. moral. 28. & 29.

August. illud Apostoli ad Coloss. 3: *Mortificate membra vestra, &c.* ad renatorum concupiscentiam extendit. Nec dissimilis est locus in epistola Iudæ: *Odientes & eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam.* Et Iob. 9. *Abominabuntur me vestimenta mea*, id est, abominabilem facient, vt explicat in eum locum

v. 5.

v. 23.

v. 31.

locum Gregorius.

Tradit insuper Trident. Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse concupiscentiam ab Apostolo dici peccatum, quod verè & propriè in renatis sit peccatum; sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat; quæ responsio sumpta est ex varijs S. Augustini locis, videturque ratio posterior esse magis propria: nam prior morti, & alijs pænis conuenit: posterior soli concupiscentię, quatenus est fomes peccatorum, excitans prauos motus in nobis, & desideria ad omne genus peccati. Neque tantùm suggerendo sollicitat ad peccatum, quemadmodum malus dęmon; neque tantùm (vt loquuntur) per accidens, & occasionaliter, vt vinum & mulieres; sed per se, suapte naturâ, interius commouendo, & perturbando; ita vt concupiscentiâ commotâ, cum sit aliquid homini impressum, impossibile sit hominem non commoueri; tametsi motus ille sine consensu peccatum non sit, & tum mortificari dicitur, cum ei denegatur consensus, quâ de re proximo capite.



CAPVT XX.

De pugnâ carnis ac spiritus, & continuâ mortificatione passionum.

PVgnam eam describit Apostolus ad Rom. 7. & ad Galatas 5. ex eoque frequenter ac prolixè S. August. speciatim aduersus Pelagium, Stoicorum hac in parte sectatorem, naturæ defensorem, & oppugnatorem gratiæ, duplici sermone de verbis Apostoli, duodecimo, & decimo tertio, ex quo iam demonstratum est carnis vocabulo concupiscentiam designari, appetitum sensualem, rationi repugnantem; seu potius totum hominem Deo minimè subditum, & secum pugnantem, & dissidentem; Naturam ipsam, quæ primi Parentis peccato vitiata est, à Deo auersa, in sensibilia bona conuersa non seruato rectæ rationis ordine, corrupta, deprauata, & penitus interuersa; Per spiritum verò, intelligi Spiritum Sanctum, Spiritum gratię Christi; de quo Apostolus: Qui Spiritu Dei aguntur, " hi sunt filij Dei; ne fortè de spiritu tuo præ- " sumas, ait S. August. ad actiones carnis mor- " tificandas, & superbia pereas, & tibi superbo " resistatur, non humili gratia concedatur. " Quid tibi prodest quia non eris Epicureus, &

eris

eris Stoicus? siue Epicureus eris, siue Stoicus, „
inter filios Dei non eris.

Pugna igitur hęc est intestina maximè hominis secum dissidentis, ac præliantis aduersus concupiscentiæ motus; quibus non consentire, magna laus est; non habere, perfectio. Pugna gratię Christi aduersus naturam deprauatam, vt hæc eius ope velut instauretur, & in primęuum, ex quo excidit, iustitiæ atque innocentiæ statum reuocetur. Pugna Charitatis & cupiditatis: Nam cupiditas Charitatis est venenum, ait idem S. Augustinus; diminutio cupiditatis accretio est Charitatis; extinctio cupiditatis, absolutio, & perfectio Charitatis: quę in altera demum continget vita. Pugna amoris proprij, inordinati, ac peruersi; cum ad sese, tanquam ad finem & scopum, quis omnia refert; cum sua commoda quærit Dei cultu neglecto; Amoris Babylonici, qui vsque ad Dei contemptum denique progrediatur: Amoris cælestis, ac Diuini, rectè ordinati, qui Deum vnum pro scopo habeat, eiusque voluntatem ac gloriam rebus omnibus, vti par est, anteponat.

Quare pugna sanè est molestissima, periculosissima, laboriosissima, perpetua, maximeque diuturna: sine inducijs vllis armorumve suspensione, sine vlla quietis parte: summâ contentione depugnanda, quoad victoriam reportaris: quam non nisi confecto vitæ curriculo, morteque obita reportabis. Quamdiu vita durabit, durabit & pugna, idemque erit pugnæ, qui vitæ terminus: summeque, beatus, si victor; aut summè miser exitus,

si victus abcesseris.

Commune fuit Philosophis, Stoicis, & Epicureis, ducto altius principio, demonstrare, quàm sui sit amans, natura, quàm suæ cōseruationis, ac propagationis appetēs; vt ipsę etiam res inanimes, ac sensus expertes summo studio se tueantur; vt animantes omnes, ac brutæ pecudes, insuper voluptatis & coniunctionis ad procreandum sint appetentes. Et sanè negari non potest, quin insita velut nobis à natura sit hæc duplex appetitio, ac propensio vehementissima; tum ad indiuiduum conseruandum: tum ad genus propagandum; eaque maximè pertinet ad corpus, quâ parte pecoribus haud absimiles sumus; At quâ parte mente constamus, & intelligendi facultate ad imagnem Dei conditi, spiritibus Angelicis similes sumus, dignitatis, & excellentiæ tuendæ, atque augendæ vehementer quoque sumus appetentes.

1. offic. Imprimis, ait Tullius, hominis est propria veri inquisitio, & inuestigatio. Itaque cum sumus necessarijs negotijs curisque vacui, tum auemus aliquid videre, audire, ac discere, &c. Huic veri videndi cupiditati adiuncta est appetitio quędam principatus, vt nemini parere animus bene informatus à natura velit, nisi præcipienti, & docenti, aut vtilitatis causa iustè & legitimè imperanti: ex quo animi magnitudo existit, humanarumque rerum contemptio.

Quæ sane multiplex appetitio ac propensio naturæ non foret reprehendenda, nec in vitio ducenda, si Deum imprimis spectaret

Aucto-

Auctorem, eundemque scopum vniuersæ naturę: si ab eo deducta principio, ad eundem vti finem vltimum relata dirigeretur: si intra rectæ rationis terminos conclusa teneretur, eumque retineret ordinem, quem primæua gratia, & iustitia præscribebat originaria. Verùm hoc ordine sublato, sibimet relicta natura, non coercita, nec vllo Dei gratiæ dono, veluti fræno, retenta, Deo imprimis non agnito, ac turpiter ignorato sine eius luce in densis tenebris, adeoque etiam contempto, Diuinę obedientię excusso iugo, tanquam effrænata bellua, præceps ruit in omnia vitiorum, ac flagitiorum discrimina, nec parem, nec superiorem ferens, semetipsam habēs pro scopo, blandimentis atque illecebris sensuū abducta denique superatur, illorumq; velut ancilla ac ministra, vndequaque commoda atque oblectamenta conquirit. Mirum igitur non est, si ratio excæcata, voluntasque libera Deo rectore destituta, sensibus & appetitui turpiter seruire cogatur.

Noli tibi hostes addere, ait quodam loco S. Augu$t. Vince eum, cum quo natus es, ad stadium vitæ huius cum illo venisti, congredere cum eo, qui tecū processit. Aduersus Pelagium. Ista rixa non est in te? si nihil in te alteri resistit, vide totū vbi sit? si spiritus tuus à carne contra concupiscente non dissentit, vide ne fortè carni mēs tua tota consentiat, vide ne fortè ideò non sit bellū, quia pax peruersa est: fortè in te totum carni consentit, & nulla rixa est. Quam spem habes quod posis aliquando vincere, qui necdum cæpisti pugnare? Mali voti homo es, si In ps. 52. ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,,

" tali aduerſario non vis carere. Ego fateor tibi,
" quicquid in me rebellat aduerſus mentē meam,
" & litigat mecum delectatione contraria, quic-
" quid tale in me eſt, omnino interficere volo;
" Etſi fortè adiuuante Domino non conſentio,
" nolo habere cum quo litigem: Multò eſt mihi
" optabilius inimicū non habere, quàm vincere.

Serm. 13. de verb. Apoſt. Hoc eſt opus veſtrum in hac vita, actiones carnis ſpiritu mortificare, quotidie affligere,
" minuere, frænare, interimere. Quam multos
" enim proficientes non amplius delectant, quæ
" antea delectabant? Quando ergo delectabat,
" & non ei conſentiebatur, mortificabatur: quia
" iam non delectat, mortificatum eſt. Calca
" mortuum, tranſi ad viuum, calca iacentem,
" conflige cum reſiſtente: Mortua enim eſt vna
" delectatio, ſed viuit altera, & illam, dum non
" conſentis, mortificas: cum cæpit omnino non
" delectare, mortificaſti. Hæc eſt actio noſtra,
" hæc eſt militia noſtra. In hoc agone cum con-
" fligimus, Deum habemus ſpectatorem: in hoc
" agone cum laboramus, Deum poſcimus adiu-
" torem: ſi enim ipſe nos non adiuuat, non dico
" vincere, ſed nec pugnare poterimus.

" Quid eſt, ne dominetur mihi omnis iniqui-
Rom. 6. v. 12. tas? Audi Apoſtolum: ***Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore.*** Quid eſt non regnet?
" Obediendo deſiderijs eius. Non dixit: Noli ha-
" bere mala deſideria. Etſi ſint deſideria, non eis
" obediatur, nec exhibeatis membra veſtra ar-
" ma iniquitatis. Quomodo regnet, qui arma
" non habet? Pars tua, caro tua, concupiſcentia
" carnis tuæ, languor rebellat aduerſus te. Lan-
" guor iſte tyrannus eſt, ſi vis te tyranni eſſe vi-
ctorem,

ctorem, Christum inuoca Imperatorem, cuius " merito & beneficio diffunditur charitas in " cordibus nostris, quæ concupiscentiæ ex diametro aduersatur, eamque debellat & profligat. "

Pugna hæc carnis & spiritus, eadem est, vti dixi, quæ est amoris proprij, & diuini; Expugnare debet amor Diuinus amorem proprium. Ac quemadmodum in Eliæ Sacrificio, ignis cælitùs emissus à Domino vorauit holocaustum, & ligna, & lapides, puluerem quoque, & aquam, quæ erat in aquæ ductu, lambens; ita Diuinæ Charitatis ignis absumere debet omnes cupiditates, omnes affectiones amoris proprij, vt cum populo humiliati in saccis cadamus, & dicamus: Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus; & suauissima eius præsentia perfruamur.

Gloriosissima hæc est inter omnes victoria, amorem proprium superasse; à quo cæteri motus, & affectus oriuntur, qui dum coercentur, veluti quibusdam membris detruncatur amor proprius, armisque, & viribus imminuitur. Neque verò tantùmodo hæc passionum mortificatio à charitate efficitur, sed vicissim ad eam augendam, & conseruandam plurimùm confert. Charitas per se difficilis non est; cum sit omni gaudio, & suauitate refertissima; At charitati locum velut animi vacuum comparare, eiusque hostem cupiditatem expellere, hoc verò difficile est; atque, vt vir quispiam spiritu Dei plenus dicere solebat, si fieri posset vt in torculari totus homo subijceretur exprimendus, ex omnibus eius neruis, venis, ossibus,

medullis,

medullis vix quicquam aliud, quàm immodicus hic amor sui extunderetur, atque exprimeretur; qui tamen omnium malorum affectuum est seminarium.

Adde, quod velut ex hydra, capite vno resecto, mox alia renascuntur; nisi igne Diuini amoris penitus absumantur, ex ea naturæ corruptæ lacuna nunquam non emergunt putridę exhalationes, quæ mentis serenitatem obnubilent, atque obscurent. Credite mihi, inquit Bernard. Et putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta, & sopita denuo excitantur. Parum est semel putasse, sæpè putandum est; imò, si fieri possit, semper: quod semper putari oporteat, si non dissimulas, inuenis. Quantumlibet in hoc corpore manens profeceris, erras si vitia putas emortua, & non magis suppressa. Velis nolis intra fines tuos habitat Iebusęus; subiugari potest, sed non exterminari. Non anno vno, sed paulatim consequentibus Dominus Chananæorum germina ex terra Israël deleri voluit, ne bestiæ aduersus eos increscerent, mala superbiæ & inanis gloriæ germina: si nullos intra se hostes paterentur, minimè suæ quotidianæ infirmitatis admonerentur.

Serm. 58. in Cant.

CAPVT



CAPVT XXI.

Quæ ſint in nobis ſeminaria virtutum? An virtus homini ſit naturalis?

M. Tullius virtutes, naturales appellat, ſeu non voluntarias, quę ingenerantur ſuapte naturâ: cuius eſt generis, docilitas, memoria: quę omnia ferè appellantur ingenij nomine, eaſque virtutes qui habent, ingenioſi vocantur. Rectius appellaſſet virtutes, ipſam indolem, & propenſionem ad honeſtas actiones, & virtutes voluntarias; quæ diſciplina, & exercitatione comparantur: ſunt enim quidam ad moderationem, ad ęquitatem, ad prudentiam, & alias virtutes veluti naturâ facti & compoſiti, egregiâ quadam indole præditi. 5.de finib.

Idem Tullius ait, iuſtos nos quidem à natura eſſe factos: tantam autem eſſe corruptelam malę conſuetudinis, vt ab ea tanquam igniculi extinguantur à natura dati, exorianturque & confirmentur vitia contraria. Denique, ait idem: Habemus notiones rerum animis impreſſas, è quibus non principia ſolùm, ſed latiores quædam ad rationem inueniendam viæ reperiuntur, anticipationes communes, & ingeneratæ: quæ dicantur ſcintillæ, igniculi (nam Stoicis animus, eſt purior ignis) ſemina,

semina, fomites, impetus ad virtutem.

Ep. 95. Omnibus natura dedit, authore quidem Seneca, fundamenta, semenque virtutum: Omnes ad omnia ista nati sumus: cum irritator accessit, tum illa animi bona, velut sopita excitantur. Nec alienus est ab hac doctrina S. Thom. qui tradit in hominis ratione inesse principia quædam naturaliter cognita, tam scibilium, quam agendorum, quę sint semina virtutum intellectualium, & moralium: in voluntate autem inesse appetitum Boni, quod est secundum rationem.

Ea semina, quidam vocant reliquias, alij præcepta generalia legis naturæ: Honestum eligendum esse, turpe fugiendum: Honorandos parentes, remunerandos benefactores. Tob. 4. v. 16. Tale illud Tobiæ Patris ad filium: *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* Matth. 7. v. 12. Et illud Christi Domini: *Omnia ergo quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis*. Quæ S. Aug. l. 2. de sermone Domini in monte: & Basil. reg. 2. & 3. explicant.

Hæc semina virtutum in statu innocentiæ magis se exeruissent, maioremque vim obtinuissent, accedente pręsertim Diuino gratiæ excitantis subsidio, quod iure quodam suo fælix ille status exigebat. At nunc vitiatâ naturâ, ac grauissimè in primarijs suis quatuor facultatibus vulneratâ, fieri non potest, quin ea semina valde sopita, propemodumque extincta sint, parumque omnino virium habeant siue ad vitia fugienda, siue ad captandas, exercendasque virtutes. Et mihi quidem videri solet hæc corruptio, vulneratioque naturæ,

non

non in solâ gratuitorum donorum iustitiæ, & innocentiæ substractione consistere; sed auxiliorum potissimum actualis gratiæ, inspirantis, & excitantis, naturamque dirigentis.

Etenim peccando se primus Parens, stirpemque suam reddidit indignam speciali Dei prouidentia, atque assistentia, quâ per immissas illi statui cõgruas illustrationes, atque inspirationes à principio regebatur, à pręcipitio vitiorũ arcebatur, & ad exercitationẽ virtutum omnium incitabatur. Nam sicut rectus ordo potentiarum animæ, quo perfectè erat ipsa Deo subiecta, & cæteræ ipsi facultates obsequebantur, sensusque & appetitus, ac corpus rationi famulabatur, non à solis habitibus, ac donis gratię ac virtutum infusis oriebatur; sed à particulari Dei prouidentia, frequentiaque sanctarum inspirationum, & illustrationum; quibus Adami mentem Deus insidens regebat, illustrabat, ac permouebat ad bonum; sic, vice versa, inordinatio, ac peruersio, naturæque rebellio, potentiarum pugna, ac rixa prauæ concupiscentiæ, vulnera intellectus & voluntatis, &c. tum ex donis subtractis, tum ex copiâ sanctarum inspirationum denegata videntur existere. Quod omne damnum primi Parentis peccato est adscribendum. Quare, ait S. Fulgentius, in primo homine, nos amisisse facultatem sanctæ cogitationis. l. de Incar. 12. & 13. Et aliàs; facultatem cogitandi, quæ ad Deum pertinent; cui nempe, peccando, renuimus esse obsequentes.

Videri sanè potest omnis mali causa & origo, error

go, error esse, & ignorantia, seu incogitantia; & ex vulnere intellectus, qui destitutus Diuino lumine versatur in tenebris, & densâ caligine rerum agendarum; reliqua vtriusque, aut triplicis appetitus vulnera consequuta.

Nam veluti rationem appetitiuæ facultates sequuntur; cum illa abundè prælucet, & demonstrat iter; sic easdem luce hac magnâ ex parte destitutas, aliorsum flectere facillimum est. Non potest voluntas aspernari bonum, si nulla mali specie obscuretur; nec malum appetet vnquam, nisi boni speciem aliquam induat. Licet igitur à nonnullis natura dicatur in puris naturalibus non differre à seipsâ iam lapsâ, nisi quatenus homo nudus differt à seipso spoliato; tamen non sola donorum, & habituum spoliatio, sed verò maximè auxiliorum gratię actualis destitutio spectanda est, & appellanda vulneratio.

Alius fuisset ordo Prouidentiæ Diuinę, si condita fuisset natura ad finem naturalem: tum fuisset ei cumulatè prouisum de eiusmodi præsidijs, & medijs ad illum finem. Modò condita est ad finem supernaturalem, in gratia, & iustitia originaria, & eiusdem ordinis auxilijs, tum habitualibus, tum actualibus, instructa: quibus orbauit se peccando; penitusque indignam reddidit, quare ad miserrimum redacta statum, omnibus auxilijs destituta, seu naturalis, seu supernaturalis ordinis: sibi relicta, sine ope sui Conditoris ac rectoris, vt sine gubernaculo, ac gubernatore nauis in medio pelago, periclitatur; certè destituta supernaturalibus gratię præsidijs,

quæ ad

quæ ad salutem Deumque assequendum pertinent, nihil ad eum finem moliri potest. Quapropter hæc auxilia gratiæ, non iam merito Creationis, sed Redemptionis beneficio tribuuntur, omnisque gratia deinceps, & habituum, & illustrationum piarum, vnius Christi Domini meritis est adscribenda.

Accedit, quod peccatis actualibus, quæ non exiguo numero à nobis adijciuntur, valdè imminuatur naturæ bonum, ex ijsque, vt S. Thom. asseuerat, recrudescant, & augeantur prima illa originalia vulnera. Nam quouis peccato mens & ratio valdè læditur in agendis, & voluntas induratur, ad malumque quàm ad bonum procliuior redditur. Crescit infirmitas, & bene agendi difficultas, sensuum & voluptatum concupiscentia vehementius exardescit. Hoc igitur naturæ corruptæ statu, valdè tenuia sunt in nobis virtutum semina maiorque ad vitium, quàm ad virtutem procliuitas existit. Longè vberior humiliandi nos, quam gloriandi seges, & materies: Hodieque videt Deus, *quod multa malitia est in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta ad malum omni tempore.* 1.2.q.85. Gen. 6. v. 5.

Rectè hæc Pelagio, in Stoicorum castris militanti, obijcit S. August. Ingrate, Medico quid calumniaris, infirme? *Redime me à calumnijs hominum, & custodiam legem tuam;* „ Custodiam per redemptionem tuam, non per „ potestatem meam. Ideo mihi sanitatem, quam „ nondum habeo, non arrogo; quia Medicum „ rogo. Tu autem naturæ defensor, quod vtinam „ non esses! non quasi sanæ defensionem falsam Serm. 11. de verb. Apost.

" adhiberes, sed pro nondum sanâ Medicum ro-
" gares; Nunc verò, tu naturæ defensor, vel
" potius oppugnator, dum quasi de naturâ sanâ
" laudas Creatorem, excludis de languidâ Salua-
" torem. Qui creauit, sanat, ruêtem per se ipsam,
" leuat per se ipsum. Ipsa fides est, ipsa veritas,
" hoc est Christianæ Fidei fundamentum. Vnus
" & vnus; vnus homo, per quem ruina; alius ho-
" mo, per quem structura; per illum ruina, per
" hunc structura. Cecidit qui non mansit, erigit
" qui non cecidit. Ruit ille, quia dimisit manen-
" tem: manens ille descendit ad iacentem. A
" primo parente Adamo deprauata, corrupta,
" & à recto gradu, atque ordine planè interuer-
" sa natura est: Ab altero, Christo, fæliciore
" parente, reparata, restituta, redintegrata,
" nec sine fænore gratiarum. Ab illo vitiata
" natura propagata: ab hoc in omnes mortales
" gratia deriuata. Ille primus author peccati,
" mortis, ac damnationis: hic salutis, vitę, gra-
" tiæ gloriæque largitor, & effector. Per illum
" mors, & interitus; per hunc vita, salusque
" sempiterna. Per Adamum damnati, ac mor-
" tui; per Christum saluati, vt de eius meritis
confido, viuemus in æternum.

CA-



CAPVT XXII.

Quo sensu Virtutes omnes sint inter se connexæ.

STOicorum hoc fuit dogma, multorumque Philosophorum; Morales virtutes prudentiæ vinculo inter se esse connexas; quod à SS. PP. receptum, & probatum est; sed certo quodam sensu, qui nihil officiat veritati, atque humilitati; qui quidem Catholicorum sensus, longè diuersus sit à Stoicorum sensu, paradoxo planè, ac rectæ rationi repugnante.

Nam imprimis, vt obseruat S. Thom. duplex afferri potest ratio connexionis virtutum, maximè Cardinalium; vt duplex affertur ratio distinctionis earum. Prior, dum sumuntur quasi quædam generales conditiones omnium virtutum, vt discretio pertineat ad Prudentiam, rectitudo ad Iustitiam, moderatio ad Temperantiam, firmitas animi ad Fortitudinem, quæ firmitas non habet laudem virtutis, si careat moderatione, & rectitudine, & discretione. Cõsimiliter de alijs in orbem: discretio seu prudentia debet esse iusta, temperata, & firma &c. Posterior, si virtutes iuxta proprias materias distinguantur, & specialem, quæ in eis elucet honestatem; in eodem ta-

men hærent subiecto: tumque ratio connexionis sumi poterit, penes prudentiam: quæ si perfecta sit, secum omnes trahet, ex Aristotele: in virtutibus infusis & Christianis, pænes charitatem, quæ est legis complementum, vinculum perfectionis; & cui ab eodem Apostolo genus omne virtutum attribuitur.

6. Ethi. 13

Sed vtraque ea perfectio, prudentiæ & charitatis, magis pertinet ad absolutam perfectionem ipsius subiecti, cui virtutes insunt, quàm ipsarummet virtutum. Hac duplici ratione virtutes dici possunt connexæ sensu Catholicorum, vti loquitur S. Hieron. participatione, non proprietate, nimirum ob generales eas conditiones, quæ reperiuntur in quaque virtute, quæ diriguntur à prudentia; in quibus est firmitas animi, quæ respondet fortitudini; rectitudo & æqualitas cum regula, quæ species quædam est Iustitiæ; denique moderatio & temperatio, similis temperantiæ. Deinde, quia participant idem omnes subiectum, aut eiusdem subiecti perfectione cumulantur, ac perficiuntur: nam etsi extrinseca hæc est perfectio: maior tamen est virtutis cuiusque, si fuerit in eo, in quo & cæteræ reperiantur, absolutio, quæ habeat adiunctum præsidium ac comitatum cæterarum, quàm si sola ipsa soliuaga ac solitaria existeret.

l. 1. aduersus Pelag.

Non requirit tamen vnaquæque virtus, etiam perfecta in summo heroicoque gradu, vt mox dicetur, absolutam eam subiecti perfectionem, neque cæterarum virtutum chorum ac comitatum. Spectarunt hanc vtramque rationem SS. Patres; præcipuè verò priorem. Hiero-

Hieronymus Critobulo obijcienti in gratiam Pelagij; Et quomodo legimus, qui vnam habuerit, omnes videtur habere virtutes? Atticum facit respondentem; Participatione, non proprietate. Necesse est, vt singuli excellant in quibusdam. Et ad Pammachium virum illustrem, ex senatore monachum, Paulæ generum, affinem Eustochij, Paulinæ maritum: Ep. 26.
Quatuor, inquit, virtutes describunt Stoici, „ ita sibi inuicem nexas & mutuò cohærentes, „ vt qui vnam non habuerit, omnibus careat: „ Prudentiam, Iustitiam, Fortitudinem, Temperantiam. Has omnes sic habetis singuli, vt „ tamen emineatis in singulis; Prudentia in te, in „ Matre Iustitia, in Virgine Fortitudo, in nuptâ „ Temperantia prędicatur: Quid enim eo sapientius, qui contemptâ mundi stultitiâ Christum „ sequutus est, Dei virtutem, & Dei sapientiam? Quid Matre iustius, quæ inter liberos „ opibus distributis, docuit, diuitias contemnendo, quid filij amare deberent? Quid Eustochio fortius, quæ nobilitatis portas, & arrogantiam generis consularis virginitatis proposito fregerit, & in vrbe prima primum genus subiugauerit pudicitiæ? Quid Paulinâ „ temperantius, quæ legens illud Apostoli: Honorabiles nuptiæ, & cubile immaculatum: nec „ sororis fælicitatem, nec matris continentiam „ ausa appetere, maluit in humilioribus tuta „ pergere, quàm pendulo gradu in superioribus „ fluctuare? „

Vt vna domus quadrigam emitteret sanctitatis, & fæminarum virtutibus responderent „ viri, additur comes Pammachius, verus Eze-

 chielis

" chielis Cherubin, cognatus, gener, maritus, " immo frater amantissimus, quia sancta con" sortia spiritus vocabula non tenent nuptiarum. Quæ sanè perelegans S. Hieronymi ratiocinatio, non nisi latè ac participatione virtutes esse connexas conficit, habitâ ratione generalium conditionum, quæ in omni virtute comperiuntur.

Ep. ad Hiero. 29. Hanc sententiam de connexione virtutum omnibus Philosophis placuisse ait S. Augustinus, eandemque ratione, & exemplo conatur adstruere: Quia Prudentia nec ignaua, nec iniusta, nec intemperans esse potest: si quid horum fuerit, Prudentia non erit: quare Prudentia secum alias trahit. Sic & Fortitudo imprudens, vel intemperans, vel iniusta esse non potest, &c. Exemplum affert Catilinæ Romani, qui licet omnium incommodorum esset patientissimus, vera tamen Fortitudine præditus non erat. Nam neque prudens erat ea Fortitudo: mala enim pro bonis eligebat: neque temperans: quia corruptelis fædissimis fædabatur: neque iusta: quia contra patriam coniurauerat: ideo nec Fortitudo erat, sed duritia: quę, vt stultos falleret, nomen Fortitudinis vsurpabat.

22. moral. c. 1. D. Gregorius ostendens virtutes quodam modo connexas, quodam modo non esse, ait " Vnaquæque enim virtus tantò minor est, " quantò desunt cæteræ. Vnaquæque virtus sine " alijs, aut omnino nulla est, aut imperfecta. Vt " de quatuor primis virtutibus loquar: Pruden" tia, Temperantia, Fortitudo, atque Iustitia, " tantò perfectæ sunt, quantò vicissim sibimet

coniun-

coniunctæ: disiunctæ autem tam perfectæ esse nequeunt, quàm possunt; quia nec Prudentia vera est, quæ iusta, temperans, & fortis non est; nec perfecta Temperantia, quę fortis, iusta & prudens non est. vide Eund in ps. 3. Pœnit.

Quoad posteriorem rationem; Virtutes ratione subiecti communis ac prudentiæ connexas esse docet Aristoteles: Neque id magnopere interest, an sit generalis & vnica Prudentia; an multiplex vnicuique virtuti respōdens, an sit ratio omnium agibilium in vniuersum, an tantùm certi cuiusque generis rerum: nam vt plane sit perfecta, debet esse vniuersalis, & plures amplecti partiales prudentias, quarum vnaquæque in suo genere sit perfecta: verùm ea perfectio potius est subiecti, in quo sit hęc aggregatio virtutum ac prudentiarum, vt ita dicam, aut in quo vnam contingat prudentiam extendere se ad obiecta virtutum omnium. Non potest quidem esse electio recta sine prudentia, neque item si malè sit affectus animus ad id quod eligendum est; sed nihil est necesse aut eum rectum affectum, aut prudentiam extendere se ad omnia obiecta virtutum. 3. & 5. Ethicor.

De virtute Christianâ id omnino constat, non esse eam perfectam, eâ perfectione quæ à nobis magnopere sit æstimanda, valeatque ad meritum, & Deum conciliandum, nisi sit adiuncta charitati, qua velut informetur atque animetur. Est enim charitas anima, vita, forma virtutum, plenitudo legis, quæ rectam efficit, redditque voluntatem simpliciter, non tantùm circa certum genus rerum agendarum; quę so-

la sufficit ad salutem, sine quâ nulla virtus sufficit. Quare statuunt sacræ litteræ in charitate legis complementum, & ab Apostolo charitati genus omne virtutum attribuitur: *Charitas patiens est, benigna est: Charitas non æmulatur; non agit perperam, non inflatur, &c.* Et præclarè S. August. Meritò Magister bonus dilectionem sic sæpè commendat, tanquam sola præcipienda sit, sine qua non possunt prodesse cætera bona, & quæ non potest haberi sine cæteris bonis, quibus homo efficitur bonus. Vbi est Charitas, quid est quod possit deesse? vbi autem non est, quid est quod possit prodesse? Quæ indicant Charitatem sine cæteris virtutibus non esse, saltem quoad affectum & animi præparationem; ita vt omnes, quasi in radice, existant in Charitate, quo ad dispositionem bene affectæ voluntatis, ad earum opera tempore & loco exequenda.

1. Cor. 13. v. 4.

Tract. 87. in Ioan.

Tract. 83.

Vt multi arboris rami ex vna radice prodeūt, sic multæ virtutes ex vna Charitate generātur. Ita qui Charitatem habet, omnes habet in virtute, & radice: & qui charitatē amittit, omnes amittit quoad vltimam formam & perfectionem, quę rationem meriti eis, & Christianæ virtutis, honestatem ac dignitatem, confert. Ob eam rationem S. Prosper negat, virtutes cum vitijs habitare posse, & virtutem habitare in animo vitioso. S. Bernardus connexionem hanc vocat suauissimum quendam concentum complexumque virtutum, quo fiat vt altera pendeat ex altera.

L. 3 contra Collatorē c. 27.

l. 3. de vit. Contemp.

1. de cons. ad Eug.

Serm. 1. de Annunc.

CAPVT



CAPVT XXIII.

Virtutes ex suâ formali ratione, etiam perfectæ, & in Heroico gradu, non sunt connexæ.

ANtequam id probetur, Stoicorum sensus maximè paradoxus, plenus absurditatis & falsitatis explodendus est. Nam inde deducebant virtutes inter se cohærere, quòd omnes vnam virtutem esse censerent, quâ in re secum ipsi pugnabant: nam quî sunt connexæ, si non sunt plures, sed vna simplex virtus? Plures quidem vocabulis, & appellationibus: sed re ipsâ vnam censebant virtutem, eius, quæ in animo est præstanti sima, rationis absolutionem, aut cum ratione consentientem, & perpetuam constantiam.

Vna inducitur, ait Seneca, humanis virtutibus regula: vna enim est ratio recta, simplexque. Item, si ratio Diuina est, & nullum bonum sine ratione est: bonum autem diuinum est: nullum porro inter Diuina discrimen est: ergo nec inter bona. In eandem sententiam Apuleius: vnimodam esse virtutem, quod bonum suapte natura adminiculo non indiget; perfectum autem cum sit, solitudine debet esse contentum. Ep.66.

Videri possunt Stoici stultè, ac superbè Dei Condito-

Conditoris vnitatem, ac ſimplicitatem, omniumque attributorum identitatem, in creaturam transferre voluiſſe; quaſi commode Diuina bona, quæ in Deo ſunt indiuiſa ac ſimplicia, participatione ipſa ac communicatione ſeparari, ac diuidi nequiuerint.

l. de virtu. Moral. Refert Plutarchus, Zenonem ſcripſiſſe, Prudentiam, dum ſuum vnicuique tribuit, eſſe Iuſtitiam; dum res eligit, Temperantiam; dum tolerat, Fortitudinem. Nec refert, ſi quiſpiam dixerit eum prudentiæ nomine ſcientiam intelligere; cum in ſcientiâ virtutes collocaret; ſed non rectè delectus rerum Temperantiæ tribuitur, cui voluptatum contemptus fuerat 3. de fini. tribuendus. Itaque Tullius id rectius exequitur, & appellatione magis, quàm re ipſa, virtutes ſecerni demonſtrat. Atque hæc coniunctio confuſioque virtutum, tamen à Philoſophis ratione quadam diſtinguitur: Nam cum ſic copulatæ connexæque ſint, vt omnes omnium participes ſint, nec alia ab alia poſſit ſeparari; tamen proprium ſuum cuiuſque munus eſt, vt Fortitudo in laboribus periculiſque cernatur, Temperantia in prætermittendis voluptatibus, Prudentia in delectu bonorum & malorum, Iuſtitia in ſuo cuique tribuendo.

Ep. 95. Nihil agetur, ait Seneca, ſi ignoramus quid virtus ſit: vna, an plures: ſeparatæ, an nexæ, ac qui vnam habet cæteras habeat. Nihil ſanè egerunt Stoici, qui virtutem à ſua regula, & recta ratione ſecernendam non viderunt; ideoque vnam, non plures; connexas, non ſeparatas cenſuerũt, ex vno errore in alium præcipites; cum & ipſa recta ratio, prudentiaque multiplex

conſti-

constitui posit, ac debeat, pro vario genere rerum, in quo versatur.

Si cui minùs probetur, Stoicis omnes virtutes vnam fuisse virtutem; id certè probatur ex eorum sententiâ; Ad cuiusque virtutis actionem cæteras omnes confluere, ac vim suam conferre; quâ de re Seneca: Cùm aliquis fortiter patitur, omnibus virtutibus vtitur fortasse, cum vna in promptu sit, maximeque appareat, Patientia. Cæterum illic est fortitudo; cuius Patientia, & Perpessio, & Tolerãtia rami sunt (copia verborum, res eadem) Illic est Prudentia, sine qua nullum initur consilium; quæ suadet, quod effugere non posis, quàm fortissimè feras. Illic est constantia, quæ deijci loco non posit. Illic est indiuiduus ille comitatus virtutum. Quicquid honestè fit, vna virtus facit, sed de consilij sententia. Ep. 67.

Verùm huic dicto reclamat experientia; Non enim semper occurrunt, neque inter se connexæ sunt virtutum omnium materies, & actiones; multoque minùs ipsæ formales rationes virtutum, honestates ob quas exercentur, confluunt atque inter se cohærent. Non semper incidunt pericula mortis, circa quæ versetur Fortitudo, nec voluptates gustus ac tactus, quas aspernetur, aut moderetur Temperantia, potestque ipsum opus Temperantiæ, abstinentiæ, ieiunij, macerationis carnis, exerceri non temperatè, non ex amore. Temperantiæ, vel eius honestatis laude; sed ex Dei Charitate, alióue sublimiori fine, ad cæleste Dei regnum promerendum.

Euenire potest, vt vir perfectus & religiosus, qui

qui summo studio in Humilitate, Obedientiâ, Patientiâ, Pænitentiâ, Deuotione paranda se exerceat, nihil de Iustitia, aut Fortitudine multos menses & annos cogitet, qui nempe solitarius agat, extra omnem metum mortis ac periculorum, extraque omnem curarum tumultum; cui cum hoc mundo nihil sit omnino commercij; is nullam certè habeat occasionem exercendæ munificentiæ aut liberalitatis, in erogando sumptu pecuniarum, aut earum rerum, quæ pecuniâ æstimantur: cui tota cura sit, conseruandæ Deo nuncupatæ paupertatis, cum rebus omnibus nuncium remiserit, vt expeditiùs aliarum se virtutum exercitijs impenderet.

Euenire item potest, vt obseruetur præceptum aliquod Dei, aut superiorum, neque tamen exerceatur, aut acquiratur specialis virtus obedientiæ, ex speciali fine & honestate in eo sita, quòd quis subijciat se voluntati superioris; si seruet ex alio fine, ex amore Dei, ne Deum offendat; aut metu etiam damnationis, & pænarum Inferni; aut spe cælestis præmij consequendi. Qua quidem ab experientiâ ductâ non infirma, nec obscura ratione, confirmatur nostra sententia.

Sed primùm ex Philosophiâ reuocandum est in memoriam, dispositionem & habitum, in prima specie qualitatis, non differre specie; sed dumtaxat accidentariè, pro diuerso gradu ac statu; vt tum dicatur habitus, quando difficilè amoueri potest à subiecto, ob magnam intensionem, & quando magnam præbet firmitatem, & promptitudinem operandi.

Antequam

Antequam ad eum gradum attigerit, dispositio dicitur, non habitus, nec virtutis nomen obtinet.

Ad opus autem studiosum, siue virtutis, has conditiones Philosophus requirit, vt quis illud faciat sciens & eligens propter ipsum, ob honestatem virtutis, animo firmo, & stabili; quæ videntur illæ ipsæ generales supra memoratæ conditiones. Assignantur præterea tres Virtutum Moralium status; Vnus continentiæ, in quo passiones sunt vehementes, quibus difficilè obsistitur; Alter temperantiæ, in quo sunt moderatæ, & in ordinem redactæ; Tertius Heroicus, in quo penitus sunt extirpatę, & quasi sopitę. In primo videntur dumtaxat mereri nomen dispositionis, in secundo & tertio, habitus & virtutis. 2. Ethic. c.4.

Penitus extirpari non possunt passiones, aduersus Stoicos; possunt tamen ita sopiri, vt molestiam non creent. Hoc constituto, non difficilè est probatu; Virtutes, etiam perfectas, & in gradu Heroico, non esse connexas ex sua ratione formali: nam cum sint habitus, qui per proprias operationes acquiruntur, & per contrarias interrumpuntur, possitque quispiam se exercere in operationibus vnius habitus, non alterius, frequentare item actiones vni habitui contrarias, non alteri; sequitur, virtutem vnam, etiam in statu perfecto, sine altera acquiri posse: posse item vnam per actiones contrarias amitti, sine cæteris. Nemo enim dixerit, aut omnium virtutum actiones semper esse connexas, aut earum materias semper se offerre.

Deinde

Deinde esto, demus materias omnium virtutum, & actiones esse connexas (quod tamen dandum negat experientia) nihil est necesse, ipsas rationes formales virtutum esse connexas; nec fieri potest, vt quis ex fine, & formali ratione omnium simul virtutum, ob earum honestatem operetur; qui autem exercet opus virtutis ex amore Charitatis erga Deum, solùm exercet opus Charitatis, non alterius virtutis, nisi materialiter, vt iam dixi, opus temperatum, ieiunando, sed non temperatè ob honestatem ipsius Temperantiæ. Cum igitur nec materiæ, nec rationes formales virtutum sint connexę, neque simul omnium actiones exerceri queant, satis apparet sensu Stoicorum illas inter se non esse connexas; nec qui vnam habuerit, etiam perfectam, cæteras habere; nec qui vna caruerit, cæteris carere.

Hæc sententia Catholicorum non obscurè colligitur ex Scripturis: nam Apostolus, cum de continentia loquitur, dicit: *Vnusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius verò sic*. Multi Castitate coniugali pręditi sunt, non tamen integritate virginali; multi Castitatem seruant, tamen iracundi vel ebriosi. In Apocalypsi Angelo Ephesi Patiéntiæ virtus tribuitur, qui tamen Charitatem primam reliquerat. Ab Apostolo item agnoscitur Misericordia & Liberalitas in pauperes à Charitate seiungi posse, imò & ipse fortitudinis summus actus perpessio Martyrij.

[1.Cor.7. v.7. — Bern. Serm. 58. in Canti. — Apoc.2. — 1.Cor.13.]

Colligitur præterea ex SS. Patribus. Hieronymus contra Pelagian. negat in vno aliquo homine, dum in hoc mortali corpore viuitur, posse

[Dial.1. c.7.]

posse esse omnes virtutes; contrariam sententiam Philosophorum esse, non Apostolorum; nec sibi curæ quid Aristoteles, sed quid Paulus doceat; Nullum, aut rarum esse Episcopum, qui omnes habeat virtutes, quas in eo requirit Apostolus. Nec tamen, si vnum aut duo desint, iusti carebit vocabulo; Omnem enim habere virtutem eius est, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Ibid. c.8.

Idem Hieronymus: Nunc Deus per partes in singulis est, in alio Iustitia, in alio Castitas, in alio Temperantia, in alio Sapientia, in alio Fortitudo; & difficile est, etiam in Sanctis viris atque perfectis, omnes pariter esse virtutes; Cum autem in fine rerum & consummatione mundi ei fuerint vniuersa subiecta, adimplebitur omnia in omnibus, vt iuxta id quod Deus est, cunctis virtutibus plenus, omnia in omnibus adimpleatur, & sint vniuersi habentes omnia, quæ ante singula singuli possidebant. In c.1. ad Eph.

Augustinus ad Hieronymum, post ea dicta de connexione virtutum, quæ iam protulimus in contrarium, versâ disputatione eam sententiam impugnat, & denique ait: Si autem (quod puto esse verius, sacrisque litteris congruentius) ita sunt animæ intentiones, vt corporis membra; profectò ita vt quisque illustratione piâ Charitatis affectus est, in alio actu magis, in alio minùs, in aliquo nihil; sic potest dici habere aliam, & aliam non habere, aliam magis, aliam minùs habere virtutem. Vna sanè virtus non est totalis hominis perfectio, sed partialis; sicut vnus Ep.29.

sensus in corpore animantis, non est tota eius perfectio; vt potest vnus sensus sine alio haberi; ad eum modum & virtus. Cur nequeat quis esse benè affectus circa ea quæ terrent, non circa ea quæ delectant? & vice versa?

l. de patient. 26. Docet idem S. Pater, quempiam nondum habere Continentiam, qui tamen & Patientiam habeat, & Misericordiam. In Schismatico moriente pro Fide Christi laudabilem l. 2. de pec. merit. 19. Patientiam agnoscit, à Charitate tamen seiunctam; denique pro custodia Humilitatis, omnes Iustos relinqui obnoxios quibusdam vitijs.

Hom. 13. in Euang. Gregorius; Aliquos Castitate præeminentes, qui necdum se per bona opera exercent; etsi neget eos Deo placere.

Sent. 7. Prosper; Vna excepta Charitate, omnes virtutes & bonis & malis esse communes.

l. 5. Inst. c. 14. Lactantius; Reliquas virtutes, vt Fidem, Temperantiam, Probitatem, à Iustitia posse secerni. Bernardus; Magnus est qui tria vel Serm. 70. in Cantic. sub finem. quatuor lilia ædificare poterit in tanta densitate spinarum, & tribulorũ quæ sunt germina " inueterata maledictionis antiquæ; mecũ verò, " qui pauper sum, bene agitur, si ab hac pessima " segete immaculatum tantillum terræ animæ " vindicare extirpando & excolendo sufficiam, " vnde vnum saltem lilium producere possim " Innocentiæ, Continentiæ, Patientiæ.

Dicat quispiam, non videri Temperantiam esse perfectam sine præsidio & consortio cæterarum virtutum; Exempli causa, in virgine, cuius pudicitia vel pretio, vel minis ac metu mortis expugnetur; erit ea virgo intempe-

intemperans, non quòd careat virtute Temperantiæ, sed quòd careat virtute Liberalitatis, aut Fortitudinis; magisque dicenda erit auara vel timida, quàm intemperans, quæ pretio vel minis, non ipsa voluptate superata, veluti repugnans flagitium admittat intemperantiæ. Respondetur, ad perfectam rationem cuiusque virtutis sat esse, vt quis promptè, firmiter ex ea, sciens atque eligens, operetur, ob ipsammet eius honestatem; quo fine non est necesse Prudentiam in omni genere rerum esse perfectam, nec se extendere ad materias aliarum virtutum. Quare in ea virgine potest esse perfecta Temperantia, tametsi præsidio Liberalitatis ac Fortitudinis destituta. Potest in ea tuendæ integritatis tam firmus intensusque affectus existere, vt vincat omnem auaritiæ & incussi metus tentationem, etsi non ex affectu Liberalitatis & Fortitudinis.

Potest ea quoque tentatio superari ex affectu Charitatis in Deum, aut metu pœnarum Inferni. Neque ad perfectam rationem virtutis exigitur, vt nulla planè tentatione superari queat: etsi enim quis ad perfectissimum statum virtutis attigerit, nondum tamen in Dei gratia est confirmatus; Non negamus tamen, extrinsecam quandam virtuti perfectionem accidere ex aliarum comitatu, ac veluti quadam redundantia (vti loquitur S. Thomas) ratione subiecti, cum fuerit omnibus virtutibus cumulatum.



CAPVT XXIV.

Virtutes omnes non esse inter se pares; nec in eodem, nec in diuersis hominibus æquales.

1.2.q.66. VT paucis expediamus, sententia atque authoritate S. Thomæ, primùm virtutes specie differentes non esse pares, apertum est; quòd causa semper effectu suo potior habenda sit, & inter effectus primus ei locus attribuendus, qui causæ suæ propinquior existat. Constat autem causam, & radicem omnis boni in homine, rationem esse; quare moralium virtutum primam ac principem esse Prudentiam, quæ rationem perficit; proximum tenere locum Iustitiam, quæ est in voluntate; tum Fortitudinem, & Temperantiam, quæ sunt in appetitu, tum irascibili, tum concupiscibili. Inter

Ex Ar.ist. Et .7. ar. 6. Theologicas, salua fide dubitari nequit, quin excellat Charitas, Fide & Spe præstantior. *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas,*

1.Cor.13. v.13. *tria hæc; maior autem horum est Charitas.*

Quamuis idem sit obiectum trium virtutum Theologicarum, Deus Opt. Max. tamen id propius attingit Charitas sine vlla imperfectione, nec respicit Deum non visum, aut nondum habitum, sed potius præsentem

præsentem Deum efficit, tenet, ac complectitur; iuxta illud. *Qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Neque Fides & Spes causæ sunt Charitatis, nisi dispositiuæ & remotæ. Deus illam infundens causa est proxima, sed hęc ad Theologos. 1. Ioan. 4. v. 16.

Iam de virtutibus eiusdem speciei, sintne semper pares & æquales, vti Stoici contendebant, adhibenda distinctio est. Si ratio habeatur extensionis, cum Stoicis dicendum, eandem specie virtutem ad eadem obiecta se extendere, si perfecta sit virtus: etsi scientia, vel ars, quæ minùs propriè merentur nomen virtutis, extensione sint variæ; si verò spectetur intensio, seu ratio participantis subiecti, sic contingit virtutem esse maiorem aut minorem, siue in eodem diuersis temporibus, siue in diuersis hominibus; quoniam ad attingendum virtutis medium, quod est secundum rectam rationem, vnus est alio meliùs dispositus, aut propter maiorem assuetudinem, aut meliorem indolem & naturæ temperiem, aut perspicacius iudicium rationis, aut denique maius Diuinæ gratiæ donum, quæ ex quatuor causis præcipua semper, ac primo loco numeranda est, cum omnis virtus sit præstans Dei donum, quod vnicuique donatur, *Secundùm mensuram donationis Christi*; Qua in re Stoici fallebantur opinantes neminem esse virtute præditum, nisi qui summè atque optimè dispositus foret ad virtutem; quæ non id exigit, vt medium virtutis attingatur in ad Ephes. 4. 7.

puncto quodam indiuisibili, cum sufficiat ad id propinquasse ac prope accessisse; Tum & idem indiuisibile signum vnus promptiùs & propinquiùs attingit quàm alius, quod vtrumque promptitudinis & propinquitatis discrimen in sagittarijs, qui ad certum scopum iaculantur, apparet.

Ex Arist. Echi. 2.

Ex SS. Patribus videri possunt aliqui ad Stoicorum dogma nonnihil accessisse, dum in eodem homine virtutes omnes pares & æquales asseruerunt. S. Augustinus connexioni virtutum æqualitatem adiungit; vt quicumque sunt æquales Fortitudine, sint etiam æquales Prudentiâ; &c. si enim illum præstare dixeris Prudentiâ, sequitur vt Fortitudo huius sit minus prudens, ac proinde non sint æquales Fortitudine.

6. de Trin. c. 4.

Hom. vlt. super Eze.

Gregorius ad illud: Et mensus est atrium: Fidem, Spem, Charitatem, atque operationem, quamdiu in hac vita viuimus, æquales sibi esse apud nosmetipsos inuenimus. Nam & in quantum credimus, tantum amamus; & quantum amamus, tantum de Spe præsumimus. Inf. Vnusquisque, qui in hoc vitæ exercitio versatur, tantum credit, quantum sperat, & amat; & tantum operatur, quantum credit, sperat, & amat. Mox idem de quatuor principalibus asserit, quas ita in quadro positas esse vult, vt vna aliam non excedat: Vnusquisque tantum prudens est, in quantum temperans, & iustus tantum, quantum prudens, &c.

Verùm quid voluerint hi SS. PP. opti-

mè explicat Sanctus Thomas; Virtutes esse æquales æqualitate quadam proportionis, vt digiti manus sunt quidem inæquales quantitate inter se, sed æquales proportione; quia crescunt & augentur æqualiter. Ita autem sentiendum de virtutum æqualitate, vt de connexione; primum esse æquales secundùm quatuor conditiones, quæ generatim in omni virtute reperiuntur; quam rationem spectauit S. Augustinus: Deinde esse æquales in eadem radice Prudentię, aut Charitatis; vt quanta est Prudentia, tantę sint morales reliquæ, quæ à Prudentiæ regula pendent; quanta est Charitas, tantæ sint infusæ & Christianæ virtutes; vtq; crescit radix & causa, ita & reliquæ crescant, quæ sunt velut rami ac effectus inde producti. Non quod vna virtus secundùm speciem suam, & proprij obiecti rationem non sit dignior & præstantior alterâ, sed quòd in radice Prudentiæ & Charitatis, proportione quadam crescant æqualiter.

Non dubitauit S. Augustin. de bono coniugij, Patriarchas secundùm eas virtutes, quas in opere non habuerunt, sed habitu solo & affectu, comparare cum eis, qui eas opere exercuerunt; vt cum Ioannis Virginitate atque Integritate, Continentiam Abrahæ maritalem. Et sanè potest in quibusdam coniugatis æquè, aut magis etiam intensus amor atque affectus Pudicitiæ reperiri, atque in quibusdam Virginibus, quas proinde idem Sanctus c. 21.

Auguſtin. toto libro de Virgin. ad humilitatem cohortatur.

In diuerſis hominibus iuxta hanc poſteriorem rationem & radicem Prudentiæ aut Charitatis, non ſemper æquales eſſe virtutes apertum eſt; cum nec Prudentia, nec Charitas in ijs ſit æqualis. In eodem ſecundùm propriam obiecti rationem non eſſe æquales, docet experientia & ratio: Nam pleroſque videmus promptiùs & delectabiliùs exercere actum vnius virtutis, quàm alterius; nec mirum, quia virtus vt acquiritur, ita augetur atque intenditur actuum frequentiâ. At contingit à quopiam magis repeti, ac frequentari actus vnius virtutis, quàm alterius. Hinc litteræ ſacræ, atque hiſtoriæ alios præ alijs, Sanctos commendant à certis virtutibus, vt Abraham & Sanctum Petrum ab eximiâ Fide, Ioſeph & Sanctum Ioannem à Pudicitiâ & Caſtitate, Iob & Tobiam à Patientiâ, Moyſen & Danielem à Manſuetudine. Sic in Martyribus animi Fortitudo, in Virginibus Caſtimonia, in quibuſdam Confeſſoribus deuotio atque humilitas, in alijs aliæ virtutes excelluerunt: & de quolibet Sancto canit Eccleſia: Non eſt inuentus ſimilis illi, qui conſeruaret legem Altiſsimi, ob ſpecialem aliquem eius obſeruandæ modum, & virtutis alicuius excellentiam ac prærogatiuam.

1. contra Pelag. 7. Critobulo apud Hieronymum interroganti; Et quomodo legimus, qui vnam habuerit, omnes habere virtutes? Reſpondet Atticus, vt ante citaui: participatione,

non

non proprietate. Necesse est vt singuli excellant in quibusdam, si totum requiris ab omnibus, tollis rerum diuersitates, & gratiarum distantiam, & Creatoris Artificis Maiestatem. Demonstrarat iam supra Timothei discipuli Iustitiam non esse parem & componendam cum Apostoli Magistri eius Iustitia, qui plus omnibus laborauit &c.

Maneat itaque SS. Patrum ratione atque authoritate profligatum hoc quoque dogma Stoicorum.





CAPVT XXV.

Vitia omnia nec ſunt connexa inter ſe, nec paria.

FVit hic quoque Stoicorum maximè delirus error, quo ex virtutum connexione ac paritate colligebant, & vitia item connexa inter ſe, & paria eſſe oportere. Sed longè alia eſt ratio vitiorum, ac virtutum: Nam quoad connexionem rectè obſeruat S. Auguſtinus, non eſſe conſequens, ſi connexę ſint virtutes, vt & vitia connectantur: Neque enim vnum aliquod vitium cætera omnia conſequitur, aut antecedit, quo colligentur.

Ep. ad Hiero.

1. contra Donatiſt. 20.

Iam quidem dictum eſt, Virtutes ex ſua ratione formali ac ſpecie non eſſe connexas; Si connexæ dicantur participatione, non proprietate, quòd in ijs illæ quatuor generales conditiones reperiantur quatuor cardinalibus reſpondentes, aut quòd in vndequaque perfecta Prudentia aut Charitate tanquam in radice colligentur, quæ colligatio extrinſeca eſt, ex ſubiecti, cui inſunt, perfectione; At verò nullum eiuſmodi, vinculum poteſt excogitari, in quo vitia coniungantur, niſi in omnimoda imprudentia, & amore ſui proprio, ſeu praua cupiditate. Sed hoc eſt diſcrimen, quod Prudentia & amor

Dei

Dei colligat ac congreget hominis affectus, & à multis ducat in vnum: At amor sui disgreget affectum hominis in diuersa, prout quis se amans pro vario mentis errore, diuersa appetit temporalia bona. Alioquin non incommodè amor Dei, radix virtutum; Amor sui, vitiorum, diceretur. S.Aug.14. de Ciuit. Dei.

Quod obijcere quis possit, D.Gregorium asserere superbiam esse omnium malorum radicem, & 7. alia vitia ad se trahere, cuius animum semel occupauerit; intelligat id non semper, neque necessariò, sed frequenter euenire, quod vnum peccatum disponat ad aliud. Neque superbia radix esse potest Pusillanimitatis, quæ ei opposita est, sed plerumque 7. Capitalium. Quò pertinet quod iam dictum ex S. Thoma: Amorem Dei, quo nascuntur & conseruantur virtutes, esse congregatiuum, & à multis tendere ad vnum; Amorem sui disgregatiuum, & ab vno in multa dispergi. Greg. 31.mor.

Constat vitia inter se esse contraria, quare nec se compati. Extat pulcherrimus sermo S. Augustini, de Auaritia & Luxuria, pugnantibus inter se Dominis, cuius fragmentum intexendum hoc loco putaui, vt & illud appareat, quàm sit amor sui, parens vitiorum, disgregatiuus, vt amor Dei est congregatiuus; vt hic vnit & congregat, ita ille diuidit ac dissipat. Aliquando duæ Dominę occupant cor, & seruum malum „ dignum seruire talibus in diuersa discindunt. „ Auaritia dicit: Serua; Luxuria dicit: Eroga; „ sub duabus Dominis diuersa iubentibus, di- „ Serm. 49. de diuer.

" uersa exigentibus, quid facturus es? Habent
" allocutiones suas ambæ. Et quando cęperis
" nolle obtemperare, & in libertatem tuam ire,
" quia iubere non possunt, blandiuntur. Et
" plus sunt cauenda earum blandimenta, quàm
" iussa. Quid dicit Auaritia? Serua tibi, serua
" filijs tuis; si egebis, nemo tibi dabit. Noli ad
" tempus viuere, consule tibi in futurum. Con-
" tra Luxuria: Viue cum viuis, fac bene cum
" anima tua, moriturus es quando nescis, cui
" relicturus, an sit possessurus ignoras. Tu de-
" mis & subtrahis gutturi tuo, ille fortè cum
" mortuus fueris calicem super te non ponet,
" aut si fortè calicem ponet, ipse inebriabitur,
" ad te nulla stilla descendet. Fac ergo bene cum
" anima tua quando potes, cum potes. Aliud
" iubebat Auaritia; Serua tibi, consule tibi in
" posterum. Aliud Luxuria; Eroga, fac cum
" anima tua benè. Tędeat te, ô liber, in liber-
" tatem vocate, tædeat te talium dominarum
" seruitus: Agnosce Redemptorem tuum, Ma-
" numissorem tuum; Procedat Dominus tuus
" eadem dicturus, contraria non dicturus. Re-
" demptor tuus faciliora iubet, contraria non
" iubet: Serua tibi, sed quo loco habebis, the-
" saurum in Cælo, vbi fur non accedit, neque
" tinea corrumpit. Consule in posterum, in
" quantum posterum? in dies paucos & incer-
" tos? homini fortasſis, nec victuro crastino?
" Ad vnum Deum, & ad vnam æternitatem
" omnia virtutum officia referenda. At vitia
cum auertunt à Deo, in varias animum crea-
turas dispergunt, & pugnantibus inter se
cupiditatibus dissecant, & dispertiuntur.

Quamuis

Quamuis id ſit commune omnibus vitijs & eccatis, quod per ea recedatur à regula rectæ ationis, & mens auertatur ab amore ſummi oni; non tamen fit acceſsio & conuerſio ad num aliquod bonum creatum, ſed ad diuerſa, nullam connexionem habentia, imò inter e contraria & pugnantia.

Locus ille: *Quicumque autem totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus*: Exponitur à S. Thoma, ratione auerſionis à Deo legiſlatore, non conuerſionis ad commutabilia bona; optimè à S. Auguſtino, ratione Charitatis, quæ eſt vinculum perfectionis, & initium totius Legis obſeruantiæ. Iacob. 2. 10. Serm. 61. de temp.

Notat Burgenſis hunc fuiſſe Phariſæorum errorem; non damnari eum, qui maiori ex parte Legem ſeruaſſet; cum in omnibus opera bona malis permixta comperiantur, ſaluandos eos, qui maiorem haberent cumulum bonorum operum. Aduerſus hunc errorem docet S. Iacobus, eum omnino puniendum, qui in vno deliquerit, factum eſſe reum totius legis, quia totam obſeruare tenebatur. Qui enim dixit: Non mæchaberis, dixit & non furaberis. Cum idem ſit Legiſlator, æquè eius omnia præcepta ſunt obſeruanda, æquè violatur eius maieſtas in vnius, atque alterius præcepti tranſgreſsione; non quòd omnia tranſgredi, ac violare ſit neceſſe. Iam quoad paritatem ac æqualitatem vitiorum, Tullius, peccata eſſe æqualia, ſic ratiocinatur: Quod ſi virtutes pares ſunt inter ſe, paria etiam eſſe vitia neceſſe eſt. Atqui pares eſſe virtu- Parado. 3.

tes,

tes,nec bono viro meliorem, nec temperante temperantiorem, nec forti fortiorem, nec ſapienti ſapientiorem poſſe fieri, facillimè poteſt perſpici. Nos verò negamus id perſpici poſſe; cum demonſtratum ſit virtutes eſſe inæquales, ſi ſpectetur earum formalis ex obiecto ratio ac ſpecies. Sed eſto, virtutes ſint pares & æquales, non ſequitur id de vitijs, vt oſtendit S. Auguſtinus,quia vbi nulla virtus, ibi nihil rectum; nec tamen non prauo prauius, diſtorto diſtortius eſt: Poteſt enim à recto plus minuſve recedi, ſicut in lineis,ita in actionibus; quâ ſimilitudine vtebantur Stoici, plenius in Paradoxis libri ſequentis refellendi.

Siue dicatur malitia vitij conſiſtere in priuatione rectitudinis, & bonitatis oppoſitæ virtutis; ſiue in poſitiuâ diſconuenientiâ cum rectâ ratione, & oppoſitione cum lege Diuina, aut honeſtate virtutis; haud difficulter explicatur, qua ratione peccata ſint inæqualia, quæ priuant diuerſis formis & rectitudinibus, ſeu honeſtatibus virtutum, aut inæqualiter,in æquali modo, vel inæquali ex cauſa magis repugnante; quæ omnes conditiones etſi in priuationibus Phyſicis non æſtimentur, tamen plurimum valere, & momenti habere debent in priuationibus moralibus.

S. Thom. ait peccata eſſe ſimilia priuationibus in fieri, & non in facto eſſe; ſimilia eſſe morbis & ægritudinibus, non morti, quæ eſt conſummata priuatio vitæ. Verùm hæc ipſa priuatio vitæ, ſi in genere moris ſpectetur, magnam habet latitudinem, & variè poteſt æſtimari:

æstimari: Non enim omnis mors eiusdem est generis & modi; sic, esto peccatum læthale sit consummata priuatio gratiæ, in qua nihil remaneat oppositę formæ ac rectitudinis; tamen non semper eadem est indiuisibilis forma, aut non semper æque eodemve modo tollitur, nec ab eadem causâ, morali quadam æstimatione spectatâ.

Si spectemus oppositionem cum rectâ ratione, aut Diuina Lege; apertiùs constet eam esse maiorem in quibusdam peccatis, quàm in alijs; & tametsi omnia peccata auertant à Deo, tamen quædam grauiùs eius Maiestatem offendunt, per quæ nempe magis à Deo receditur, magis eius lex, voluntas, authoritas negligitur atque despicitur. Vniuersim imparitas hæc vitiorum ac peccatorum, siue in eodem, siue in diuersis hominibus, variè æstimatur: ex obiecto, propensione maiore vel minore, causâ, persona, loco, tempore, modo, alijs circumstantijs.

Sententia Stoicorum damnata pridem est in Iouiniano Hæresiarcha, aduersum quem librum edidit S. Hieronymus. Scripsit item aduersus eundem S. Augustinus. Præter alia testimonia, proferri potest aduersus Iouinianum illud Apostoli: *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes*; tam nefaria & inaudita. Et illud Domini ad Pilatum: *Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet*; Siue quia non ignorarit me sponte obtulisse pasioni & morti; siue quia non contentus priuatim occidere, maiore cum infamia per potestatem publicam voluerit è medio

l. de Hære. contra mend. Ep. 15.
1. Cor. 5. 1
Io. 19. 11.

dio tolli; siue quod ex odio & inuidia maiore Iudęi summa contentione, propemodum ab inuito Pręside damnationem extorserint.

Quod obijciunt Stoici; Verum vero verius esse non posse, nec falsum falso falsius, negatur ab Aristotele: neque enim paria sunt duo & tria, nec æquè falsum dixit is qui quatuor quinque esse putabat, atque is qui mille. Spectanda maior minorve oppositio cum veritate, & tametsi nihil remaneat veritatis in quouis mendacio, manet quædam assimilatio velut vmbra veritatis, quare magis verum dicit &c. Idem de virtutibus docet; audaciam habere similitudinem cum fortitudine, insensibilitatem cum temperantia. Est hæc quoque priuatio moralis, in qua non æquè, non omni modo, non ab eadem causa, non eisdem circumstantijs (quarum omnium moralis quędam æstimatio est) forma semper tollitur, quin amplius etiam auferri queat. Sed plenius hæc in paradoxis.

4 Metaph. c.4.te.18.

2.Eth.c.8.

CAPVT



CAPVT XXVI.

'irtutes Stoicorum fuisse superba vitia, ex mente S. Augustini.

X pluribus S. Augustini locis duos tresve producam, è quibus eius mens ac senten- non obscurè colligatur. libro 5. de Ciuit. o. (cuius titulus est: Tam turpiter seruire tutes Humanæ Gloriç, quàm corporis Vo- ɔtati) cum meminisset eius tabulæ, quam icureis pudendam Stoici depingere con- ssent, cuius & meminit Tullius; Voluptati mpe, veluti Reginæ pulcherrimo vestitu & natu in regali solio considenti, præsto esse rtutes vt ancillulas, quæ nihil aliud agerent, llum suum officium ducerent, nisi vt Volu- ti ministrarent; Demonstrat eam tabulam icis quoque parem pudorem inijcere de- e, similem, nec satis debiti decoris esse pi- ıram, si talis fingatur, vt Virtutes Huma- Gloriæ seruiant: licet enim delicata mu- r non sit, inflata tamen est, & multum ha- t inanitatis. Vnde non ei dignè seruit so- itas quædam firmitasque Virtutum; vt ni- prouideat Prudentia, nihil distribuat Iu- ia, nihil toleret Fortitudo, nihil Tempe- ıtia moderetur, nisi vt placeatur hominibus entosæ Gloriæ seruiatur.

Quem-

Quemadmodum igitur Epicureorum virtutes, non sunt veræ virtutes, nec eo nomine dignæ, quòd ad voluptatem referantur, illique turpiter inseruiant; ita & Stoicorum virtutes inanes sunt ac falsę, quòd ad Humanam Gloriam referantur, Deumque sibi scopum præfixum non habeant, ex S. Aug. sententia. Nec illi, inquit, se ab ista defenderint fæditate, qui cum aliena spernant iudicia, velut glorię contemptores, sibi sapientes videntur, & sibi placent: Nam eorum virtus, si tamen vlla est, alio quidem modo humanæ subditur laudi. Neque enim ipse, qui sibi placet homo non est. Nisi igitur in Deum referantur virtutes, si seipsas aut hominem, cui insunt, spectent, vanæ sunt ac superbæ, virtutis laude ac nomine minimè dignę.

l. 5. de Ciuit. 20.

Item 19. de Ciuitate 25. cuius titulus est. Quod non possint ibi veræ esse virtutes, vbi non est vera Religio. Quamlibet enim videatur animus corpori, & ratio vitijs laudabiliter imperare; si tamen Deo animus, & ratio ipsa non seruit, sicuti sibi seruiendum esse ipse Deus pręcepit, nullo modo corpori vitijsque rectè imperat. Nam qualis corporis atque vitiorum potest esse mens Domina, veri Dei nescia, nec eius imperio subiugata, sed vitiosissimis dæmonibus corrumpentibus prostituta. Proinde virtutes, quas sibi habere videtur, per quas imperat corpori & vitijs ad quodlibet adipiscendum, vel tenendum, nisi ad Deum retulerit, etiam ipsa vitia sunt potius, quàm virtutes. Nam licet à quibusdam ex verę & honestę putantur esse virtutes, cum ad

im ad se ipsas referuntur, nec propter aliud "
:petuntur, etiam tunc inflatæ ac superbę "
int, & ideo non virtutes, sed vitia iudicanda "
int, sicut enim non est à carne, sed supra car- "
:m quod carnem facit viuere; sic non est "
› homine, sed supra hominem quod homi- "
:m facit beatè viuere; nec solum hominem, "
l etiam quamlibet potestatem, virtutem- "
ie cælestem,

Et contra Iulian. Noueris, inquit, non ficijs, sed finibus à vitijs discernendas esse ·tutes; officium est autem, quod facien- "
m est: finis autem, propter quem facien- "
m est. Cum itaque facit homo aliquid vbi "
:carenon videtur, si non propter hoc fa "
, propter quod facere debet, peccare "
iuincitur. Et post nonnulla, de veris & "
is virtutibus: Quicquid autem boni fit "
homine, & non propter hoc fit, propter "
od fieri debere vera Sapientia præcipit, "
officio videatur bonum, ipso non recto "
: peccatum est. "

l. 4. contra Iulian. c. 3.

Prosper. Omnis infidelium vita, pecca- a est, & nihil est bonum sine summo bo- Vbi enim deest agnitio æternæ & incom- tabilis veritatis, falsa virtus est, etiam in imis moribus: Quæ verba repetit in ti- › & carmine de ingratis: Omne etenim :utis opus, si semine verę Iustitiæ careat catum est. "

l. sentent. Aug. sentent. 16.

unt qui S. Augustinum feruore disputa- ıis abreptum longiùs processisse existi- ıt, & nullam sine Fide, Spe, Charitate ım virtutem agnouisse, adeoque infide-

lium omnia opera existimasse peccata, quòd à fide non dirigerentur in suum finem: nulla autem agnouisse opera indifferentia. Fides intentionem dirigit: intentio bonum opus facit, vt ostendit præfatione in psalmum 31. Consequens igitur est vbi fides non est, nullum sit opus bonum. Verum obseruandum est ex citatis locis, & serm. 13. de verbis Apostoli S. Augustinum in Stoicos potissimùm inuehi, & eos reprehendere, quòd ad seipsos virtutum officia referrent, & virtutes seipsis contentas esse, secluso omni alio fine, per se expetendas, idque principaliter vt in eis amor sisteret ac defigeretur, quo sensu verissimè sanè dixit superbas esse & inflatas, vitia esse non virtutes, cum ad seipsas referuntur; quia Stoici in ipsis virtutibus extremi finis & summi boni rationem collocabant, Deum earum Authorem ac finem secludentes. Vt à seipsis se habere virtutes opinabantur, & non à Deo; ita in seipsos, non in Deum eas referebant, qui sanè pessimus finis non poterat non vitiare virtutum officia; quamuis exteriùs viderentur fieri ob honestatem ipsarum; tamen reipsâ fiebant ob suimet amorem immoderatum, ac vitiosum.

Nemo negauerit Epicureorum, & Stoicorum opera omnia esse peruersa, dum ex eo fine extremo, quem sibi propositum habebant, efficerentur; Cum Deum non agnoscerent, eumque à ratione finis vltimi secluderent; in seipsis eum collocantes, & aut corporis voluptatem, aut suimet complacentiam, & inanem confidentiam ex eis aucupantes, nihil honesti

nesti poterant operis agere, quod non eo
uerso fine contaminaretur.
Sed quemadmodum Christiani, qui Deum
i finem vltimum statuerunt, non necessariò
perin eum omnia sua referunt opera, sed
indè ac quandoque; ita non est necesse Stoi-
semper in omnibus operibus disciplinæ suæ
em extremum sibi proposuisse, sed plerum-
, & vt in plurimis veritatem habet.
Deinde S. Augustinus sæpè citans illud Apo-
i: *Omne quod non est ex fide, peccatum est*; Rom. 14.
per fidem verosimilius intelligitur dicta-
conscientię, è contrario intelligere vide-
infidelitatem, vt ex negatione opposita
matio intelligatur, eâ figurâ, quam Græci
oten appellant, quomodo & Saul dicitur
xisse Dauidem non rectis oculis, vt illud 1. Reg. 18.
tur non ex fide fieri, quod non eâ fit in-
ione, quam fides dirigat, aut dirigere pos-
sed quam dirigat infidelitas, aut cupiditas:
uliano interroganti, si Gentilis nudum
ruerit, nunquid quia non est ex fide, pec-
m est? respondet prorsus, in quantum non
x fide, peccatum est; Cuius postea sensum
icans, ait: Ipsorum igitur sunt peccata,
ous & bona & mala fiunt, quia ea non fi-
, sed infideli, id est, stultâ & noxiâ faciunt
ntate, id est, malâ intentione, quam recta
s dirigere nequit.
dem igitur est apud August. opus factum
recto fine, quod factum prauo & peruer-
aq; infidelium opera sunt peccata, quæ in-
itate, & dominante cupiditate detorquen-
d peruersum finem. Bonum est, inquit,

aduerſus Iulian. vt ſubueniatur pauperi periclitanti, præſertim innocenti, ſed ille qui hoc facit, ſi amando gloriam hominum magis quam Dei facit, non bene facit; quia non bonus facit; quia non bona voluntate facit. Abſit enim vt dicatur, vel ſit bona voluntas, quæ in alijs, vel in ſeipsâ, & non in Domino gloriatur.

21. de Ci. c. 16. Quod ſi quandoque charitatem quoque requirit, aut fidem, quæ per charitatem operatur; vt cum vult tentationum victoriam non eſſe Deo adſcribendam, niſi quæ cum Dei amore obtinetur; per Dei amorem & charitatem intelligit amorem virtutis ob ſuam honeſtatem; ſiue, vt aliàs loquitur amorem ac delectationem iuſtitiæ, vnde id opus referatur in Deum, non actuali ſemper, & expreſſa voluntate, ſed ex natura operis ipſius quod Deo gratum eſt, & acceptum: idque ſic explicat, contra Iulian. Quod cum facimus (cum toleramus aduerſa ad ſapientiam acquirendam) ideò veras virtutes habemus, quia verum eſt propter quod facimus, id eſt, quia hoc eſt naturæ noſtræ conſentaneum, ad ſalutem & veram fælicitatem. Non enim abſurdè virtus ab eis definita eſt, qui dixerunt: Virtus eſt animi habitus naturæ modo, atque rationi conſentaneus.

Cum deinde negat veras eſſe virtutes, quæ prodeſſe non poſſunt ad conſequendam veram beatitudinem, intelligit de ijs, quæ non modò non proſunt actu ob infidelitatem, aut obicem peccati, ſed quæ prodeſſe omnino non poſsint, eo quod ſint vitioſæ, oculo peruerſæ

ersæ intentionis obtenebratæ. An placet
bi vt veras virtutes auarorum esse dica-
us, cum lucrorum vias prudenter excogi-
nt, cum pro acquirenda pecunia sæua
que aspera mala fortiter tolerant? Hoc
dem igitur sensu negat Stoicorum virtu-
veras esse, vt quæ sint superbæ & in-
tæ, & ad se ipsas referantur.
Non opinatur tamen, Stoicos necessariò
nes suas actiones referre in illud, quod
summè diligendum proposuerint. Vt
ti non omnes suas actiones semper in Deum
igunt, & quandoque in eis concupiscen-
suscitat quosdam motus voluntatis, qui
n referantur in Deum vt finem vltimum,
referri non possint, sic & in Infidelibus
uralis instinctus in bonum, elicit quas-
n actiones, quæ non diriguntur in pra-
n finem, sed generatim in amorem boni,
ue honesti; ac proinde formari possunt
fidem & charitatem, si summum bonum
gnoscatur & diligatur. Aug. l. de spirit. & litt. 28.
Quemadmodum non ita tenebris igno-
tiæ extinctum est lumen mentis huma-
, quin de multis rebus rectè sanéque
licet; ita non tanta lue ac labe vitiorum
ecta est, & fædata voluntas, vt omnis
nesti scintilla boni, & laudabilis affectus
incta sit, ac non interdum, licet inter
numera vitæ huius vitia, sese prodat at-
e exerat per actiones quasdam laude di-
as.
Quamobrem aduersus Iulianum, mode-

rans disputationem suam Sanctus Augustinus; Quoniam, inquit, saltem concedis opera infidelium, quæ tibi videntur, bona, non tamen eos ad salutem sempiternam regnumque perducere; scito nos dicere, illud bonum sine Dei gratia per Christum, nemini posse conferri, per quod solum homo potest ad æternum Dei donum regnumque perduci, sed eam rem iam agamus.



CA-



CAPVT XXVII.

ec vitia posse vitari, nec virtutes acquiri & exerceri sine auxilio Gratiæ Dei.

T Res gradus humilitatis colligunt nonnulli ex triplici capite, quo deducunt re nos Diuino præsidio, seu in vitijs efiendis, seu in virtutibus consectandis; prim, quod homines simus rationis compotes, nihilo conditi; deinde, quod ex Adamo ura peccato vitiatâ progeniti; denique, od euecti ad finem supernaturalem ordinis uini, ad quem non nisi per media eiusdem linis attingere possumus.

Ex hoc postremo duplici capite egemus gra- Christi, meritis eius indulta, perquem instaurata natura, & ad eundem finem, quem primitus creata fuerat, restituta. primo capite egemus concursu causæ pri- , sine qua nihil omnibus animi corporisc viribus exequi possumus; & fortè ad tiones bonas ordinis quoque naturalis, euia quædam excitatio Diuina requiratur; ò referri potest S. Hieronymi responsio ijcienti Pelagiano; si voluero curuare di- um, mouere manum, sedere, stare, am- lare, semper mihi auxilium Dei necessa- Ep. ad Ctes.

 rium

rium erit? Audi ingrate, imo sacrilege, Apostolum prædicantem; *Siue manducatis, siue bibitis, siue quid aliud facitis, omnia in nomine Domini facite*. Si hæc negas, ingratus es benefactori tuo, & sacrilegus contra eum, qui ea nobis reuelauit; sin autem admittis, non potes gloriari de tuis operibus, quasi à te solo sint, sine Dei auxilio; sed potius, iuxta Pauli sententiam, siue comedas, siue bibas, siue quidpiam aliud agas, omnia debes in Dei gloriam facere, gratias illi agens, quod ad ea peragenda tibi auxilium præstat. Tibi quidem potes & debes peccatum attribuere, quia Dei auxilio abuteris. Verissimaque est sententia Creatoris; *Perditio tua ex te Israel tantummodo in me auxilium tuum*.

1.Cor. 10.31.

Os.13.3.

Sed nihil necesse est disputationem de auxilijs gratiæ nos ingredi, summatim dumtaxat propositiones aliquot ab eruditioribus Theologis maximè probatas colligam, quæ fundamenta sint & humilitatis Christianæ in animis nostris altius iaciendæ, & falsitatis Stoicorum apertius coarguendæ.

PROPOSITIO PRIMA sit. Sine gratiâ Dei, quæ per Christum nobis communicatur, eius meritorum intuitu, nemo potest seruare omnia præcepta legis naturæ, ne quidem quoad substantiam operum, multò minùs præcepta supernaturalia, aut naturalia quoad modum, quo ordinantur ad vitam æternam. Esto possit aliqua quoad substantiam operum naturæ, aut omnia ad breue tempus, nulla præsertim vrgente tentatione; sed diu non potest omnia, etiam in ordine ad finem naturalem. Nam hæc

fuit

t hæresis Pelagij. Posse hominem sine gra-
i Dei seruare omnia mandata legis, vt refert
August. hæresi 88. quæ est Pelagij. Et col-
;itur ex epistola Pelagij ad Demetriadem,
sò adscripta Hieronymo vltimo eius tomò:
r naturam posse omnia virtutum bona in
nnibus esse: quodque in quibusdam fuerint,
ıod per legem naturæ placuerint Deo omnes
sti, quotquot vixerunt ab Adam vsque ad
oysem &c. Fundamentum aperit, bonum
turæ integrum in quoque homine reman-
se, nec liberum arbitrium primi Parentis
ccato læsum, aut mutatum; ex cuius falsi-
te fundamenti corruit error Pelagij, & sta-
lita manet veritas assertionis Catholicæ.

Plenius tractat hoc argumentum ad Roma-
os Apostolus, & concludit, omnes Iudæos
Grecos esse sub peccato &c. Et capite
ctauo: *Lex spiritus vitæ in Christo Iesu liberat* Rom. 8. 2.
*e à lege peccati, & mortis. Nam quod impos-
ile erat legi, in quo infirmabatur per carnem:
eus filium suum &c.* Non solùm ostendit
possibilem esse legis impletionem sine gra-
â Christi Redemptoris, sed huius impos-
bilitatis causam aperit, carnis infirmitatem,
aturæ nostræ corruptionem, prauæ concu-
iscentiæ rebellionem, quæ nisi auxilio Chri-
i coërceatur, & in ordinem redigatur, ra-
ionem in suas partes pertrahere consueuit.
Quo pertinent & quę tradit ad Gal. 3. & dein-
eps: Quales sint homines absque gratiâ Chri-
ti, etiam qui sine querelâ, & honestè conuer-
ari videbantur in lege, habemus epistolâ ad
Titum. *Eramus enim aliquando, & nos insi-* Tit. 3. 3.
pientes,

pientes increduli, errantes seruientes desiderijs, & voluptatibus varijs, in malitiâ, & inuidiâ agentes, odibiles, odientes inuicem. Non nominat furtum homicidium, cætera crimina lege prohibita.

can. 5. Accedit authoritas Concil. Mileuitani. *Quicumque dixerit ideo nobis gratiam iustificationis dari, vt quod facere per liberum valemus arbitrium, facilius implere possimus per gratiam, tanquam etsi ea gratia non daretur, non quidem facilè, sed tamen etiam possemus sine illa implere Diuina mandata, anathema sit.*

Et epistolâ ad Innocentium numero 95. inter epistolas S. August. testantur PP. ita peccato primi hominis extenuatum esse liberum arbitrium, vt non possit legem implere nisi gratiâ Dei adiuuetur. Vide & Arauſ. can. vlt.

Propositio Secvnda. Etsi viribus naturæ quis posit aliquomodo Deum diligere, vt Authorem naturæ, & finem vltimum naturalem; non potest tamen super omnia, ex toto corde, etiam vt Authorem naturæ, multò minùs vt finem supernaturalem.

Dixi aliquomodo dilectione inefficaci, non tamen absolutâ, & efficaci; qua quis statuat omnibus Dei præceptis obedire, cultumque Dei rebus omnibus anteferre, quæ sola dilectionis nomen meretur. Ita sunt accisæ vires naturæ peccato primi Parentis, ac debilitatum liberum arbitrium, vt nullus iam Deum diligere posit, sicut oportet, nisi gratiâ eius & misericordiâ præuentus vt habet vlt. can. Arauſ. vbi generatim de quocumque

opere

ierenegat, id à nobis fieri posse sicut oportet, sine inspiratione Spiritus Sancti, multo agis de dilectionis Dei super omnia, omium præstantissimo pernegaret.

Conc. Mileuitanum. *Verumque Dei donum est, vt scire quid facere debeamus & diligere t faciamus* Trid. sess. 6. cap. 6. Hominem Deo motum & excitatum eodem adiuuante icipere Deum diligere, quæ dilectio est à ratiâ Christi, quia pertinet ad salutem veti pietatis inchoatio; Can.3. *Anathema sit, si dixerit sine preueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem diligere Deum posse sicut oportet*; At qui diligit super mnia, diligit sicut oportet, ex toto corde, vt tigit primum & maximum mandatum. Itaue videtur hic actus esse supernaturalis, non c solâ ratione formali obiecti; verùm etiam x modo, quod sit super omnia, ex toto corde; ui modus videtur excedere vires naturæ coruptæ. Sic August. liberum arbitrium ad iligendum Deum primi peccati granditate erdidimus. Et alio loco si non ex Deo, sed ex obis est dilectio Dei, & proximi, vicerunt Pelagiani; si autem ex Deo, vicimus Pelagianos, Prosper contra Collat. 30. Bernard. de iligendo Deo & alij. can.4. Ep. ad Vita 107. Serm. 2. de diuer.

PROPOSITIO TERTIA. Sunt & alia præcepta, tum in genere, tum in particulari, quæ nec singula seruari possunt; quæ propter incidentes difficultates superant imbecillitatem humanam; exempli causa. Mortem oppetere pro iustitiâ in magnis tormentis, à recto non discedere, vehementem carnis tentationem

amore

Rom. 7. Gal. 5. amore castitatis superare. *Nam spiritus promptus, caro autem infirma*: & quæ habet Apostolus ad Rom. & Galatas de pugnâ carnis & spiritus.

Quemadmodum homo corpore infirmus, quædam opera difficiliora facere non potest, nisi ad breue tempus, vt pedibus progredi, manibus operari: Statim enim defatigatur, ac deficit; quædam ob maiorem difficultatem, & contrarij resistentiam, simpliciter exercere non potest, ne quidem ad punctum temporis; vt currere, clamare, magnum onus leuare, quæ facilè & diu posset validus, & sanus; ad eum modum homo ex infirmitate naturæ corruptæ non potest diu persistere, in obseruatione mandatorum legis naturæ, trahente in diuersum, & obluctante prauâ concupiscentia. Vide Trident. sess. 6. c. 11.

Propositio Qvarta. Nulla grauis tentatio inducens ad peccatum, sine auxilio gratiæ Christi potest laudabiliter superari, ex odio peccati, & amore honesti; imò nulla leuis tentatio, si perfectissimè superetur, ex Dei charitate, eâque victoriâ, quæ sit homini conducibilis ad vitam æternam, qui sunt duo modi perfecti.

Potest & tertius modus assignari victoriæ, qui non egeat auxilio gratiæ, cum quis, tanquam clauum clauo, pellit vnam tentationem altera, dum vni cupiditati resistit victus ab alterâ; vt si quis ab ebrietate & luxu abducatur ab auaritia si quis sibi temperet & ieiunet affectu auaritiæ; quomodo infideles vitia quæ manifestam habent adiunctam turpitudinem,

aut

it infamiam, honoris cupiditate superauerunt. Nonnunquam apertissima vitia, alijs vincuntur occultis, quæ putantur esse virtutes, in quibus regnat superbia.

Sed de duplici ratione priori, quæ sit laude digna ex odio peccati, & amore honesti, non posse superari grauem tentationem; leuem verò ex Dei charitate, & eâ victoriâ, quæ conducat ad salutem, colligitur ex eo, quod natura humana, etsi non planè sit impotens ad ea præstanda, quæ sunt legis naturæ; tamen ex corruptione peccati valdè debilis, & infirma est reddita; vt nec grauiora legis mandata seruare queat, nec difficiles proindè tentationes superare, nisi beneficio Christi Redemptoris eius gratiâ adiuuetur, ac corroboretur.

Quæ fortiter ab infidelibus gesta narrantur, ea S. Aug. cupiditati gloriæ tribuenda censet; de qua & Poëta: Vicit amor patriæ, laudumque immensa cupido. Sicut ex illâ parte orationis Dominicæ: Fiat voluntas tua, colligunt SS. PP. ad omnes actus bonos gratiam Dei dari, ita ex illâ: Et ne nos inducas in tentationem, ad omnes tentationes superandas euincunt gratiam Dei esse necessariam: Tum ex communibus rationibus, quas mox proferemus, vtilitate orationis, gratiarum actione, gloriatione, non in nobis, sed in Deo, idem conficiunt. Testimonium Cypriani habet Aug. 4. contra duas epistolas Pelag.

PROPOSITIO QVINTA. Nullum opus morale, ex omni circumstantiâ bonum, & laudabile fieri potest sine auxilio gratię Christi; si præfer-

præsertim id opus conducat ad salutem, & referatur ad finem supernaturalem. Alijs verbis eadem enuntiatur assertio: Ad singulos actus bonos, & salutares, gratiam Dei dari per Christum, intuitu meritorum eius; quæ primùm definita est in synodo Palestina (quam Hieronym. Diospolitanam vocat) Liddæ habita, aduersus Pelagium; deinde in Conc. 214. Episcoporum in Africa, de quo Prosper in chronico, & respon. 8. Colligiturque ex scriptura, & SS. PP. *Sine me nihil potestis facere. Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Deus operatur omnia in omnibus. Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.*

Ioan. 15. 1. Cor. 4. & 12. 2. Cor. 3.

Innumera sunt testimonia SS. Patrum, Pontificum, Innocentij, Zozimi, Cælestini, Leonis primi in Arausicano, Augustini, qui & plurimos citat, Hieronymi, cuius hoc vno testimonio epistola ad Ctesiphontem, contenti erimus. Nos accipere quotidie Dei auxilium, nec sufficere semel acceptum; nihil nos boni agere absque Dei auxilio, sed per singula opera, Dei esse bonum, quod agimus; Deumque semper nos adiuuare; nos nihil esse nisi quod donauit Deus, ipse conseruet. Deus semper largitur, semperque donator est; non mihi sufficit, quod semel donauit; Auarus sum in accipiendo beneficia Dei, nec ille deficit in dando, nec ego satior in accipiendo.

Confirmatur & rationibus, quæ sumuntur: primùm ex oratione, & precatione fidelium; qui gratiæ Dei auxilium ad singulos actus bonos efflagitant; alioquin si illo opus non haberemus,

beremus, derisoriè & fictitie peteremus, vt notat S. Aug. libro de bono perseuer. c.7. de naturâ & gratiâ. 18. epist. 105. ad Sixtum &c. Vnde Psalmista toties hoc gratiæ Dei auxilium implorat. *Adiutor meus esto: ne derelinquas me.* Ps.26. Ps.69. *Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina. Tu mandasti mandata tua custodiri nimis*, id est, valdè. Sed Aug. in Ps.118. humilis pietas, vel pia humilitas & fides, non immemor gratiæ, quod adiungat, attendite. *Vtinam dirigantur viæ meæ*; Vbi audis vtinam, vocem optantis agnosce, & agnitâ voce optantis, depone superbiam præsumentis. Deinde rationibus petitis ex gratiarum actione, quam reddunt pro bonis operibus à se, vel ab alijs factis, confitentes id totum esse Diuini muneris; *Tua sunt omnia: & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* 1.par.29.14. *In omnibus gratias agite.* 1.The.5.18. Denique à gloriatione, qua non in se, sed in Deo gloriantur. *Qui autem gloriatur, in Domino glorietur.* 2.Cor.10.18. Non ex operibus, *vt nequis glorietur: Mihi autem absit gloriari &c.* Gal.6.14. *Soli Deo honor & gloria.* 1.Tim.1.17. Quò pertinet illa Cypriani sæpius, ab Augustino laudata sententia: In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit.

PROPOSITIO SEXTA. Initium boni operis, progressus, & consummatio, & totum planè opus bonum, Dei gratiæ est adscribendum.

Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de Cælo. Io.3.27. *Omne datum optimum de sursum est.* Iac.1.17. *Deus enim est, qui operatur in vobis & velle & perficere.* Phil.2.13.&c. *Qui cœpit in vobis opus bonum ipse perficiet.* 1.6.

Cælestinus epistola decretali ad Episcopos Gal-

Arau. can. 5. Galliæ, *c.* 11. definiuit, non solùm exordia bonę voluntatis, sed & incrementa probabilium studiorum, idest actionum honestarum, ad Christi gratiam referri oportere. Eius rei figura fuisse dicitur, quod virga Aaron pri-
nu. 17. mùm germinasse legatur, deinde floruisse, postremò fructus protulisse, hoc est holocaustum, Deo, nulla parte reseruata, à nobis offe-
Ps. 16. rendum. *Perfice gressus meos in semitis tuis, vt*
Ps. 67. *non moueantur vestigia mea.* Et. *Confirma hoc*
Sess. 6.
c. 16. *Deus, quod operatus es in nobis.* Trident. cum dixisset, Christum tanquam caput in membra, & vitem in palmites, in ipsos iustificatos virtutem influere; quæ virtus, ait, bona eorum opera semper antecedit, comitatur, & sequi-
Ps. 22. tur. *Et misericordia tua* præueniet me, planè comitabitur, *& subsequetur me, omnibus diebus vitæ meæ, & vt inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum.*

Triplex spectari potest cuiusque operis initium, progressus, & finis; vel secundùm partes, priorem & posteriorem, quæ sibi succedunt; vel secundùm imperfectum & perfectum, cum quis prius remissè vult, post intensè; vel secundùm quod dicitur, initium habere à cogitatione, progressum in voluntate, consummationem in opere externo. Secundùm hos omnes modos bonum, opus est à gratiâ Dei, illique vni totum principaliter, & potissimùm est adscribendum.

Propositio Septima. Nemo potest, quantumuis iustificatus, in bono opere perseuera-
Sess. 6. re vsque ad vitæ finem, absque speciali auxi-
s. 13. lio gratiæ Dei. Tridentinum definit perseue-

rantiæ

rantiæ munus, de quo ſcriptum eſt; *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit;* aliundè haberi non poſſe, niſi ab eo, qui potens eſt, eum qui ſtat ſtatuere, vt perſeueranter ſtet. Et canone 16. vocat illud magnum perſeuerantiæ donum. Et canone 22. Si quis dixerit iuſtificatum, vel ſine ſpeciali auxilio Dei in acceptâ iuſtitiâ perſeuerare poſſe, vel cum eo non poſſe, anathema ſit. citari ſolet e Mileuit.can.3. & Arauſ.can.9.

S. Auguſt.in dono perſeuerantiæ commendando plurimus eſt, ac de eo ſpecialem ſcripſit librum; in quo ex ſcripturâ, tum ex Cypriano, & alijs SS. Patribus demonſtrat, bonæ vitæ perſeuerantiam, Dei donum eſſe; vocatque ipſe c. 1. Magnum Dei donum. Atque id colligitur ab oratione fidelium. Cur perſeuerantia poſcitur à Deo, ſi non datur à Deo? gratiarum actione; gratias agunt Deo fideles, pro perſeuerantiâ completâ eorum, qui e hâc vitâ deceſſerunt: à gloriatione, nemo enim gloriatur de perſeuerantiâ, niſi ex Deo: victoriâ tentationum, quæ ſe offerunt, & ſine ſpeciali gratiâ non vincuntur; quamquam etſi nullæ tentationes occurrerent, tamen ad ipſum opus bonum continuandum, hominemque iuſtum in obſeruatione mandatorum conſeruandum, opus foret ſpeciali auxilio; Cum abſque tentatione poſſit homo iuſtitiâ deficere, vt patuit in Angelo ſupremo, & primo Parente, tot donis inſtructo; quanto magis in corruptione & infirmitate naturæ ex primi Parentis ortâ peccato, de quâ frequenter lamentatur Apoſtolus.

l.de dono perſ.c.1.

a Ad Rom. 7. & 8. Ad Gal. 5. Quare quamdiu durat hæc vita, ſemper egemus auxilio gratiæ ſanantis, adiuuantis, dirigentis, & protegentis; quia ſemper hæret in nobis noxia concupiſcentia, caro pugnans aduerſus ſpiritum, præualet ignorantia, incogitantia, infirmitas agendi, cum quâ nati ſumus. Quia ſine te labitur humana mortalitas (ad Deum orat Eccleſia) tuis ſemper auxilijs & abſtrahatur à noxijs, & ad ſalutaria dirigatur. Largire nobis, Domine, ſpiritum cogitandi quæ recta ſunt, & agendi; vt qui ſine te eſſe non poſſumus, ſecundùm te viuere valeamus. Cuiuſmodi & aliæ complures extant orationes publicæ, ac priuatę.

Poſtremùm obſeruandum, auxilium iſtud gratiæ Chriſti, non ſemper eſſe quoad ſubſtantiam ordinis diuini, & ſupernaturalis; cuius ordinis ſunt eximia illa opera Theologicarum, & infuſarum virtutum; ſed ſępè dumtaxat eſſe ordinis naturalis, quoad ſubſtantiam; quoad finem tamen eſſe ordinis ſupernaturalis, quod ad ſalutem, & finem ſupernaturalem vitæ æternæ, beatificæ viſionis, dirigatur.

Ac quemadmodum donum iuſtitiæ originalis, non conſiſtebat ſolùm in habitibus infuſis, ſed in Diuinâ maximè aſsiſtentiâ, & congruâ inſpiratione Diuinâ, ita donum perſeuerantiæ, & hoc auxilium gratiæ Chriſti, quo perſeueramus, maximè conſiſtit in protectione Diuinâ, in conſtanti & perſeueranti vocatione, atque inſpiratione congrua, per quam natura rationalis, quæ ſui compos, & ex ſe indifferens eſt, ad bonum applicetur, & in eo conſeruetur.

Ex beneficio creationis, & indultæ naturæ, non debetur nisi concursus generalis: Nam, vt habituali, ita & actuali omni gratiâ per peccatum homo se priuauit. Si creatus esset in statu puræ naturæ, ad finem naturalem debita ei essent & assignata eiusmodi auxilia; sed cum ad finem supernaturalem sit conditus, & cumulatissimè donis gratiæ eiusdem ordinis instructus, non solùm habitualibus, verùm & actualibus, ijsque sese priuarit admisso peccato; reliquum est, vt planè destitutus existat nullaque ei debeantur auxilia gratię, nisi quæ beneficio redemptionis, & intuitu meritorum Christi Domini conferuntur. Omnis igitur inspiratio, & primus motus piæ sanctęque cogitationis, atque affectionis immissus mentibus nostris, in Christi Domini merita est referendus. Sed consultò de auxilijs gratiæ plura non dico.

Ego dixi in abundantiâ meâ: Non mouebor in æternum, aiebat Rex Dauid de se confisus; sed experientiâ mox aliter edoctus: *Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Ps. 29. Hoc solo, quod Deus auertat faciem suam à nobis, fauore nos suo ac protectione destituat, quòd nos minimè defendat, & permittat labi, conturbamur, & in peccatum miserrimè ruimus. Ille vnicus defensor, adiutor, & susceptor. *Impulsus euersus sum vt caderem & Dominus suscepit me. Fortitudo mea, & laus mea Dominus: & factus est mihi in salutem, factus est Dominus protector meus & eduxit me in latitudinem;* Ps. 117. Ps. 17. *Saluum me fecit, quoniam voluit me.*



Capvt XXVIII.

Virtutum copiam ac bonorum operum, salutem, ac beatam vitam, à Christo Domino flagitandam.

VT de auxilijs gratiæ, sic & de virtutibus, pro hoc quidem instituto coarguendi Stoicos, perquam abundè, ac superfluè dictum, quis existimauerit; sed tamen & hoc, ex S. Bernardo dicendum est. Quia frustrà huius sæculi sapientes, de quatuor virtutibus tam multa disputauerunt, quas apprehendere omnino nequiuerunt; cum illum nescirent, qui factus est nobis à Deo sapientia, docens prudentiam; & iustitia, delicta donans; & sanctificatio in exemplum temperantiæ, continenter viuens & redemptio in exemplum patientiæ, fortiter moriens. Quid vobis cum virtutibus, qui Dei virtutem Christum ignoratis? Vbinam quæso vera prudentia, nisi in Christi doctrina? Vbi vera iustitia, nisi de Christi misericordia? Vbi vera temperantia, nisi in Christi vita? Vbi vera fortitudo, nisi in Christi passione? Soli ergo qui eius doctrinâ imbuti sunt, prudentes dicendi sunt; soli iusti, qui de eius misericordia veniam peccatorum consequuti sunt; soli temperantes, qui eius vitam imitari student; soli fortes, qui

Serm. 22. in Cant.

qui eius patientiæ, documenta fortiter in aduersis tenent.

Horum in numero, vti censeamur, tibi supplicamus, ô Benignissime Saluator, neque enim aliundè, quam abs te, speramus has virtutes, Domine virtutum; cuius doctrina, seminarium prudentiæ est; cuius misericordia, opus iustitiæ; cuius vita, speculum temperantię; cuius mors, insigne est fortitudinis.

Tu nobis esto virtutum omnium vberrimus fons, origo, radix, & causa primaria efficiens qua Deus, quà homo etiam instrumentaria, eadem & meritoria, & exemplaris, & finalis; cum ad imitationem tuam, maioremque gloriam, omnia virtutum officia sint referenda.

Tu tanquam caput in corporis tui mystici membra, vitis in palmites, iugem influe virtutem inspirationis tuę luminosissimæ, & fragantissimæ charitatis. Fac vt innotescat quod latebat, & suaue fiat, quod non delectabat. Bonus es tu, suauis es tu, & in bonitate ac suauitate tua doce me iustificationes tuas. Da victricem delectationem tui sancti timoris, & amoris, quæ timores omnes, & amores, omnesque delectationes euincat, licitas, atque illicitas. Trahe nos post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.

De bonis operibus, eorumque peruulgatis illis tribus generibus; Oratione, Ieiunio, & Eleemosynâ, mirum apud Stoicos cæterosque Philosophos silentium; de quibus Raphaël Archangelus vtrique Tobiæ, parenti & filio: Tob. 12. v. 8.
Bona est oratio cum ieiunio & eleemosynâ magis

 quam

quàm thesauros auri recondere. Oratione Deum placamus, ac propitium reddimus: Ieiunio, corpus sensúsque nostros edomamus, ac compescimus. Eleemosynâ proximum subleuamus, ac conciliamus. Triplicem concupiscentiam: carnis, oculorum, ac superbiam vitæ: triplici hoc velut armorum genere conficimus; Luxuriam ieiunio; Auaritiam eleemosynâ; Superbiam atque arrogantiam oratione, atque humilitate prosternimus.

Tres sunt hostes nostri; Mundus, Caro, Dæmon, quos hæc veluti triplex acies bonorum operum, Diuinę gratiæ præsidijs instructa, conficit, ac profligat; mundum eleemosynæ, carnem ieiunij, dæmonem orationis atque humilitatis telo prosternit.

Tria sunt bonorum genera. Externa, quæ dicuntur fortunæ, corporis, atque animi interna: hæc Deo in acceptum sacrificium atque holocaustum offerimus; fortunas eleemosynâ, corpus ieiunio, animam oratione Diuino eius Numini consecramus.

In sent. 11 Tria sunt, inquit Bernardus, à quibus abstinere debent quicumque iustificari desiderant; Primò vtique ab operibus prauis; Secundò à carnalibus desiderijs; Tertiò à sęculi curis. Item tria sunt quibus debent insistere; quæ etiam continet sermo Domini in monte, eleemosyna, ieiunium, & oratio. Sic enim adimpletur iustitia; dum & interdictis vitijs abstinent, & bona, quæ præcepta sunt exercent.

Opponantur ergo prauis operibus opera misericordię, contra carnalia desideria adhibeantur

beantur ieiunia; & pro curis sæculi, succedat amor Dei, & orationis frequentia. Iustitia hominis in hâc vitâ est ieiunium, eleemosyna, & oratio. Vis eleemosynam tuam volare ad cælum, fac illi duas alas, ieiunium, orationem: nec minùs aptè orationi, quæ ascensus est & volatus quidam mentis in Deum, duę tribuentur alæ, quibus sustollatur, eleemosyna atque ieiunium, vt monet ad finem ps. 42. Vis orationem tuam volare ad cęlum; fac illa duas alas, ieiunium & eleemosynam. Aug. de perfecta iustitia 13

D. Leo: Tria sunt, quę maximè ad religiosas pertinent actiones, oratio, ieiunium, & eleemosyna, oratione Dei propitiatio quæritur, ieiunio concupiscentia carnis extinguitur, eleemosynâ peccata redimuntur; hæc triplex obseruantia, dilectissimi, virtutum omnium comprehendit effectus; hęc ad imaginem & similitudinem Dei peruenit, & in Spiritu Sancto inseparabiles facit; quia in oratione, permanet fides recta, in ieiunio, innocens vitâ, in eleemosynâ mens benigna.

Mirum de his apud Stoicos silentium, sed quid mirum cum gratiam Dei Saluatoris nostri penitùs ignorarint, quæ vt ait Apostolus, *apparuit omnibus hominibus erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi: qui dedit semetipsum, pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Ad Tit. 2. 11. 12. 13. 14.

Huic vni virtutum, ac bonorum operum

Authori vota facienda; Huic vni supplicandum, vt sua nos gratia cumulet ac præueniat ad bonorum operum copiam, virtutumque adeptionem, & exercitationem: huic gratiæ iuges referendę, omnisque laus adscribenda; per eum vnicum Mediatorem Deo Patri conciliamur, nec non proximo nobisque ipsis bene conuenit, sobrietate, & continentia aduersus nos, iustitia ac beneficentia erga proximum, pietate, humilitate, ac charitate aduersus Deum bene vtimur.

Ipse salus nostra est, dum nos à peccato transfert ad gratiam, à morte ad vitam, à miseria ad fęlicitatem, eripit nos ac liberat à malis omnibus bonis complet, ipse *Lux mundi, qui*
Io.8.12. Ioan.10. eum *sequitur, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Ipse Bonus Pastor, qui *animam suam dat pro ouibus suis*; idemque ostiũ & ouile, & ostiarius ouilis, quem sequuntur & audiunt oues, & vitam æternam dat eis, & non peri-
Ioan.6. bunt in æternum. Ipse panis viuus, & vitæ, qui de cælo descendit, vt det vitam mundo.

Io. 14.6. *Ipse Via, Veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per* eum, ipse via ad Patrem, ad cælum, ad beatam vitam, ipse veritas, quę luce sua se signat ac demonstrat; fax veritatis, qua, via collustretur, ipse vita, terminus ac meta viæ, beata vita, idem Deus cum Patre, ac Spiritu Sancto, summum bonum, finis extremus, quo sunt omnia referenda, ipse vera via ducens ad vitam; cuius si meritis innitamur, doctrinam auscultemus, exempla morum ac virtutum consectemur, si vestigia premamus, certissimè ad Deitatem, id est, beatę vitæ

vitæ fruitionem æternam pertingemus. Dux nobis erit ad Patrem, & ad seipsum spiritumque sanctum certissima via.

Sequamur te Domine Iesu, per te, ad te, qui es via, veritas, & vita; Via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio, vti Bernardus orabat: aut vti D. Leo: Qui es via sanctæ conuersationis, veritas doctrinæ Diuinæ, vita beatitudinis sempiternæ. Tu es veritas, cui per fidem inhæreamus; Via, per quam spe progrediamur; Vita, in qua Charitate tibi sociati permaneamus in æternum; Author Fidei, Spei, Charitatis, omnisque virtutis ac gratiæ largitor in hac vita; eaque decursa, remunerator eiusdem, & effector gloriæ, ipsemet amplissima merces sempiternæ vitæ beatissimæ.

Ser. 1. de Ascens.
Serm. 11. de Resur.



CA-



CAPVT XXIX.

Detegitur à S. Hieronymo vitius latens superbiæ in epistolâ Pelagij ad quandam viduam; Item à S. Augustino, in epistolâ eiusdem Pelagij ad Demetriadem Virginem.

AD quam viduam scripserit Pelagius, non expresfsit S. Hieronymus; suspicio est ad Probam auiam, aut Iulianam matrem Demetriadis, aut potius ad Melaniam Ruffini patronam, cui comes fuit in peregrinatione, quæ non Origenis modò, sed & Pelagij errorum tutelam ac patrocinium suscepisse videbatur. Ba.to.5.

De hoc superbiæ tumore, & illa orandi prorumpit audacia, qua scribens ad Viduam, quomodo Sancti debeant orare, pronuntias. l. 3.contra Pelag.
" Ille enim, inquis, merito ad Deum extollit
" manus, ille preces bona conscientia fundit,
" qui potest dicere: Tu enim nosti, Domine,
" quàm Sanctæ, quàm innocentes quàm puræ
" sint ab omni fraude & iniuria & rapina, quas
" ad te expando manus, quàm iusta, quàm
" immaculata labia, & ab omni mendacio li-
" bera, quibus tibi, vt mihi miserearis, preces
fundo

fundo. Christiani hæc est, an Pharisæi super- „
bientis oratio? qui etiam in Euangelio loque- „
batur; Deus gratias ago tibi, quia non sum „
sicut cæteri &c. Dauid loquitur: *Lumbi mei* Pf. 37.7.
impleti sunt illusionibus, & computruerunt cica- „
trices meæ, à facie insipientiæ meæ. Et non intres „
in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur Pf.142.2.
in conspectu tuo omnis viuens; Tu sanctum, & „
innocentem, & purum te esse iactas, & mun- „
das ad Deum expandis manus; nec sufficit tibi „
in cunctis operibus gloriari, nisi ab omni ser- „
monis orisque peccato mundum te esse dicas, „
inferens: quàm iusta, quàm immaculata labia, „ Pf.115.
ab omni mendacio libera. Ille canit: *Omnis* „
homo mendax; & hoc ipsum confirmat Apo- „
stolica authoritas, vt sit Deus verax, omnis Rom.3.
autem homo mendax; & tu ab omni menda- „
cio immaculata, & iusta, & libera possides „
labia? Isaias plangit: Hei mihi misero, quia Is.6.
compunctus sum, qui cum sim homo, & im- „
munda labia habeam, in medio quoque populi „
immunda labia habentis ego habito: & postea „
Seraphim ignitum carbonem forcipe compre- „
hensum defert, ad Prophetæ labia purganda, „
non vt tu loqueris, arrogantis, sed sua vitia „
confitentis, iuxta illud quod in ps. dicitur. „
Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad lin- Pf.119.3.
guam dolosam? Sagitæ potentis acutæ, cum carbo- „
nibus desolatorijs. Et post tantum tumorem, „
orationisque iactantiam, & confidentiam „
sanctitatis, quasi stultus stultis persuadere „
conaris, vt in extremo dicas; Quibus, tibi, „
vt mihi miserearis, preces fundo; si sanctus „
es, si „

"es, si innocens, si ab omni sorde purgatus, "si nec sermone; nec opere peccasti, dicente Ia- Iac. 3. 2. "cobo. *Qui in ve bo non pec at, hic perfectus est* "*vir*, & nemo potest refrænare linguam suam; "quomodo misericordiam deprecaris, vt vide- "licet plangas te, & fundas preces; quia sanctus "& purus es & innocens, immaculatisque la- "bijs, & ab omni liber mendacio, Dei similis "potestati.

Quod Ezechias, ad iram Dei flectendam, quâ morti videbatur adiudicatus; sua merita Isai. 38. 3. commemorauit: *Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim*; non ita commemorauit, quin Deum eorum authorem agnosceret, ac de eius illa prouenire misericordiâ fateretur; neque tamen si nihil Diuino cultui atque amori anteferret, ab omni mendacio, leuiore ve peccato purum, ac liberum se esse professus est.

Sed ad Hieronymum redeamus. Pergit Pelagium exagitare per singulas orationis Dominicæ partes, erroris, cum coarguens, & ad extremum adijciens. Eidem adulans Viduæ, "non erubescis dicere, pietatem, quæ nus- "quam reperitur in terra, & veritatem, quæ "vbique peregrina sit, in illa potissimùm com- Isa. 3. morari; nec recordaris illius sententiæ: Popu- "lus meus, qui beatum te dicunt, seducunt te, "& semitam pedum tuorum supplantant: laudas- "que eam vocibus & dicis: ô te fælicem ni- "mium! ô beatam ô si iustitia, quæ esse iam

non

nonnisi in cælo creditur, apud te solaminueniatur in terris! Dicere est hoc, an occidere? leuare de terrâ, an præcipitare de cælo? id mulierculæ, tribuere, quod Angeli non audeant vsurpare: Si autem Pietas, Veritas, atque Iustitia non inueniatur in terris, nisi in vnâ muliere, vbi erunt iusti tui, quos absque peccato in terris esse iactabas? quæ duo capitula orationis & laudis, soles cum tuis iurare discipulis, non esse tua; cum perspicuè in eis styli tui splendor eluceat, & tanta sit venustas eloquij Tulliani, vt testudineo incedens gradu, quæ in secreto doces, mittisque venalia, publicè non audeas profiteri.

Non sunt igitur occulta admodum, hæc à Pelagio propinata viduæ venena superbiæ, quę ipse quoque mox coactus est detestari. Illud occultius fuit virus, quod in epistolâ ad Demetriadem Virginem, detexit Sanctus Augustinus; Extat ea epistola Pelagij inter opera Hieronymi & Augustini, ad calcem reiecta, quod dissimulato nomine Pelagius eam occultasset, sed S. Augustinum latere non potuit.

Igitur Epistol. 143. ad Iulianam Demetriadis Matrem, hęc ex eâ excerpit, ac tanquam pestifera designat. Habes ergo hæc, per quę meritò præponaris alijs; imò hoc magis: nam corporalis nobilitas atque opulentia, tuorum intelliguntur esse, non tua; spiritales verò diuitias, nullus tibi prę-ter te conferre potuit: in his ergo iure laudanda,

danda, in his meritò cęteris præferenda es, quæ nisi ex te, & in te esse non possunt. Cernis, ait Sanctus Augustinus, quanta in his verbis cauenda pernicies: nam vtique quod dictum est: non possunt esse, ista bona nisi in te; optimè ac verissimè dictum est, iste planè cibus est; quod verò ait: non nisi ex te; virus est. Absit, vt hæc libenter audiat Virgo Christi, quæ piè intelligat propriam paupertatem cordis humani, & ideo illa, nisi Sponsi sui donis nolit ornari. Audiat ergo potiùs Apostolum
2.Cor.11.2. dicentem: *Despondi enim vos vni viro &c.*
2.Cor.4.7 De his quoque spiritualibus diuitijs: *Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus: vt eminentia sit virtutis Dei, & non ex nobis.* De ipsâ quoque Continentiâ Vir-
1.Cor.7.7 ginali, quod non sit ex seipsa, sed Dei donum: *Vnusquisque proprium donum ha-*
Mat.19.11 *bet ex Deo. Non omnes capiunt verbum istud sed quibus datum est.* Dicat quidem: *In*
Ps.55.12 *me sunt Deus vota tua, quæ reddam lau-*
Ps.29.8. *dationes tibi;* Sed addat: *Domine in voluntate tuâ præstitisti decori meo virtutem.*

Et nos quidem de S. Virginis disciplina, & humilitate Christiana, in qua nutrita & educata est, hoc existimamus; quod illa verba cum legeret, si tamen legit, ingemuit; & pectus humiliter tutudit, ac fortassis & fleuit dominumque, cui dicata est, à quo sanctificata est, fidenter orauit; vt quomodo illa non sunt verba


illius

illius, sed alterius; ita non sit talis & fides ipsius, quæ se aliquid habere credat, de quo in se, non in Domino glorietur: nam gloria quidem eius in ipsa est, non in verbis alterius, sicut dicit Apostolus: *Opus autem suum probet vnusquisque, & sic in semetipso tantùm gloriam habebit, & non in altero*. Gal. 6. 4. Sed absit, vt gloria sua ipsa sit, & non ille, cui dicitur: *Gloria mea, & exaltans caput meum*. Ps. 3. 4. In his quippe salubriter gloriaris, cum Dominus, qui in illa & ipse est gloria eius, à quo habet omnia bona, quibus est bona, & habebit omnia, quibus melior erit, in quantum in hac vita melior esse poterit, & quibus perfecta erit, quando futura digna Diuina gratia, non humana laude perfecta. In Domino laudabitur anima eius, qui satiauit in bonis desiderium eius, quia & hoc desiderium ipse inspirauit, ne virgo eius sic in aliquo bono glorietur, quasi non acceperit.

Hæc eadem Sanctus Augustinus libro aduersum Pelagium & Cælestium, de gratia Christi, refellit: l. 1. de gratia Christ. nec ipse Pelagius diffitetur eum librum à se scriptum rogante Virginis matre, quod tamen verisimile non est rogatu matris, aut auiæ factum; sed cum omnes, qui tum erant in ecclesia, celebres viri, ad Demetriadem gratulatorias darent de arrepto Virginitatis instituto, ausus est, & ipse graculus inter olores crocitare, ac tanquam serpens lubricus venenum superbię latentis ingerere. Consule de his Baron.

ron. ad annum Christi 413.

Beda præf. in Canticum, agnouit illam Pelagij epistolam ad Demetriadem, & alteram quæ hactenus inter epistolas D. Ambrosij habetur, esse D. Prosperi: Nam tum è viuis excesserat Ambrosius. Extat & Innocentij Pontificis ad Iulianam breuis epistola, in qua perstringitur, & iugulatur Pelagius hac sententia: Summæ virtutis est, vicisse gloriam carnis; & magnæ est Christi gratiæ, nobilitatem moribus superasse.



CA-



CAPVT XXX.

De Ruffino & Melania, Origenis & Pelagij fautoribus, Marcella & Pammachio, ab eximiâ Fide & Humilitate collaudatis à S. Hieronymo.

COmmiserandus sanè fuit casus Ruffini Aquiliensis Presbyteri, & Melaniæ clarissimç fæminæ Romanæ, dum in Ægypto perigrinantur, ac cum Didymo, Euagrio, alijsque versantur Origenistis, Periarchon errores imbiberunt; & eos in Vrbem post quinque lustra reuertentes, induxerunt; qui cum primùm Romam venissent, Stoicâ quadam indolentiâ, perfectissimæ & ad omnes numeros absolutæ vitæ Christianæ specimen edentes, omnium in se oculos conuerterunt, parumque abfuit, quin & fidem Apostolico ore collaudatam, non admodum inuigilante Siricio Pontifice commacularint atque corruperint. Ba. ad an. Chri. 397. fo. 30. to. 5. ad Ctes.

Pelagio quoque fauisse Melaniam, indicat S. Hieronymus, cuius nomen nigredinis, testatur perfidiæ tenebras. Et quod addit: Quid volunt miseræ mulierculæ oneratæ pec-

catis, quæ circumferuntur omni vento doctrinæ, semper discentes & nunquam ad scientiam peruenientes, & cæteri mulierculaum socij prurientes auribus & ignorantes quid audiant, quid loquantur. Credibile tamen est aliquando resipuisse Melaniam, cum recedens ab Vrbe venit in Africam, vbi prolixiùs à S. Augustino potuit institui, atque erudiri; & iam ab Anastasio Papâ, & Italiæ Episcoporum Concilio damnatos compererat errores Origenis, atque Pelagij. Quare tum eos quoque damnasse existimatur, &, si quę nigredinis errorum istorum adhæserant ei maculæ, lacrymis pęnitentiæ detersisse. Cum ex Africâ Hierosolymam nauigasset, post dies quadraginta migrauit ex hâc vitâ, S. Hieronymo, vt verosimile est, antea reconciliata, quandoquidem ibi & peregrinationis eius socijs ac consanguineis familiariter est vsus.

Ex Ep. 79. ad Aug.

Magnis certè laudibus Melania à S. Aug. & Paulino celebratur. At Ruffinus cum Romam citatus ad causam dicendam ab Anastasio Pontifice non comparuisset, ab eodem damnatus, & in deterius semper prolapsus hæresis Pelagianę præcursor extitisse videtur, & pestiferos, qui post eruperunt, aspides fouisse, in eâque pertinaciâ perseuerans diem extremum obijt in Siciliâ, quò venerat Melaniam consectaturus. De quo Hieron. Scorpius, inter Enceladum & Porphyrium Trinacriæ humo premitur & hydra multorum capitum contra nos sibilare cessauit, datumque tempus, quo non Hæreticorum respon-

ad ann. Chri. 410. præf. in 1. Ezech.

respondere insidijs, sed scripturarum, expositioni incumbere debeamus, Hieronymus hæc de Ruffino.

Verùm dies isti Alcyonij, ab Hæreticorum bello feriati, perpauci fuêre: Nam idem ipse: Putabam quod medio serpente confosso, non reuiuiscerent hydræ nouella plantaria, & iuxta fabulas Poëtarum, Scyllâ mortuâ nequaquam in me Scyllæi sæuirent canes, qui latrare non cessant. Quænam huius hydræ nouella plantaria? qui Scyllæi canes? quinam inquam posteri isti Ruffini, nisi Pelagius atque Cælestius, de quibus, etsi tacito nomine idem Hieronym. Commentarios in Hieremiam, per interualla dictabam, vt quod deerat otio superesset industriæ, cum subito hæresis Pythagoræ, & Zenonis ἀπαθείας ϗ ἀναμαρτησίας id est impassibilitatis & impeccantiæ, quæ in Origene olim, vt discipulo eius Grunnio Euagrioque Pontico, & Iouiniano iugulata est, cæpit reuiuiscere, & non solùm in occidentis, sed & orientis partibus sibilare, præcipuè Siciliæ & Rhodi maculare plerosque, & crescere per dies singulos, dum secretò docent, & publicè negant: Cui respondere diu tacens, & dolorem silentio deuorans crebrâ fratrum expostulatione compulsus sum; nec tamen huc vsque prorupi vt Authorum nomina ponerem, malens eos corrigi quam infamari; non enim hominum, sed erroris inimicus sum.

Proem. in Hierem.

Nuper indoctus calumniator erupit, qui commentarios meos in epistolam Pauli ad Ephes. reprehendendos putat; quod non vi-

" dens præcursor eius Grunnius. Ex quo con-
" stat intelligi de Pelagio, mortuo iam Ruffino;
" de quo eodem: Non recordatur stolidissi-
" mus, Scotorum pultibus prægrauatus, &
" alias, hic tacet, alibi criminatur, mittit in vni-
" uersum orbem epistolas biblinas, prius auri-
" feras ac maledicas, & patientiam nostram de
" Christi humilitate venientem, malæ conscien-
" tiæ signum interpretatur, ipseque mutus la-
" trat per Alpinum canem grandem & corpu-
" lentum, qui calcibus magis possit sęuire quam
" dentibus. Habet enim progeniem Scoticæ
" Gentis, de Britanorum viciniâ, qui iuxta
" fabulas Poëtarum, instar Cerberi, spirituali
" percutiendus est clauâ, vt æterno cum suo
Magistro Plutone silentio conticescat. Atque his egregiè perstringit. Pelagium Cælestiumque.

Non sine causâ Pelagij præcursorem dictum à Sancto Hieronymo Ruffinum, ab huius morte patuit; Nam Cælestius Pelagij discipulus & collega in Concilio Africano coactus erroris sui authorem edere, disertè dixit. S. Ruffinus Presbyter Romæ qui mansit cum S. Pammachio id dixit, ego enim audiui illum dicentem, quod tradux peccati non sit.

Sed de libero arbitrio male præterea sensisse Ruffinum, ex hocque iure reprehensum à S. Hieronymo, indicat Gelasius Papa: Quantum verò contulerit ad hæreses Pelagii proseminandas Ruffinus, inde perspicitur, quod præter Periarchon malè versum, & Euagrii Pontici libros virulentos latinitate donatos

donatos, ausus est Xisti, seu Sexti Pythagorici commentarium à se translatum, sub titulo Xisti Martyris Romani Pontificis edere, vt illi S. Hieronym. obijcit; quóque magis falleret aspersit illi etiam testimonia ex Diuinis litteris, & in duos partitus est libros, quæ res valde suspensum aliquando tenuit S. Augustinum, authoritate Sixti Pontificis permotum, nec sine difficultate sententias quasdam, quibus erat vsus Pelagius, in rectum sensum inflectere est conatus, sed postea monitus, opinor à Hieronymo, de Ruffini strophâ, retractauit.

de natura & gra. 64. l. 2. c. 42.

Edidit & aduersus Hieronymum tres libros, quos apologiæ honestauit titulo, cum essent acerrime inuectiuæ. Non te pudet accusationem tuam apologiam tuam vocare? inquit Hieronym. Apologeticos duos ipse composuit libros, vt venena sequeretur antidotum, quibus ita exagitatus est Ruffinus, vt Hieronymo mortem comminaretur. Mortem minaris, quam & serpentes inferre possunt? Mors omnium est, homicidium pessimorum.

Baron. ad an. Chr. 402.

Nemo Igitur Ruffinum miretur à Sancto Hieronymo quibus dignus erat probrosis cognominibus exceptum fuisse ac derisum, dum illum tacito nomine appellat modò Grunnium, alludens ad Grunnium Caracottam, cuius testamentum Porcelli cachinnantes pueri rident, quod de rebus nullius pretij scriberet: Modo Alecto ob furorem: modo Lucium Lauinium, & Asinium Pol-

lionem, ob æmulationem illius in Terentium, alterius in Ciceronem: modò Calphurnium lanarium, ob dolos & fraudes.

ad finem post. Apo. Quàm fuerit autem erecto aduersus hæreticos animo Diuus Hieronymus, quamque vehementes spiritus attulerit in ijs coarguendis declarat ipse: Canes latrant pro Dominis suis, tu non vis me latrare pro Christo? In vno tibi consentire non
« potero, vt parcam Hæreticis, vel vt me
« Catholicum non probem; si ista est cau-
« sa discordiæ, mori possum, tacere non pos-
« sum.

Ad Abig. Ep. 12. Quâ tamen insigni præditus fuerit humi-
« litate, tum eius gesta, tum scripta demon-
« strant. Quamuis mihi multorum sim
« conscius peccatorum, & quotidie in ora-
tione flexis genibus loquar. Delicta iu-
Ps. 24. 7. « uentutis meæ, & ignorantias meas ne
« memineris; tamen sciens scriptum esse ab
« Apostolo: Ne inflatus superbia incidat in
« iudicium diaboli; & in alio loco scriptum.
Iac. 4. 6. Deus superbis resistit, humilibus autem
« dat gratiam; nihil ita à pueritiâ cona-
« tus sum vitare, quàm tumentem ani-
« mum & ceruicem erectam, Dei contra
« se odium prouocantem: noui enim Ma-
« gistrum, & Dominum, & Deum meum
Mat. 11. 29 in carnis humilitate dixisse.; *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde*.

Ep. 108. Idem. Fateor enim, mi Domniom & Rogatiane carissimi, nunquam me in Di-

uinis

uinis voluminibus proprijs viribus credi- ,,
disse, ac habuisse opinionem meam, sed, ,,
ea etiam de quibus me scire arbitrabar, ,,
interrogare me solitum, quantò magis de ,,
ipsis in quibus anceps eram. Aberat igi- ,,
tur longissimè vt esset hæresum ac no- ,,
uitatum inuentor, aut earum contumax propugnator, quarum erat hostis atque impugnator acerrimus.

Sed quod mihi dicere propositum erat de Marcellâ & Pammachio, præcipuâ quâdam consuetudine vitæ Hieronymo coniunctis, quorum ope potissimum est vsus in hæresibus profligandis, ipsis D. Hieronymi verbis exequar. Excitauit Deus spiritum nouæ Deborę, & aduersus Melaniam opposuit illustrem æquè ac religio- ,, Epist. ad Princip.
sam fæminam Marcellam, quæ prima Ro- ,,
mæ Monasticum erat institutum amplexa, ,,
quod tum ignominiosum ac vile censeba- ,,
tur: Proseminatis erroribus Periarchon ,,
diu tamen illa se cohibuerat, ne per æmu- ,,
lationem quidpiam facere videretur; at ,,
postquam sentit fidem Apostoli ore lauda- ,,
tam in plerisque violari, ita vt Sacerdo- ,,
tes quoque & nonnullos, Monachorum, ,,
maximeque sæculi homines in assensum sui ,,
traheret, ac simplicitati illuderet Episcopi, ,,
qui de suo ingenio cæteros æstimabat, pu- ,,
blicè restitit malens Deo placere, quam ho- ,,
minibus. Cernentes Hæretici de paruâ ,,
scintillâ maxima incendia concitari, & sup- ,,
positam dudum flammam iam ad culmina ,,

" peruenisse, nec posse latere quod multos
" deceperat, petunt & impetrant Ecclesia-
" sticas epistolas, vt communicantes Eccle-
" siæ discessisse viderentur. Non multum
" tempus in medio: succedit in Pontificatu
" vir insignis Anastasius, quem diu Roma
" habere non potuit, ne orbis caput sub tali
" Episcopo truncaretur, &c. Dicas quid ad
" laudem Marcellæ? Damnationis Hæretico-
" rum hæc fuit principium, dum adducit
" testes, qui prius ab eis eruditi, & postea
" ab hæretico fuerant, errore corrupti, dum
" ostendit multitudinem deceptorum, dum
" impia περὶ ἀρχῶν ingerit volumina, quæ
" emendata manu Scorpij monstrabantur,
" dum acciti frequentibus litteris Hæretici,
" vt se defenderent, venire non sunt ausi,
" tantaque vis conscientiæ fuit, vt absentes
" damnari, quàm præsentes coargui maluе-
" rint, huius tam gloriosæ victoriæ origo
" Marcella est, tuque caput horum & causa
" bonorum.

Ruffinus eam Iezabelam vocare non est veritus, cum esset tamen eximię sanctitatis atque humilitatis fæmina, cuius vitam elegantissimè scripsit S. Hieronymus. Adiungendus illi Pammachius Senator, gener clarissimæ Paulæ, qui à Hieronymo petijt de nouo verti Periarchon, plurimumque Marcellam ac Hieronymum in coarguendis ac profligandis Origenistis adiuuit; de quo præclarè Hieronymus.

Ep. 26. Nobis post dormitionem somnumque Pauli-

Paulinę, Pammachium Monachum Ecclesia peperit posthumum & Patris, & coniugis, nobilitate Patricium, eleemosynis diuitem, humilitate sublimem. Apostolus scribit ad Corinthios: Videte, fratres, vocationem vestram, quia non multi sapientes, non multi nobiles. Hęc nascentis Ecclesię rudimenta poscebant, vt granum synapis paulatim in arborem cresceret, vt sensim Euangelij fermentum totam Ecclesię massam altiùs eleuaret, nostris temporibus Roma possidet, quod mundus ante nesciuit; tunc rari sapientes, potentes, nobiles Christiani: nunc multi Monachi sapientes, potentes, nobiles, quibus omnibus Pammachius meus sapiẽtior, potentior, nobilior magnus in magnis, primus in primis, ἀρχιστράτηγος monachorum. Post nonnulla de Paulinę coniugis facultatibus in pauperes erogatis, deque extructo ab eo xenodochio in littore Romano, aliaque eiusmodi interiecta.

1. Cor. 1. 26.

Quod Patricij generis primus inter primos monachos esse cæpisti, non sit tibi tumoris, sed humilitatis occasio; scienti filium Dei, factum filium hominis; Quantumcumque te deieceris, humilior Christo non eris. Esto incedas nudis pedibus, fuscâ tunicâ vestiaris, æqueris pauperibus, inopum cellulas dignanter introeas, cæcorum oculus sis, manus debilium, pes claudorum, ipse aquam portes, ligna concidas, focum extruas, vbi vincula? vbi alapæ? vbi sputa? vbi flagella? vbi patibulum? vbi mors?

Et

Et cum omnia quæ dixi feceris, ab Eustochio tuâ, Paulâque vinceris, si non opere, certe sexu. Præclarum hoc certamen humilitatis, nouumque vincendi genus, quo vincit qui vincitur; qui deijcitur, erigitur, qui humiliatur exaltatur, sed quod ab eo summo culmine, quod in Christo nobis propositum est, infinito semper distabit interuallo.





CAPVT XXXI.

Cur tantopere Deo sit exosa superbia, humilitas autem & Deo, & hominibus gratissima virtus.

NEmo est qui non oderit atque execretur superbiam, qui non humilitatem summis efferat laudibus, superbos & arrogantes non odio & despectu dignos censeat, humiles ac demissos maxime probet ac commendet; sed quod magnopere deplorandum est, & monstri prope simile; quam in alijs damnamus superbiam, in nobis ipsis (adeo cæci sumus) approbamus ac fouemus, humilitatem quam in alijs celebramus, in nobis desiderari ac deesse patimur. Nempe quod à D. Gregorio dictum est: Tumor mentis dum inflat obnubilat, & plerique non absimiles sumus posteris illis Noë, 23. mor. 16.
de quibus est apud Eccles. Non exorauerunt pro peccatis suis antiqui gigantes qui destructi sunt confidentes suæ virtuti. Cæterùm Ecc. 16. 8.
peccati superbiæ grauitas atque enormitas ex quadruplici capite deduci potest: primùm quòd sese Deo directâ velut opponat fronte: deinde quod sit maximum peccatorum, denique quod origo cæterorum; postremo quòd virtutes omnes interimat, bonorumque omnium

nium extinguat merita. Quòd ſeſe Diuino numini velut ex aduerſo opponat, docet ille
Iac.4.6. locus Apoſtoli D. Iacobi, Deus ſuperbis reſi-
1.Pet.5.6. ſtit; non enim reſiſteret ſuperbis niſi ab eis impeteretur, non ſe aduerſus eorum vim & inſolentiam vt ita dicam tueretur, niſi tam impudens foret vt aduerſus Dei numen erigeret ſe atque attolleret. Duo ſunt in quoque peccato ſpectanda auerſio à Deo ſummo incommutabili bono, & conuerſio ad creaturam, infimum & commutabile bonum, & hæc quidem habet ſe inſtar materiæ & ſubiecti, illa autem auerſio rationem habet formæ & malitiæ peccati, hæc enim in eo ſita eſt quod præ creatura deſeratur creator, violetur eius lex & voluntas, vt creaturâ quis fruatur. Hæc igitur auerſio à Deo longe expreſsior ac maiore quadam deliberatione, ac propenſione voluntatis ſurrepit in peccato ſuperbiæ, quàm in alio quocumque quod vel ex ignorantia, vel infirmitate, vel paſsione vehementi admittitur, ex immoderata cupiditate rei alicuius creatæ, cui veluti præter intentionem adiungitur auerſio à Deo, quam ſibi certe non proponunt qui vel auaritiæ vel luxuriæ vel gulæ quodam impetu peccant. Itaque pręclarè dictum eſt à Boëtio: Omnia vitia fugiunt Deum ſola ſuperbia Deo ſe opponit præſumptione quadam mentis, Diuinæ ſeſe legi ſubmittere renuens non affectu alicuius creaturæ, niſi fortè cæco ſuimet amore, quare in cæteris vitijs principem locum obtinet conuerſio ad creaturam: in ſuperbia præcipuum ſibi locum vindicat auerſio à Deo, aut quod æquè eſt exe-

crandum

crandum conuersio ad seipsum tanquam ad vltimum finem, Deo secluso.

Hinc S. Thom. superbiam censet grauissimum omnium peccatorum, quod auersio à Deo quæ in cæteris consequenter & indirectè reperitur tanquam quid annexum; principaliter & formaliter in superbia conspiciatur. Initium superbiæ, apostatare à Deo; quare & antonomasticè peccatum dicitur. Emundabor à delicto maximo, hoc est, à delicto superbiæ vt explicat Glossa. Capitale est radix & origo cæterorum, vt pluribus edisserit S. Gregorius non modò quòd primum, illâ, peccatum extiterit tum in Angelo rebelli tum in primo parente, verùm quòd in omnibus peccatis insita sit quædam inobedientia ac denegatio submissionis Deo debitæ, primusque hic animæ peccantis motus, vt à Deo se auertat illique tergum obuertat, vt ad creaturam aut semetipsam, quę etiam est creatura, se conuertat, quemadmodum (vt inquiunt philosophi) recessum à termino à quo priorem esse, quàm accessum ad terminum ad quem. Videtur igitur omni peccato velut aditum atque introitum prębere superbia, atque vbi semel animum ac cor occuparit, nulli non vitio præbet accessum. Quid enim timeat qui Deum conditorem suum non veretur? quò non dementię ac malitiæ prorumpat qui dicere ausit: quis est omnipotens vt seruiamus ei? Neque mirùm si in flagitia quæquæ fœdissima, naturæ ipsi repugnantia superbi prolabantur. Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis & abundantia, & otium ipsius & filiorum

2.2.q.162 ar.6.

Eccl.10.

Ps.18.24.

Ezech.16. 49.

liorum eius, & manum egeno & pauperi non porrigebant. Iam quod superbia cæteras omnes virtutes expugnet atque euertat, omnes omnino pessumdet opes animæ spiritalis tradit idem S. Gregorius. Superbia contra cuncta se animæ membra erigit, quasi generalis & pestifer morbus vno velut afflatu perimit. Ira quidem patientiam expugnare nititur, dissolutio temperantiam, luxuria continentiam, auaritia liberalitatem, inuidia charitatem, acedia deuotionem: at superbia vno velut impetu violento cunctas virtutes deijcit atque extinguit, vt prædo nequissimus animum omni copiâ bonorum operum ac meritorum exspoliat atque denudat. Etenim certum est omne virtutis opus ex fine potissimum & recta pendere intentione vt fiat ob honestatem, quæ in quaque virtute elucet, & ad Deum denique authorem omnis boni referatur: at superbia iugulum mox istud petit rectæ atque honestę intentionis, hîcque virtutem in sui præforat origine, dum prauo fine inficit inanis gloriæ, suimet complacentiæ, dum laudes captat & opinionem atque existimationem hominum aucupatur, ipsam negligit honestatem ac rectitudinem virtutis quâ in Deum denique referatur. Ac, quod magnopere reformidandum crebro monet S. August. ex ipsa quoque virtute ex ipsa perfectione ac sanctitate nascitur superbia, vt ex pretioso panno tinea quæ illum exedit ac consumit, quo magis detestandum est vitium, quod virtutis speciem ac laruam induit, & quod simulata æquitas duplex sit iniquitas. Humilitatis laus & præstantia ex aduerso,

uerſo quadruplici capite non difficulter colligi poteſt, quod ſeſe Deo imprimis ſubmittat ac ſubijciat quam poteſt demiſsiſsime, quare & eius gratiam ac beneuolentiam ſibi conciliat. Humilibus autem dat gratiam; Quod charitati coniuncta, aut ex ea perfecta quæ demum Chriſtiana eſt dicenda humilitas ſit omnium præſtantiſsima prima princepſque virtus, quod cæterarum virtutum ſit parens, nutrix ac cuſtos fidiſsima, fundamentũ totius ædificij ſpiritalis, aut vti vult S.Doroth. cæmentum quo lapides omnium virtutum in hoc ędificio connectantur ac colligentur aptiſſimè, ſi cum humilitatis arena, calx viua charitatis admiſceatur. Quod denique ſit animæ theſaurus bonorum operum & meritorum auctrix ac conſeruatrix, quæ, ſi quæ alia virtus à Deo perſeuerantiam præcipue promereatur ac conſequatur. Etenim humiles ſpiritu Dominus ſaluabit. Populum humilem ſaluum facies. Et qui confidit in Domino (non in ſeipſo) 17.28.
non minorabitur ſed maiora ſemper virtutum Pſ. 39.29. Ec. 32.28.
ac meritorum capiet incrementa. Vt ex virtutibus ſuperbia, ſic ex peccatis tum proprijs, tum alienis enaſcitur humilitas: nam tum ex ſuo, tum ex aliorum lapſu verus humilis euadit cautior circumſpectior, ac vigilantior, non immemor illius Apoſtolici dicti: Qui ſtat, videat ne cadat ſe: non ſuâ virtute, ſed Dei gratiâ ſtare, quam ſi momento ſubtrahat grauiſſimè ruiturum non dubitat, aliorum errata cùm poteſt excuſat aut imminuit, nec à ſe aliena reputat, niſi Deo protegente ab ijs immunis exiſteret. Si quærat quiſpiam cur

Dominus cohortans nos ad iugum suæ legis tollendum, quod omnes virtutes amplectitur, mansuetudinis dumtaxat & humilitatis meminerit, non abstinentiæ, castitatis, & aliarum, immo nec charitatis quæ est plenitudo legis, à quâ pēdet lex vniuersa,& prophetę: cui similis est perquisitio de dicto cuiusdam senioris apud Dorotheum doctr.2. quæ sanè lectu dignissima est: sed vt paucis absoluamus expedita responsio est, per humilitatem cordis & mansuetudinem in animum nostrum cæteras mox induci virtutes, atque ipsam præcipuè charitatem: tolluntur enim eius omnia obstacula atque impedimenta præcipua, superbia, præsumptio & iracundia. Qui humilis est corde suamque agnoscit vilitatem & abiectionem totum se plane Deo subjcit, atque omni creaturæ propter Deum. Qui mitis est, iram facile cohibet, nec difficulter cęteris concedit, suam, prę aliorum voluntate negligens; est autem humilis idem & mitis. Vt iracundiam exsuscitare solet superbia (nam inter superbos semper iurgia) sic mansuetudinem gignit ac conseruat humilitas. Nihil arduum est humilibus, nihil asperum mitibus. Quare seminaria sunt cæterarum hæ virtutes, & verissimè dictum est à D. Basilio profectus in humilitate profectus est in omni virtute. Denique quanti Deus æstimarit hanc virtutem aduertere est ex publica Ecclesię collecta, quæ Dominicâ Palmarum prælegitur. Deus qui ad imitandum humilitatis exemplum, Saluatorem nostrum, carnem sumere & crucem subire fecisti; quasi scopus Incarnationis & Passionis Christi Do-

D. Leo Serm. 5. de Epi. Serm. de adorat. regum.

mini

mini non alius fuerit quam humilitatis expressio atque imitatio. Atque hæc abundè demonstrant, quas ob causas Deo sit inuita atque exosa superbia, grata verò & accepta humilitas; ad cumulum tamen alia potest adijci causa, quæ ex horum lectione librorum clarissimè perspicitur, quod Deo, qui prima est summaque veritas, ignoratio sui, mendax falsaque existimatio superbiæ non possit non maximopere displicere: at sui cognitio veritate subnixa, & ex veritate profecta, sui diiudicatio humilitatis non illi esse acceptissima: non enim potest veritas non amare veritatem, & non odisse mendacium; superbia tota mendacio constat, tota falsitas est atque deceptio. Humilitas ex veritate gignitur, illique tanquam matri, filia iungitur, illius solidissimo nititur fundamento; si columna est humilitas, basis eius est veritas; quod ex proximo Paradoxorum libro luculentius apparebit.



LIBER SECVNDVS

CAPVT PRIMVM.

DE PARADOXIS *Stoicorum*.



IHIL eſt, inquit Tullius, tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile; nihil tam horridum, tam incultum, quod non ſplendeſcat oratione, & tanquam excolatur; quare hęc ipſa quæ vix in Gymnaſijs, & in otio Stoici probant, quæ quia ſunt admirabilia, contráque opinionem omnium, ab ipſis Paradoxa appellantur, in lucem & forum proferre, & oratione populari conatus eſt illuſtrare ſex dumtaxat potiſsima, quæ viſa ſunt ei Socratica, longeq; veriſsima; quãquàm alibi minimè ea probanda cenſet. Paradoxa, primâ ſpecie, ait, admirationem, re explicatâ riſum mouere; Magnificè primo dici, conſiderata minus probari; Vt leuia vina eſſe, quæ magis guſtata, quam potata delectent. Confirmat Plutarchus, Stoicos appellaſſe Paradoxa ſpo nte

ſponte, & vltro confeſſos abſurditatem, & in euanidorum ac frigidorum claſſem abijcienda, & releganda. Atque non deſunt, hodieque, viri eruditi qui pleraque cenſeant veriſsima, mirabilia, admiranda, & excelſa, ſupra Philoſophorum vulgus, nec vt leuia vina, ſed acria & generoſa frigus ac languorem ſtomachi mentis excitare, ſi non tantum guſtentur ſed potentur & altius demittantur; quare & pleniori eadem numero, nullo quod ſciam prętermiſſo, diligenter explicant: quorum ordinem, & ego perſequar, atque ex ijs quædam veriſsima eſſe, ſed Chriſtianorum ſenſu, non Stoicorum, patefaciam; quædam, præter magnifica verba nihil eximium continere, quædam toxica eſſe, & venena nocentiſsima veritati, humilitati, ac virtuti Chriſtianæ ex diametro repugnantia demonſtrabo. Sane, cum attentius inſpiciuntur, ex ijs plurima nucis inſtar putridæ fracto cortice, qui fallebat aſpectum, nihil ſani ac boni ſucci ad ſtomachum enutriendum, ſed ſordium & vermium plurimum ad eum commouendum continere reperiuntur. In alijs pleriſque nihil, niſi magnifica quædam verborum gloriatio, deprehenditur: quod & Seneca videtur agnoſcere, apud quem ad Stoicos quiſpiam. Magna promititis, & quæ ne optari quidem, nedum credi poſsint. Deinde ingentia locuti, cum negaſtis pauperem eſſe ſapientem, non negatis ſolere illi & ſeruum, & veſtem, & tectum & cibum deeſſe: cùm ſapientem negaſtis inſanire; non negatis & alienari, & parum ſana verba emittere, & quicquid vis morbi cogit, audire: cum ſa-

De com. notionib. aduerſus Stoicos.

De conſt. Sap. c. 3.

pientem negaſtis ſeruum eſſe, ijdem non itis inficias, & vænumiturum, & imperata facturum, & domino ſuo ſeruilia præſtiturum miniſteria. Ita ſublato alto ſupercilio, in eadem quæ cæteri, deſcenditis, mutatis nominibus. Idem alio loco. A conſuetudine quædam quæ dicimus abhorrent, deinde aliâ viâ ad conſuetudinem redeunt, negamus iniuriam accipere ſapientem, & tamen qui illum pugno percuſſerit, iniuriæ damnabitur: inſanire omnes ſtultos dicimus, nec tamen omnes curamus elleboro. Quamquam igitur vix operæ pretium videatur bonas hic horas contere re, & verborum ſæpe magis, quam rerum futura eſt contentio: tamen excutienda ſunt ſtudioſis humilitatis Stoicorum hæc ſuperbe atque arroganter dicta Paradoxa; diſcuſsis verborum phaleris, errorum fontes aperiendi, è quibus arrogantia manat, atque ſuperbia. Et erit operæ ſanè pretium, cum per eam occaſionem, præclaræ SS. PP. Hieron. præſertim & Aug. ſententiæ quæ ſunt ad animi tumorem ſedandum, humilitatemque docendam, aptiſsima, ſaluberrima monita proferentur. Habet & ſchola noſtra Paradoxa ſua longè veriſsima, à Stoicorum toto cælo diuerſa, cæleſtia, Diuina, Chriſtianæ Philoſophiæ fundamenta, atque principia, quæ Chriſtus Dominus ſermone habito in monte de perfectione legis Euangelicę octo Beatitudinibus eſt complexus. Ab his non efficimur duriores, aſperiores, ac propemodum inſenſibiles, ſine affectu vllo pietatis: ſed gradum facimus ad præſtantia dona ſpiritus ſancti, tum & vberrimos eiuſdem fructus ex hac Beatitudinum

De benef. 2. 35.

arbore fortunatiſsimâ decerpendos. Continent hi septem octóve gradus Beatitudinum, ſummum totius Chriſtianę ſapientiæ, beatæque vitæ, ſi quæ poteſt hic obtineri, compendium: primi tres triplicem abdicationem, fortunarum ſeu bonorum externorum, voluptatis ac curæ corporis immoderatæ, denique proprij iudicij & voluntatis; tres illas Religioſorum hominum eximias virtutes, quæ voto nuncupatæ, religioſum ſtatum formant atque ſtabiliunt: ad quas, qui in ſæculo ſunt, affectu, ac præparatione mentis adſpirare debent, paupertatem, caſtitatem, obedientiam. Duo proximi gradus pertinent ad vitæ actiuæ & charitatis in proximos officia; reliqui duo extremi ad apicem vitæ contemplatiuæ, ad eam quæ poteſt in terris obtineri mundo corde, viſionem Dei, oculis fidei colluſtratis: tum ad pacem illam, quæ ſecundum Apoſtolum exſuperat omnem ſenſum, noſque reuocat in primęuum originalis innocentiæ ſtatum, dum animus Deo, & animo corpus perfectè ſubditur, nullaque propemodum exiſtit reluctantis ac rebellantis concupiſcentię perturbatio; quam pacem in proximos quoque deriuare cum Dei gratiâ nitimur. Septem ſunt quæ perficiunt, nam octaua clarificat, & quod perfectum eſt demonſtrat, vti perfecti ſunt qui perſecutionem iuſtitiæ causâ patiuntur, quorum virtus velut aurum in fornace, malorum perpeſsione ſit expurgata & expolita. Iubet Chriſtus ſuos, abnegatâ propriâ voluntate ac quotidianâ mortificationis ſublatâ cruce, ſe ſequi atque imitari. *Si quis vult venire*

Aug. l. 1. de Serm. Domini in monte.

Luc. 9. 23.

nire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem
Io.12.25. *suam quotidie & sequatur me*. Et iterum. *Qui amat animam suam, perdet eam, qui odit animam suam in vitam æternam custodit eam*. Magna & mira sententia quemadmodum sit hominis in
Aug. tract. 51. in Io. animam suam amor vt pereat, odium ne pereat; si male amaueris, tunc odisti, si bene oderis, tunc amasti, fælices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando. *Qui amat*
Mt.10.37. *patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus, & qui amat filium, aut filiam super me non est me dignus, & qui non accipit crucem suam, & sequitur me non est me dignus. Qui inuenit ani-*
V.39. *mam suam, perdet eam, & qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam*. Hæc sapientiæ Christianæ, prima principia, paradoxa videantur ijs necesse est, qui de futurâ vitâ nihil admodùm cogitent, omniaque ad hanc præsentem referunt. Diuitias paupertate commutandas: honorem sui contemptu comparandum: gaudium in luctu ac lacrymis situm: gloriam infamiâ, vitam morte pro Christo toleratâ, parandam: quò te magis deieceris, ac humimiliaris, eò magis erigendũ, atque extollendũ, & quo te magis extuleris eò magis deprimẽdũ. Prȩclarũ est illud paradoxum Christi Domini; Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se hu-
14. de Ciuit. 13. miliat, exaltabitur. Quod à S. Aug. ad præsens quoque tempus, accõmodatur in hũc modum. Est igitur aliquid humilitatis miro modo, quòd
" sursum faciat cor: sic est aliquid elationis quod
" deorsum faciat cor; Videntur hæc contraria esse
" vt elatio sit deorsum, humilitas sursũ: sed pia hu-
" militas facit subditum superiori: nihil autem

superius

superius Deo, & ideo exaltat humilitas quæ fa-,,
cit subditũ Deo. Elatio autem quæ in vitio est,,,
eo ipso quo respuit subiectionem, cadit ab,,
illo quo non est quidquam superius, & ex hoc,,
erit inferius, & fit quod scriptũ est: deiecisti eos,,
dũ extollerẽtur: ipsum quippe extolli deijci est.,,
Quod attinet ad Stoica paradoxa, Tullius duo,,
prima collocat in fronte, quod solum bonum honestum, quod seipsâ cõtenta virtus ad beatè viuendũ, quę sunt à nobis iam explicata; summũ bonũ beatæ obiectũ finem vitę, authorẽ atque effectorem esse Deum Opt. Max. cui nos virtus adiungat, quæ sit via, & ratio illius assequendi; neque posse honestè, & ex virtute vitã traduci, nisi tota referatur in authorem, à quo sic est instituta natura rationis cõpos; vt Dei sit honos ac gloria si secundũ rectã rationem, Diuinamq; legẽ suam viuat, moresque & actiones omnes suas cõponat. Est enim recta ratio Diuinæ quædã legis & ęternę participatio, cui rectæ rationi congruere, ac consentire sit benè, rectè, honestè viuere; ab eâ deficere ac discordare, male inhonestè ac turpiter. Cæterum quoddam est vtile, ac iucundũ quoque bonum corporis, quod honesto semper sit postponẽdũ; illiq; tamẽ subinde subseruiat, atque adminiculetur. At quãdiu versamur hîc in terris si sola virtus ad viuendũ nè quidẽ sufficit, ad beatè viuẽdũ qui sufficiet? Cũ sine cibo, potu, sõno, alijsq; subsidijs miserrima hæc vita traduci nequeat, tantũ abest, vt beata esse queat omniũ bonorũ aggregatione cumulata, ac perfecta; quæ est omnium ærumnarum prope sẽtina; vitalis mors miserrima; nisi Christi gratiæ solatijs temperaretur, intoleranda.



CAPVT II.

PRIMVM PARADOXVM; *Sapientes omnes pares esse.*

OMnes non modò qui iam sunt, sed quicumque fuere, vel erunt deinceps sapientes, pares erunt, & æquales; nimirum adeptâ sapientiâ, ac perfectione quę nec
Sen.ep.79 & 84. intendi, nec remitti potest, non secus atque regula, quâ rectum probari solet, inflexibilis
4. de fini. est, hæc enim sapientia beata vita est; sapientes omnes summè beati sunt, inquit Tullius, qui vero statuit omnes in summo, statuit in æquali, quia quemadmodùm summum, adiectionem non recipit, (quid enim supra summum erit) ita nec beata quidem vita, quæ sine summo bono non est. Idem esse dicebat So-
Ep.71. crates veritatem & virtutem, quomodò illa non crescit, sic nec virtus quidem. Habet numeros suos; plena est. Si beatus est sapiens, ergo perfectè, & vt nihil desit: quid minùs probandum, quàm esse aliquem beatum, nec satis beatum? Quod autem satis est, cò quicquid accesserit, nimium est. At nemo nimium Beatus est, & nemo, Beato Beatior. Sunt isti paralogismi, nam & supra demonstratum est in ipsa quoque veritate, ac falsitate, seu mêdacio illi opposito, gradus esse;

Prima & summa veritas, Deus est, à quo deducitur, velut à fonte veritas omnis; à primâ luce veluti quædam scintillula dimanat omnis intelligentia, ac comprehensio veritatis; in quâ quanta sit claritatis, certitudinis præstantiæ ac dignitatis pro varietate argumenti diuersitas, apertissimum est. Quare, vt alię alijs excellunt veritates materiæ dignitate, certitudine, claritate, sic & inter virtutes, varius est ordo, & gradus; nec omnes sunt inter se pares, nec vna simplex perfectio impartibilis est; ac pluribus iam suprà disputatum est de sapientię ac perfectionis gradibus, charitatis, inquam, & humilitatis in quâ vera est sapientia, ac perfectio Christiana. Non sunt virtutes, earumque actiones ipsæ sibi regula, sed ex eò quòd conformentur regulæ, ac cum eâ conueniant, bonitatis moralis rationem & honestatis laudem consequuntur. Regula prima est Deus Opt. Max. prima ac summa veritas, bonitasque infinita, & inexhausta; aut si dicatur regula, recta ratio à Deo nobis insita, participatio legis æternæ, hæc sane varia esse potest, tum pro varietate materiæ, in quâ versatur, tum pro varietate claritatis, intensionis, rectitudinis, alteriusve conditionis quâ dimanat à Deo pro eius vnius beneplacito. Etsi præscribat semper idem regula, cùm idem est opus & argumentum; tamen opera inter se plurimùm sunt diuersa, ratioque præscribens, aut conscientia dictans, in quibusdam intensior & explicatior est, maiore luce, ac firmitate nititur, voluntasque bonum opus exequens, alacritate, promptitudine contentioneque

neque maiore fertur. Vt inter virtutes earumque actiones, plurimùm interesse sit necesse.

Sint igitur sapientes omnes summè beati idest summo bono, Deo Opt. Max. perfruentes, siue inchoatè hâc in vitâ per fidem illustrem & ardentem charitatem; siue in alterâ perfectè per claram visionem, consummatamque charitatem: non tamen qui statuit omnes in summo, statuit in æquali, quia non summe participatur nec omni modo. Abiectionem recipit non ipsum summum bonum, sed summi boni creata participatio: Obtinetur summum bonum idque perfectæ vt nihil desit, non ita tamen summo bono quin perfectius atque perfectius semper obtineri possit, qui beatus est, satis est beatus, nihilque amplius expetit; beatior tamen effici potest, & efficietur, vbi ex huius vitæ Beatitudine, quæ vix id nomen meretur, in alterius vitę beatitudinem numeris omnibus absolutam translatus emigrarit. In illâ autem nullum erit desiderium maioris perfectionis, aut beatitudinis; quoniam naturalis omnis capacitas animæ virium, erit expleta. Est alia capacitas insuper omnipotentiæ Dei respondens, quam dicere possumus obedientialem, quæ nullo limite, nisi Diuinæ voluntatis coerceatur tantumque bonum est, tam infinitum, tam inexhaustum Deus noster, vt ab se solo comprehendi queat. à suis creaturis cùm infinitâ quâdam distantiâ, & vario discrimine, ab alijs amplius, ab alijs minùs capiatur, magisque

giſque aut minùs clarâ viſione poſsideatur: id ſatis eſt ad beatam vitam efficiendam, quòd expleat naturalem omnem appetitum, quo nihil vltra expectatur, ſed ſi quid am-pliùs accedat, ex Diuinâ munificentia; non eſt nimium, neque reſpuendum, cùm vt Deus ipſe infinitum eſt bonum, quod infinitè participari queat, ita ſit in animis noſtris infinita quædam capacitas obedien-tialis, vti dixi, quod ſatis ad explendam naturalem appetitum, non eſt nimium ad ſupernaturalem & obedientialem, ſed hæc omnem prophanæ philoſophiæ ſubtilitatem longe tranſcendunt. Non importunè verò quæri poſſet à Stoicis, quos, hoc loco, ſa-pientes intelligant? perfectos, conſummatos, primæ notæ, hactenus irrepertos? aut qui tan-quam Phænix anno ſexcenteſimo dumtaxat appareant? an in claſſe proficientium, ſecun-dæ notę, quos & ipſi varijs gradibus, diſcri-minant, quorum alij propiùs, alij remotius diſtent à culmine ſapientiæ. Iterum quos beatos? huiuſne ęrumnoſæ vitæ, dum adhuc in mortali corpore traducitur, an alterius im-mortalis dum animus corpore ſolutus, Deo ſummo bono ſuo perfruetur? Nam in hac qui-dem vita, vt loquar ex ſententia Senecæ, gene-roſos animos labor nutrit, ſed non omnes pa-riter exercet, aut ad eundem virtutis apicem perducit; multique ſunt, quibus nihil vnquam contigit aduerſi, de quo, ait ille, dij malè iudi-cauerunt. Indignus viſus eſt, à quo vinceretur aliquando fortuna, quę ignobiliſsimum quo-que refugit, contumaciſsimum, id eſt, fortiter obuiantem

l. de Prou. c. 3.

obuiantem quemque & rectum aggreditur, aduersus quem, vim suam intendat: ignem experitur in Mutio, paupertatem in Fabricio, exilium in Rutilio, tormenta in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone.

Quis igitur in hac vita dicat omnes pares in tam diuersis animis, atque euentibus, tam dispari studio, conatu, ac profectu Sapientiæ.

Horat. l. 1. Ep. 1.

Non possis oculo quantū contēdere Lynceus,
Non tamen idcirco contemnas Lippus inungi;
Nec quia desperes inuicti membra Glyconis
Nodosa corpus nolis prohibere chiragra;
Est quadam prodire tenus, si non datur vltra.

Iam in altera vita pares omnes esse; & alium alio beatiorem non esse, pridem damnatum est in hæresiarcha Iouiniano. Alia est claritas solis, alia lunæ, alia stellarum. *Qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*; pro meritis vnusquisque mercedem recepturus est, vnusquisque secundum opera sua. Extat decretum Conc. Florent. sessione vltima, quo Græcis consentientibus est definitum: inter beatos alium alio perfectiùs Deum, sicuti est visurum: damnatos quoque disparibus pœnis puniendos. Quodam sanè sensu Stoicorum hoc Paradoxum ad veritatem Christianam traduci queat, si dicantur sapientes ex Dei munere sapientiâ ac virtute diuinitus illis impertitâ valde esse dispares ac differentes; cæterum ex natiuâ suâ conditione, ex suoque nihilo, si spectentur vt Dei donorum expertes, sibi relicti, siue vt ex Adamo communi parente prognati, originaria infecti lue sic pares esse & nullam suppetere

2. Cor. 9.

petere causam cur alter alteri se præponat. Quid est homo, fratres, caro, & quid alter homo, nisi altera caro? & tamen caro diues, extendit se contra carnem pauperem, quasi aliquid illa caro attulerit, quando nata est, aut aliquid auferatur quando moritur: ad hoc plus habuit, vt plus tumeret, & alibi. In visceribus matrum vestrarum, ambo, nudi fuistis. Certè etiam cùm de istâ vitâ exieritis, & iste carnes exutâ animâ fuerint putrefactæ, dignoscantur esse diuitis & pauperis. At verò sensu Stoicorum, repugnat hoc paradoxum veritati & virtuti humilitatis; quæ docet extremas vnumquemque sibi debere desumere partes, prioresque ac potiores alijs deferre: seu quod monet Christus Dominus in nouissimo loco recumbere, & Apostolus, *honore inuicem præuenientes, in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes*. Quare condemnant hoc paradoxum sua nuncupatione integri Ordines Religiosi, Fratrum Minorum S. Francisci Assisinatis, & Minimorum S. Francisci de Paula, tametsi pietate, virtute, doctrinâ, rebus minimè inferiores; & hæc quoque nostra, vti loquitur S. Ignatius minima congregatio quæ à sede Apostolicâ, primâ sui institutione societas Iesv nominata est.

[Margin: Aug. in ps. 141. — Aug. in ps. 72. — Rom. 12. 19. — Ad Philip. 2. 4. — Const. c. 1 §. 1.]

CA-



CAPVT III.

Aduersus idem Paradoxum ab exemplo Apostoli & Hieronymi potissimum authoritate.

QVam Apostolus verbo docuit humilitatis virtutem ac sui infra cæteros omnes abiectionem, eandem quoque pleniùs conformauit exemplo. Nam tametsi verò existimaret nihil se minùs fecisse à magnis Apostolis princeps & antonomasticè Apostolus; tametsi Euangelium non ab homine didicisset, sed per reuelationem Iesv Christi, qui eum vocandi & Apostolatum conferendi causâ, de cælo voluit apparere: tametsi plus cęteris laborasset. *(Vt minùs sapiens dico) plus ego: in laboribus plurimum in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter &c.* tamen de se sentit & loquitur submississimè. *Nouissimè autem omnium tanquam abortiuo, visus est & mihi. Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persequutus sum Ecclesiam Dei.* In posteriori autem ad Ephesios Epistolâ cum ait: *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hac, in Gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi* Tot interea pro Christo atque Euangelio susceptis laboribus, haud mediocrem in

2. Cor. 11.5.

2. Corin. 11.23.

1. Cor. 15. 8. 9.

Eph. 3.8.

humi-

humilitate profectum se fecisse demonstrat: nam illic ad Corinth. Apostolorum, hic ad Ephes. omnium Sanctorum. 1. Christianorum, quorum erat ea tum appellatio minimum profitetur, illic se minimum vocat: Græcè ἐλάχιστον: hic (vt ita dicam) minimissimum: nam Græcè est comparatiuus ex superlatiuo formatus ἐλαχιστότερον ac si dicas mihi infirmiori omnium Sanctorum prioris ad Timoth. *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus: quod Christus IESVS venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum.* 1.15. Primum non origine & tempore velut in Paulum Adami anima commigrasset (vt ineptè quidam somniant) sed magnitudine, grauitate, enormitate peccatorum, quorum sibi conscius erat nihil de alijs disquirens, aut diiudicans; quasi diceret Apostolus, vnus sum ex præcipuis & insignioribus peccatoribus, quantum quidem ego iudico, quantùm mea fert opinio, nihil in aliorum inquirens conscientias, mihi conscius erratorum ac peccatorum meorum, quæ me in alijs inquirere charitas humilitasque non patitur. Ad eum modum Illustrissimus Martyr S. Ignatius ad Smirnenses, saluto omnes sanctos quorum vltimus esse dignus non sum. D. Hieron. vltimum se Christianorum profitetur. Humilitatis est conferre mala sua, defectusque proprios, quos egregiè nouit, cum bonis ac virtutibus proximi, de quibus bene atque optimè sentire iubet charitas: sua cum inspicit bona virtutesque à Deo collatas memor dicti illius Apostoli: *Quid enim habes, quod non accepisti?* 1. Cor. 4. 7

pisti? magis etiam deprimitur, & ad animi gratitudinem aduersus Deum, salutaremque metum, quod de ijs reddendæ sint rationes, excitatur. Errata proximi prorsus ignorat, nihil enim ad illum pertinet, & virtutes opinione suâ maiores meritò suspicatur. Quare non est illi difficile proximum in humilitate sibi superiorem existimare. Sed nos ad se D. Hieron. hoc idem argumentum pertractans inuitat.

Iouinianum qui ex Epicureo Stoicus euaserat, ac Christum Zenone commutarat, accuratè refellit ex scripturis veteris ac noui testamenti. Sed quale est; vt quia inter bonos & malos diuisio est, tu asseras inter ipsos bonos, vel è contrario malos nullam esse distantiam, nihilque referre vtrùm in pecore aliquis aries sit, an ouicula? vtrùm primam lanam habeat, an secundam? vtrùm scabidum pecus sit, & morbidum, an vegetum atque subsultans? maximè cum Ezechiel
Ezec. 3. 4. oues rationabiles, & diuersitatem inter pecus & pecus suæ prophetiæ authoritate demonstret: & cætera quæ per otium lector consulere poterit; hoc loco referam paucula ex ijs quę habet aduersus Pelagianos, hoc in Paradoxo Stoicorum sectatores. Cæterùm, inquit, alium differre ab alio, & diuersas esse in hominibus iustitias, nulli dubium est, & vel maiorem esse alium, vel minorem & tamen secundum statum & mensuram suam posse iustos nominari, qui aliorum comparatione
2. Ti. 4. 8. iusti non sunt. (Verbi gratia) Paulus Apostolus vas electionis, qui plus omnibus Apostolis

ſtolis laborauit vtique iuſtus erat, ſcribens ad Timotheum : *Certamen bonum certaui, curſum conſummaui. Fidem ſeruaui, de cætero repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ: quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus Iudex, non ſolum autem mihi, ſed & omnibus qui diligunt aduentum eius.* Iuſtus erat & Timotheus diſcipulus eius, & imitator, quem docet quid agere debeat, & quem modum tenere virtutum. Putamuſ-ne vnam & eandem in vtroque fuiſſe Iuſtitiam? & non plus habere meritorum, eum qui plus omnibus laborauit? Multæ manſiones ſunt apud Patrem quia & merita diuerſa. Stella à ſtella differt in claritate, & in vno Eccleſiæ corpore membra diuerſa ſunt, habet ſol fulgorem ſuum, luna quoque noctis tenebras temperat, & quinque ſidera alia, quæ vocantur errantia, diuerſis & curſibus & luminibus cęlū peragrant: innumerabiles ſunt aliæ ſtellæ, quas micare in firmamento cernimus: In ſingulis diuerſa ſunt lumina, & tamen in ſuo vnaquæque perfecta eſt, ita dũtaxat vt cõparatione maioris perfectione careat. In corpore quoque cuius membra diuerſa ſunt, aliud oculus, aliud manus, aliud pes agunt. Vnde & Apoſtolus dicit: *Non poteſt oculus dicere manui, non es mihi neceſſaria*: Aut iterum caput pedibus, non deſidero operam veſtram.

Numquid omnes Apoſtoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Magiſtri? numquid omnes cunctas habent virtutes? numquid omnes donationes habent ſanitatum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur? æmulamini

dona maiora. Omnia autem hæc operatur vnus atque idem spiritus, diuidens propria vnicuique prout vult: in quo diligenter attende, quod non dixerit, secundum quod vnum quodque membrum cupit, sed secun-
Rom. 9. dum quod ipse vult spiritus: neque enim dicere potest vas figulo suo, quare ita vel ita me fecisti? an non habet figulus potestatem de eodem luto, aliud vas facere in honorem, aliud in contumeliam? Vnde consequenter adiecit: æmulamini dona maiora: vt in fide & industriâ plus cæteris charismatibus habere mereamur, melioresque simus ijs qui comparatione nostri, in secundo vel tertio gradu positi sunt. In magnâ domo vasa di-
2.Tim. 2. uersa sunt, alia aurea, alia argentea, ænea, ferrea ligneaque; & tamen secundùm modulum suum, cum æneum vas perfectum sit, comparatione argentei vasis imperfectum dicitur, rursumque argenteum aurei collatione deterius est; atque hoc modo, dum sibi inuicem comparantur, imperfecta, & perfecta
Mat. 13. sunt omnia. In agro terræ bonæ, ex vnâ semente tricenarius & sexagenarius, & centenarius fructus exoritur: ipsis numeris indicatur impar esse, quod nascitur: & tamen in suo genere perfecta sunt singula. Elizabet & Zacharias, quo testimonio, quasi impenetrabili vteris clypeo, nos docere possunt, quanto inferiores sunt Beatæ Mariæ, Matris Domini, sanctitate, quæ conscientia in se habitantis Dei libere proclamat: *Ecce enim ex hoc*
Luc. 1. 48. *beatam me dicent omnes generationes: &c.*
Mat. 11. Ipse quoque Ioannes quo maior non fuit inter

inter natos mulierum, parentibus suis melior est: non enim solùm hominibus, sed & Angelis, testimonio Domini comparatur: & tamen qui cunctis hominibus erat maior in terra, minimo in regno cælorum minor fuisse perhibetur. Quid mirum in collatione sanctorum alios esse meliores, & alios inferiores, cum è contrario in collatione peccatorum hoc intelligi possit? ex corporalibus consideremus spiritualia, alius velox est pedibus, sed non fortis manu, ille tardus incessu, sed stabilis in prælio est; hic pulchram habet faciem, sed raucæ vocis est: alius tetram, sed dulci modulatione cantat; illum ingeniosum, sed obliuiosum, hunc memorem, sed tardi videmus ingenij; in ipsis controuersijs in quibus quondam pueri lusimus, non omnes similiter, vel in proœmijs vel in narrationibus, vel in excessibus, vel in argumentis, aut exemplorum copiâ & epilogorum dulcedine se agunt, sed eloquentiæ suæ alia, atque alia in parte dissimiles sunt. De viris magis ecclesiasticis loquar. Multi super euangelia benè disserunt: sed in explanatione Apostoli impares sui sunt; Alij cum in testamento nouo optimè senserint, in psalmis & veteri testamento muti sunt. Hoc totum dico quod non omnia possumus omnes, rarusque aut nullus est diuitum, qui in omni substantiâ suâ paria vniuersa possideat.

Ad amplius coarguendos Stoicos disputari hic posit de imparitate, & inæqualitate animarum; quæ tanta est vt in solam diuersitatem complexionis corporum referri non posse videatur;

 deatur;

deatur; ita alius alium ſuperat, vel acumine & ſubtilitate ingenij, vel facilitate ac maturitate iudicij, vel memoriæ viuacitate ac tenacitate, vel prudentiæ ac circumſpectionis laude; ita alius ad theoricas ſcientias, alius ad practicas naturæ propenſione fertur, alius ad miſericordiam, alius ad iuſtitiam, alius ad aliam virtutem propendet, atque adeo, vt plane ſit probabilis S. Thomæ ſententia, animas ex ſua creatione impares eſſe, & inæquales; à quâ ſententia non videtur alienus S. Auguſtinus qui indicat eam diuerſitatem propenſionum in diuerſitatem corporum, ac temperaturæ, à medicis referri, non tamen omnino probari; ſed ſi tanta temperaturæ corporum poteſt eſſe diſparitas intra eandem ſpeciem, cur non & animarum? Certè neque corpus, neque animam ſibi quiſpiam effinxit atque formauit, ſed in Deum Authorem, omnis iſta corporum, animorumque diuerſitas eſt referenda.

1. q. 85. a. 7.

4. contra Iul. c. 3.

CA-



CAPVT IV.

SECVNDVM PARADOXVM; *Virtutes pares, itemque indiuiduas esse.*

VTraque pars huius Paradoxi iam explicata est; sed vt apertius Stoici coarguantur, vtraque reuocetur ad incudem. S. Thom. 1.2.q.66.

Prior, pares virtutes, quo sensu? omni quo dixeris virtutes, etiam diuersas, pares esse; virtutis eiusdem actiones omnes pares, denique diuersarum pares esse. Seneca: Virtutes inter se pares sunt: & opera virtutum, & homines, quibus illæ contigere. Ep. 66.

Triplex paritas, & triplex error; Diuersas virtutes specie distinctas, quis negare possit impares & inæquales, cum ipsa naturâ, siue præstantiâ obiecti aliæ alijs præcellant. De Charitate constat ex Apostolo: *Maior horum est Charitas*, Fide, ac Spe excellentior. *Æmulamini charismata meliora*. De Religione erga Deum, Pietate erga Parentes, Obseruantiâ erga maiores, Gratitudine, Liberalitate, alijsque virtutibus facilè confici potest. Prudentia, quæ in ratione, nobilissima mentis parte sita est, inter morales primum locum obtinet; sequitur Iustitia in voluntate Forti- 1.Cor.13.

tudo in appetitu irascibili, Temperantia in concupiscibili.

Iam in diuersis hominibus easdem virtutes diuersas esse gradibus perfectionis; vti eas exercitio, aut potius Dei dono diuersimodè compararint, vel auxerint, non potest esse dubium. Nam esto virtutibus inducatur vna regula, recta & simplex ratio, eaque sit Diuina, aut Diuinæ regulæ creata quædam participatio; non sequitur in diuersis eam semper eadem claritate lucere, ac firmitate inhærescere, aut certè ad eam æquè omnes omnium virtutes acccedere, eique se conformare. Ex quo patet nec eiusdem virtutis, multoque minus diuersarum actiones semper pares esse, cum & à diuerso mentis fidei, ac prudentiæ lumine dirigantur, diuersa formali ratione, motiuoque honestatis admodum diuerso nitantur & varia contentione, studio, ac proposito voluntatis exerceantur.

Parad. 3. Quod ait Tullius: Etenim si benefacta rectè facta sunt, & nihil recto rectius, certe ne bono quidem melius quidquam inueniri potest; negatur nihil recto rectius esse posse, & nihil bono melius. Item quod Seneca: Nihil inuenies rectius recto, non magis quàm vero verius, temperato temperatius. Omnis in modo est virtus; Modus certa mensura est. Constantia non habet quo procedat, non magis quàm fiducia, aut veritas, aut fides. Quid accedere perfecto potest? Nihil; Imò verò nihil tam perfectum, quin perfectius effici queat, semperque in immensum restat infinita quædam perfectionis series ad-

Ep. 65.

iicienda

ijcienda, si maximè ad Deum omnis Authorem perfectionis, abyssumque inexhaustam bonitatis (quam æmulari nos par est) attendas: semper habet constantia quo procedat, quo in dies excrescat; fiducia, veritas, fides, incrementa semper capere possunt, maioris certè lucis, claritatis, intensionis ac firmitatis.

Modus certa mensura est, sed minimè consistens in indiuisibili; suam habet latitudinem in genere moris; ac esto sit indiuisibile velut signum sagittarijs propositum, vnus tamen quispiam promptius attingere potuit, quàm alius; sed non est necesse rectæ rationis medium in indiuisibili contingat, sufficit ad id accedere, vt rectè Philosophus admonet. 2.Ethi.

Posterior pars: Indiuiduas esse virtutes, aliunde iam pertractata est; & perfectas & imperfectas virtutes seiũgi posse, cum nullo certo vinculo nec prudentię, nec charitatis colligentur; sed eas in idem vnum aggregari subiectum planè contingat: Vnaquęque enim virtus perfecta suam habet prudentiam, in eodem rerum genere perfectam, neque vlla necessitate consortium requirit cæterarum. Charitas sine alijs infusis esse non potest; at potest esse sine acquisitis, & hę ac Theologicæ fides, & spes, non necessariò charitatem habent adiunctam.

Gloriosa illa magis quam vera Senecæ prædicatio; Cum semel animum virtus indurauit, vndiquè inuulnerabilem præstat, non enim singula vitia ratio, sed pariter omnia prosternit; in vniuersum semel vincit; sicut sol pariter oritur, & omnia illustrat. Verum

huic dicto reclamat experientia, nec vno virtutis actu, aut crebriùs etiam repetito, virtutem acquiri ac confirmari, multoque minùs cum vna virtute cęteras omnes comparari; nec, si te diu multumque in vna virtute exercueris, in alijs continuò promptum te, & expeditum inueniri: Esto, perfectæ virtutes sint connexę, quod ante negatum est; At quas hic obtinemus, imperfectæ sunt, & inchoatæ, quas idcirco mirum non est, si copulatæ non sunt inter se, parum firmas, & imbecillas esse.

aduersus Pelag. Atticus apud Hieronymum. Quamdiu habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, & fragili carne circumdamur, immo mortali & corruptibili, beatos esse non credamus, si in singulis virtutibus, partibusque virtutum Deo subiecti sumus; Cum autem mortale

1. Cor. 15. 54. hoc indutum fuerit immortalitate, & corruptiuum hoc incorruptione vestitum, & absorpta, mors fuerit in Christi victoria; tunc Deus erit omnia in omnibus; vt non sit tantum in Salomone Sapientia, in Dauide animi mansuetudo, in Elia & Phinees Zelus; in Abraham fides; in Petro cui dictum est;

Io. 21. 17. *Simon Ioannis amas me*? Perfecta dilectio; In electionis vase studium prædicandi, & in cæteris vel bina vel trina, sed totus in cunctis, sit, & omni virtutum choro sanctorum numerus glorietur; & sit Deus omnia in omnibus; Critobulus. Nullus ergo Sanctorum quamdiu in isto corpusculo est, cunctas potest

1. Cor. 13. habere virtutes? Atticus. Nullus; quia nunc ex parte prophetamus, & ex parte cognoscimus

mus, nec enim possunt omnia esse in omnibus hominibus; quia non est immortalis filius hominis. Si totum requiris ab omnibus tollis rerum diuersitatem, & gratiarum distantiam, & creatoris artificis varietatem, cuius sacro propheta sonat carmine. *Omnia in sapientia fecisti.* Ps. 103.

Aliud Paradoxum huic connexum, iure carpit Plutarchus. Quod tempus bonum non augeat si accedit, sed si quis vel punctistitium horæ prudens fuerit, nulli concessurum in felicitate, qui vel longissimum æuum virtute sit fruitus, & beatè in eâ vixerit, qua de re Seneca. De com. notionib.

Non ero beatior multos annos in possessione virtutis, quàm si dies aut pauculas horas. Summum bonum nec infringitur, nec augetur; in suo modo permanet, vtcumque fortuna se gessit, siue illi senectus longa contigit, siue citra senectutem finitum est, eadem mensura summi boni, quamuis ætas diuersa sit. Vtrum maiorem an minorem circulum scribas, ad spatium eius pertinet, non ad formam, licet alter diu manserit, alterum statim obduxeris, & in eum in quo scriptus est, puluerem solueris; in eadem vterque forma fuit. Denique quod rectum est, nec magnitudine æstimatur, nec numero, nec tempore; non magis produci quàm retrahi potest; honestam vitam ex centum annorum numero, in quantum voles corripis, & in vnum diem cogis æquè honesta. Hæc verò Stoica Paradoxa falsa, & incredibilia, satis sit recitasse, & in apertam lucem protulisse; hoc enim est refutasse, quod Ep. 74.

aperuisse

aperuisse. Si summum bonum beatam vitam accipimus, quæ tanquam præmium rectè factorum rependetur, eam æternitatem includere & de æternitate securitatem, iam dictum est. Non erit beata vita, quæ æterna non erit, & de æternitate secura. Si de honestis actionibus huius vitæ, quibus illam sempiternam vitam promeremur, & velut prægustamus, quis negabit eas, pro numero, duratione & tempore, magnopere ęstimandas, & quò maior fuerit aceruus meritorum, ac rectè factorum, eò quoque maiorem mercedem rependendam. Non sola forma spectanda est, sed operis quoque materies, & magnitudo, & circulum aureum, argenteumve, quis non prætulerit ei qui in puluere sit descriptus? Tum alius alio describi potest accuratius, atque perfectius: Esto circularis & orbicularis figura sit in omnibus; eadem tamen absolutior in quibusdam, quam in alijs existere potest, si à centro non sit omnium æquè partium distantia; Non enim mathematicè sed Physicè, aut potius morali quadam ęstimatione circulus hic æstimatur.

Vt circumstantiæ multæ numerantur culpam aggrauantes; sic multæ sunt augentes laudem ac dignitatem virtutis; Non ex obiecto solo, sed alijs quoque conditionibus personę, loci, temporis, augescit honestas & laus actionis. Quo maior cautio atque industria in bonorum malorumque delectu debet adhiberi, eò magis laudanda prudentia, quo labores grauiores periculaque subeunda, eò magis deprædicanda fortitudo; quò

voluptates

voluptates acriores, vehementiores, repudiandæ, aut moderandæ, eò prǫstantior habenda Temperantia; in quo denique latius patent officia ſuum cuique reſtituendi, iuſtitiæ laus amplianda. Chryſippi dictum iure Plutarcus irridet, parem eſſe virtutem, patriam fortiter ſeruaſſe, & muſcæ morſum fortiter ſubſtinuiſſe &c. Neſcio quid diabolicæ fraudis, atque amentiæ in Stoiços hoc dogmate latentis obſeruare eſt. Nam vt alias impeccantiam, & apatheiam, ita hic perfectam æqualitatem, omnimodamque qualis inter perſonas tres Auguſtiſsimę Trinitatis exiſtit, affectaſſe videntur, & tamen omni gradu atque ordine ſublato, chaos quoddam immane atque Orci teterrimam confuſionem induxiſſe; mox quoque videbimus eos diuinam immutabilitatem affectaſſe.



CAPVT V.

Tertium Paradoxum; *Sapientem sibi parem, & in Gaudio semper esse.*

Tertium Paradoxum etiam de paritate, atque æqualitate ipsius sapientis, hunc constare sibi, in eodem semper animi statu, ac tenore versari, eoque optimo, & optatissimo; quare in gaudio semper esse. Voluptatem (si ad nostrum album verba dirigimus) rem
Ep. 63. infamem esse, & gaudium nisi sapienti non contingere. Est enim elatio animi suis bonis viribusque fidentis; hæc Seneca. Sed quę sit alia descriptio superbiæ? quam elatio ani-
Ep. 23. mi suis bonis viribusque fidentis? hæc quibus delectatur vulgus, tenuem habent ac perfusoriam voluptatem, & quodcumque inuectitium gaudium est, fundamento caret. At gaudium sapientis intus nascitur, in virtutis arce fundatum est, altum, & ex alto veniens ex se ortum; fidele, firmumque est, & crescit, & ad extremum vsque prosequitur. Si ex Deo id oriretur, altum & ex alto veniens foret, idemque firmum, fidele fundatum, ac
de vita beat. c. 4. continuum, at ex seipso, omnis inconstantiæ ac perturbationis origine, vitiorumque scaturigine,

tu rigine, qui potest esse fundatum, constans, atque perpetuum? *Quare posuisti me contrarium tibi?* aiebat Deo S. Iob, *& factus sum mihimet ipsi grauis?* Nolo tibi vnquam deesse lætitiam, volo illam tibi domi nasci, nascetur si modo intra te ipsum sit; cæteræ hilaritates non implent pectus, sed frontem remittunt, leues sunt; nisi tu fortè iudicas illum gaudere, qui ridet; Animus debet esse alacer, & fidens, & super omnia erectus: rectè; modò ne arrogans, & superbus. Hoc gaudium, de quo loquor, solidum est, & quod plus pateat introrsus; aliquod potius bonum mansurum circumspice. Nullum autem est nisi quod animus ex se sibi inuenit; O si Deum in se & ex se requirat, authorem naturæ ac gratiæ, omnisque veræ lætitię, inueniat, ac teneat fontem, nam quid ipse sibi prębstet animus, omniũ egentissimus? Sola virtus præstat gaudium perpetuum, securum, nempe Christiana virtus, quę sola potest esse salutaris, humilitas, charitas tum quæ se Deo, proximoque propter Deum subijciat, atque annectat; etiamsi quid nubium modò interuenit, quæ infra feruntur, nec vnquam diem vincunt. 7. v. 20. Ep. 23.

Talis est sapientis animus, qualis mundi status super lunam. Ep. 50.

Perpetuum nulla temeratus nube serenum. Lucan.

Nam illa pars mundi superior, & ordinatior, nec in nubem cogitur, nec in tempestatem impellitur, nec versatur in turbinem, omni tumultu caret: eodem modo sublimis animus, quietus semper, & in statione tranquillâ collocatus, modestus, venerabilis, compositus;

positus; sed cui contingit hic animus in hac ęrumnosâ vita? quamquam multò magis placet animus modestus, venerabilis & compositus, quam alacer, fidens, & super omnia erectus; tamen, quæ nostra est imbecillitas, nunquam sibi diu constare potest, nec in eodem tramite, ac tenore constantiæ & virtutis perseuerare: Denique, vt nihil magnificorum Senecæ verborum omittamus. Mihi crede; res seuera est verum gaudium, quod nempe beatam vitam efficiat, aut ex eâ, consequatur quies interior pax & concordia, animi magnitudo cum mansuetudine. Quid est beata vita? securitas, ac perpetua tranquillitas; cui consonat illud Ambrosij, beatam vitam efficiunt. Tranquillitas conscientiæ, & securitas innocentiæ; & illud Diuinæ Sapientiæ. Qui me audiet habitabit in spe confidens, & quiescet securè ab omni malo. Nempe qui Deum audiet, qui sperabit & confidet in Deo, sibimet ipsi verò diffidet, non se audiet, non se spectabit; sed ad Deum se suaque omnia referet, ille quietus erit, ac securus, plenus confidentiæ, ac lætitiæ. Gaudium Hypocritæ, Stoici, Sapientis dissimulati, qui se fingit, ac desipit, qualis reuera non est, plenum gaudio ad instar puncti, quod caret omni dimensione, nec longum est, nec latum, nec altum, nec profundum: non longum, quia nullam ferè durationem obtinet, vix esse incipit cum desinit, non latum, quia verè non dilatat cor, sed coarctat, multisque amaritudinibus & perturbationibus oblitum est: non est altum, sed humi repens, non est in cęlum se attollens, non

de beata vita 3.

Ep. 92.

3. off. c. 1.

Ex Bona.
Iob. 20. 5.

non de cæleſtibus & Diuinis, ſed terrenis rebus abiectiſsimis: non profundum, quod nullas intus habeat radices; totum exterius eſt, quod citiſsime euaneſcit.

Lætitia ſæculi vanitas eſt, ait S. Auguſt. 2.Soliloq. quæ magno cum deſiderio ſperatur vt veniat, & cum venerit, retineri non poteſt, quia: Prou. 14. Extrema gaudij luctus occupat. Septuaginta 13 ſic reddunt. Lætitia impiorum ruina inſignis. & gaudium iniquorum perditio. Iuſti verò hominis Chriſtiani gaudium, non inſtar puncti, ſed æui & æternitatis eſt, habet longitudinem ſine fine, cum ſit ſempiternum: altitudinem vſque ad ſummum, de Dei ipſius ac ſummi boni poſſeſsione: latitudinem immenſam, quia in Deo qui eſt omne bonum, omne genus boni comprehendit, cor dilatat: denique profundiſsimas agit radices in ipſo Deo, qui ab inuito nequit auferri: Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. Qui de Deo gaudet habet ipſum fontem aquæ viuæ ſcaturientis in vitam æternam. Ioan. 42

Totius huius Paradoxi cardo fere vertitur, quod à ſeipſis Stoici ſtabilitatem mentis ſecuritatem, ac pacem, tranquilitatem ac lætitiam peterent; ſummâ Dei laborantes ignoratione, vel obliuione; nos vero Chriſtiani totam ſpem in Deo collocandam indeque deducendam animi pacem, tranquillitatem, ac ſecuritatem, ſi quæ poſsit hic obtineri, cenſeamus; A nobis verò metipſis, nihil niſi perturbationem, moleſtiam, rixam internam, inſtabilitatem, inconſtantiam, dolorem corporis ac animi mærorum vberrimam ſegetem naſci

nasci experiamur. Quod si quandoque sursum nitamur, & erigamur ad Deum ad exigui temporis moram; si quandoque, velut è cælo fulgura, fulgetra Diuinæ lucis ac clementiæ nobis affulgeant; mox tamen pondere nostro recidimus in ima, & fragilitatis nostræ densis velut nubibus obscuramur, & varijs animi passionum tempestatibus agitamur. Homo sibi mæstitię causa & omnis instabilitatis, ac perturbationis; Deus illi fons lætitiæ, tranquillitatis, securitatis. *Homo natus de muliere*, aiebat S. Iob experimento suo bene doctus,
Iob.14. *breui viuens tempore, repletur multis miserijs,*
v.1. *qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit*
velut vmbra, & nunquam in eodem statu per-
c.7.v.1. *manet. & alias. Militia est vita hominis super*
terram, & sicut dies mercenarij, dies eius. Pec-
c.7.v.20. *caui quid faciam tibi, ô! custos hominum? Quare*
posuisti me cõtrariũ tibi? & factus sum mihimetipsi
c.10.v.1. *grauis?* Denique, *Tædet animam meam vitæ*
meę, dimittam aduersum me eloquium meum;
c.13.v.25 *loquar in amaritudine animæ meæ; Contra fo-*
lium quod vento rapitur ostendis potentiam tuam;
& stipulam siccam persequeris. Ad eundem quoque modum Rex Dauid sæpius ingemiscebat ad Deum suum, conscius infirmitatis suæ, inconstantiæ ac miseriæ leuamentumque aliquod ab eo totius boni fonte, misericordiæ Patre flagitabat; *Miserere mei Domine, quo-*
Ps.6.v.2. *niam infirmus sum, sana me Domine quoniam*
conturbata sunt ossa mea; Et anima mea turba-
Ps.41.v.3 *ta est valde sed tu Domine vsquequo? Fuerunt*
mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur
mihi quotidie: Vbi est Deus tuus? Quare tristis

es anima

es anima mea & quare conturbas me. Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei & Deus meus. Quos versus & in sequenti psalmo repetit. Quo loco S. Aug. Intellectus, inquit, noster alloquitur animam nostram: Ista in tribulationibus marcida est, fessa in angoribus, contracta in tentationibus, ægra in laboribus; Erigit eam mens desuper capiens veritatem, & dixit, vt quid tristis es anima mea, & conturbas me? Vide si non est illa allocutio, in illo conflictu Apostoli, in se præfigurantis quosdam, forte & nos, & dicentis: *Condelector legi Dei, secundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis*, id est motus quosdam carnales, & in quâdam luctâ, & quasi desperatione inuocat gratiam Dei: *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei, per Iesum Christum Dominum nostrum.* Rom. 7. v. 22.

Qui sanè Diuinus Apostolus apertius Stoicos confutare non posset, quam cum ait, *Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, & parturit, vsque adhuc* proximè supra dixerat; *Vanitati enim creatura subiecta est*; Vanitati mutabilitati, corruptioni. *Non solum autem illa, sed & nos ipsi primitias spiritus habentes; & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri, spe enim salui facti sumus.* Inchoata est hæc adoptio filiorum Dei per spiritum sanctum iustificantem animam, sed nondum plene confirmata & consummata, quod fiet per alterius vitæ fælicitatem, c. 8. v. 22. v. 20.

& gloriosi corporis exsuscitationem. Interea gemimus; quia spes, quæ differtur, affligit animam. Egregiè S. Hieron. à corpore ratiocinationem traducit ad animam; cuius authoritate ac sententijs caput hoc concludemus. Ex anima & corpore compacti, vtriusque substantiæ naturam consequimur. Quomodo corpus sanum dicitur, si nullo languore vexetur, ita anima absque vitio si nulla perturbatione quatiatur; & tamen quantumuis, corpus sanum sit, integrumque, & vegetum, & cunctorum sensuum integritate robustum, aut crebris, aut raris infirmitatibus condolescit, & vt firmissimum sit, interdum pituitæ molestiam patitur: ita anima cogitationum ac perturbationum, impetus sustinens, vt superet naufragia, non absque periculo nauigat, consideransque fragilitatem suam semper de morte sollicita est, secundum illud quod scriptum est. *Quis est homo qui viuet & non videbit mortem?* quæ cunctis intenta est mortalibus, non naturæ dissolutione, sed morte peccati, iuxta illud Prophetæ. *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur*. De qua spiritali mortis necessitate dictum est alias. Da mihi corpus quod numquam languerit, aut quod post languorem perpetuâ sanitate securum sit, & dabo tibi animam, quæ numquam peccauerit, nec post virtutes deinceps peccatura sit, præsertim cum vicina sint vitia virtutibus, etsi paululum declinaueris, aut errandum tibi sit, aut in præceps cadendum. Quantum enim inter se distant pertinacia & perseuerantia,

Hieron. dial. 3. aduersus Pelag.

Ps. 88.

Ezec. 18. v. 28.

rentia, parsimonia & frugalitas, liberalitas & profusio, prudentia & calliditas, fortitudo & temeritas, cautela & timiditas, quarum alia ad bona, alia referuntur ad mala; quod quidem & in corporibus inuenitur, si felli prouideris temperando, pituita succrescit, si humores siccare festines, inardescit sanguis, tibi vitiatus, & liuidus color ora profundit; Certè vt cunctam medicorum adhibeamus diligentiam, & castigatis viuamus cibis, & morborum fomitibus careamus, & cruditate, occultis quibusdam, & soli Deo cognitis causis; vel frigore inhorrescimus, vel febri exardescimus, vel torminibus eiulamus, & veri Medici Saluatoris imploramus auxilium dicimusque cum Apostolis. *Magister saluos nos fac, perimus*. Quod in morbis animi tanto crebrius, & vehementius est agendum, quò sunt illis plures, occultiores, & periculosiores. Mat. 8.



CAPVT VI.

Aduersus idem Paradoxum ex S. Augustino, hominem nec corpore, nec animo sibi parem esse; & in gemitu magis ac luctu, quàm gaudio esse debere.

STOICOS Diuinam immutabilitatem affectasse, suggerente ac præeunte superbiæ Principe Cacodæmone, significat S. August. eosque præclare confutat, dum illud: *Cuius participatio in idipsum*, explicat. Quid est idipsum? quod semper eodem modo est, quod non modo aliud, modo aliud est. Quid est ergò idipsum, nisi quod est? Quid est quod est? quod æternum est. Nam quod semper aliter, atque aliter est, non est, quia non manet, non omnino non est, sed non summè est. Et quid est quod est, nisi ille, qui quando Moysem mittebat, dicebat: Ego sum qui sum; Qui est, misit me ad vos? Solus itaque Deus ipse sibi par, in eodem semper statu, sine vllâ varietate, *Pater luminum apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*, qui nos suæ stabilis æternitatis aliquando participes efficiat.

Ps. 121.

Iac. 1. 17.

Idipsum

Idipſum nemo habet ex ſe. Intendite fra- „
tres, corpus habes, non eſt idipſum, quia „
non in ſe ſtat, mutatur per ætates, muta- „
tur per mutationes locorum, & temporum; „
mutatur per morbos, & defectus carnales. „
Non ergo in ſe ſtat, quid mirum, nec ipſa „
cæleſtia corpora ſunt idipſum, vt ibidem „
explicat. Anima humana nec ipſa ſtat. Quan- „
tis enim mutationibus, & cogitationibus va- „
riatur? quantis voluptatibus immutatur, quan- „
tis cupiditatibus diuerberatur, atque diſcin- „
ditur? Mens ipſa hominis, quæ dicitur ra- „
tionalis, mutabilis eſt, & non eſt idipſum. „
Modo vult, modò non vult, modo ſcit, „
modò non ſcit, modo meminit, modò obli- „
uiſcitur. Ergo nemo idipſum habet ex ſe. „
Qui voluit ex ſe habere id ipſum, vt quaſi ipſe „
ſibi ipſi eſſet idipſum, lapſus eſt. Cecidit Ange- „
lus, factus eſt diabolus. Propinauit homini „
ſuperbiam deiecit ſecum inuidentiâ eum qui „
ſtabat; Iſti ſibi voluerunt idipſum eſſe, ſibi „
principari, ſibi dominari voluerunt. Nolue- „
runt habere verum Dominum, qui verè eſt „
idipſum, cui dictum eſt. *Mutabis ea & mu-* Pſ. 102.
tabuntur, Tu autem idem ipſe es; Iam ergo „
poſt tantum languorem, poſt tantos morbos, „
difficultates, labores, redeat anima humana „
in idipſum hoc eſt ſit in illâ ciuitate voto ac „
deſiderio; cuius participatio in idipſum, æter-
næ ſtabilitatis aut ſtabilis æternitatis. A quâ
quidem quamdiu abſumus in hac mortali vita,
voluimur atque agitamur inſtar rotæ, varijs
deſiderijs circumacti, languemus, ægrotamus,
cum corruptione corporis, atque animæ col-

" luctamur. Quamdiu peregrinamur à Domi-
" no, tribulamur, & ipsa peregrinatio non
" exigua tribulatio est, nec sine suspirijs, ac la-
Ps. 119. crymis ingemiscimus, *Hei mihi quia incolatus*
" *meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus*
" *Cedar, multum incola fuit anima mea*. Hei
" mihi, vox est miseriæ, vox est calamitatis;
" & infelicitatis; sed tamen in spe quia iam vel
" gemere didicit. Multi enim & miseri sunt, & non gemunt, & peregrinantur & redire nolunt. Iste iam redire volens cognoscit infelicitatem peregrinationis suæ; Si quis huius argumenti præclarè dicta S. Aug. colligere velit, iustum ei volumen conficiendum foret, nonnulla tamen adijciam quæ grata lectori fore confido. Frequens est in describendâ duplici tribulatione, quarum altera nos inuenit, & sæpe opprimit imperatos; altera inuenitur à nobis, quæ est ipsa vita nostra, exul à cælo, à Deo peregrina.

Ps. 49. *Inuoca me in die tribulationis*; Et quædam fratres sunt tribulationes omnibus notæ,
" Ecce istæ, quæ abundant in genere humano:
" alius damno affectus plangit, alius orbitate
" percussus luget, alius patria exutatus mæret,
" & redire cupit, intolerabilem peregrinatio-
" nem deputans; Alteri vinea grandinata est
" &c. Quis non potest contristari qui inimicum
Psal. 45. " patitur ex amico? Inuocas Deum, potens est.
" *Adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos*
" *nimis*. Est quædam tribulatio quam nos de-
" bemus quærere, & inuenire; quæ est ipsa? Ea
" ipsa in hoc mundo felicitas, affluentia rerum
" temporalium, non quidem ipsa tribulatio est;

solatio

olatia sunt tribulationis, cuius tribulationis? „
ostræ peregrinationis: hoc enim ipsum, quod „
um Deo non sumus, hoc ipsum quod inter „
entationes, molestiasque versamur, quod „
ine timore esse non possumus, tribulatio est. „
Non est illa securitas, quæ nobis promissa „
st, hanc tribulationem suæ peregrinatio- „
nis qui non inuenerit ad patriam redire non „
ogitat. Tribulatio illa est fratres. Certè „
nodo facimus bona opera, quando porrigi- Mat. 25.
nus panem esurienti: domum peregrino &c. „
Tribulatio est & hæc. Inuenimus enim mise- „
os super quos misericordiam facimus. Etsi „
niserorum miseria facit nos compatientes: „
uanto melius ibi iam esses, vbi non inuenis „
surientem quem pascas: vbi non inuenis pere- „
rinum quem suscipias: non nudum quem „
estias, non ægrum quem visites: non liti- „
antem quem concordes. Omnia enim ibi „
umma sunt, vera sunt, sancta sunt æterna „
unt. Panis noster ibi Iustitia est, potus no- „
er ibi sapientia est: vestis nostra ibi morta- „
tas est: domus nostra æterna in cælis: Firmi- „
is nostra immortalitas. Nunquid ægritu- „
o surrepit? nunquid lassitudo ad som- „
um trahit? nulla mors: nulla lis: ibi pax, „
uies, gaudium iustitia. Nullus intrat inimi- „
us, nullus labitur amicus. Quæ ibi quies? „
cogitemus, & attendamus vbi sumus: & vbi „
os futuros esse promisit, qui mentiri nescit: „
x ipsa eius promissione inueniemus in quâ su- „
nus tribulatione: hanc tribulationem nemo „
uenit, nisi qui quæsierit. Sanus es, vide si „
niser es. Nam facile est qui ægrotat sentiat „

se miserum. Quando sanus es, vide si miser
Ps. 114. es: Quia cum Deo nondum es. *Tribulationem*
" *& dolorem inueni: & nomen Domini inuocaui.*
Ps. 123. " Hic autem cum sumus inopes nos esse intelligamus, & egentes non solum harum diuitiarum, quia non sunt verę diuitiæ, sed & ipsius salutis. Et quando sani sumus intelligamus quia infirmamur. Quamdiu enim corpus hoc esurit & sitit, quamdiu hoc corpus vigilando fatigatur, amando fatigatur, sedendo fatigatur, manducando fatigatur, quocumque se verterit ad subsidium fatigationis, ibi inueniet aliam fatigationem. Non est ergo perfecta, nec in ipso corpore. Et infra: non est illa vera corporis sanitas, quia portatur infirmitas vbique defectiua, quocumque se verterit deficit: In ipso adiutorio non inuenies firmamentum; Lassatur stando, sedere vult. Numquid vel sedendo durauit. Quod sibi elegit vt non fatigaretur, ibi habet deficere. Lassatus est vigilando, dormiturus est: non quia dormiuit, non deficit? Lassatus est ieiunando, refecturus est: si plus refecerit? inde deficit. Iustitia quid? Quanta Iustitia est inter tantas tentationes? Possumus continere ab homicidio, ab adulterio, à furtis, & periurijs à fraudibus. Numquid ab iniquis cogitationibus? numquid & à suggestionibus malarum cupiditatum? Quæ est ergo Iustitia nostra? de qua eodem psalmo superius. Quantacumque iustitia nostra in nobis fuerit: ros est nescio quis ad illum fontem: ad saginam illam tantam stillicidia quędā sunt, quæ vitam nostrā molliant & durā iniquitatem soluant.
Chri-

Christianus in ærumna & miseria semper
iqua versari se dolens & Diuinæ tamen vo-
ıntati sese conformans agnoscit, eiusque
ıpplex operam ac misericordiam deposcit,
udque, Miserere mei, miserere mei frequen-
r ingeminat quoniam in te confidit anima
ea. Et in vmbra alarum tuarum sperabo Ps. 56. 1. 2
ınec transeat iniquitas vitæ huius sibi parum
ɟuæ ac cohærentis, &c. *Adspice in me &* Ps. 24.
ſerere mei: quia vnicus & pauper sum ego.
ibulationes cordis mei mu'tiplicat sunt: de ne- v. 16. 17.
ssitatibus meis erue me. Vide humilitatem meam 18.
laborem meum: & dimitte vniuersa delicta mea.
E Stoicorum primoribus Seneca, ta-
n Epicuro Magistro frequenter vtitur
sque, sententias laudat ac ratiocinationes.
ıud Epicurum duo sunt ex quibus summum Sen. Ep. 66
ıd beatumque bonum componitur, vt
pus sine dolore sit, animus sine perturba-
ne; hæc bona non crescunt si plena sunt:
ɔ enim crescet quod plenum est? dolore
pus caret, quid ad hanc accedere indolen-
n potest? Animus constat sibi & placidus
, quid accedere ad hanc tranquillitatem
eſt. Quemadmodum serenitas cæli non
ipit maiorem adhuc claritatem in serenis-
um nitorem repurgata; sic hominis cor-
s animumque curantis & bonum suum ex
oque metientis perfectus est status, & sum-
m voti sui inuenit si mæstus animo est, nec
et corpori.
Hæc Senecæ ab Epicuro deducta ratio-
ıtio quàm speciosis verborum phaleris
rnata, sed quàm inanitatis ac falsitatis sit
plena

plena, quàm ab omni veritate dissona, demonstrant hoc capite toto explicata: tum & ij perspiciunt qui negant in sola indolentia seu corporis, seu animi, in vacuitate doloris aut mæroris beatitudinem consistere. Et sanè posſit ea vel lapidi, vel pecudi, vel homini sano, sed delirantitribui. Non potest vltimi finis consequutio in negatione, vel priuatione consistere: sed nec corpus omni molestiâ, quãdiu quidem mortalem vitam hanc agimus nec animus perturbationę, quamdiu Deo suo plene non fruitur, carere potest, vt toto hoc capite est explicatum. Falsum est non posse cæli serenitatem excrescere. Neque enim nitor aut claritas sola ex tenebrarum absentia, sed tenebrę ipſæ ex solis ac claritatis absentia gignuntur, omnisque vacuitas doloris ac perturbationis ex summi boni posseſsione proficiscatur oportet, quod in Philosophico prouerbio est. Negatio omnis ex affirmatione quapiam gignitur: quare verborum sunt inuolucra tota illa epistola Senecæ quibus veritas obscuratur & falsitas obtegitur, nec operæ pretium est in his diutius immorari.

CA-



CAPVT VII.

Sapientem Christianum etiam in mœrore & luctu semper sibi parem, & in gaudio esse.

HOc planè paradoxum Philosophis & hominibus huius sæculi videri possit; sed ex penitiore Christiana Philosophia depromptum est & à Christo Domino assertum Beatitudine tertiâ. ***Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur***; non tantùm in posterum tempus præterito luctu consolabuntur, sed perseuerante ipso luctu in præsentiâ solatijs interioribus à Deo pro mensura luctus, eius causâ suscepti, cumulabuntur. Vt aiebat Deo Rex Dauid experientia doctus, ***Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.*** Ps. 93. 19. Iungitur, & ex æquo ferè respondet luctui consolatio: par est gaudium mærori, qui virtutis ac Christi causâ toleratur, hæc enim ipsa est gaudij causa & origo, dolorem ac mærorem, Christi, quem amas impensè, causâ perpeti: gaudium est amorem suum aduersus Christum aduersas res perferendo, testificari posse. Ibant Apostoli gaudentes Act. 5. 41. à conspectu concilij quoniam digni habiti

sunt

sunt pro nomine Iesv contumeliam pati.

Nihil accommodatius ad hoc ipsum, ac præcedens caput illustrandum potest afferri testimonio S. Aug. Vtique regio ista scandalorum est, & tentationum & malorum omnium, vt gemamus hic, & mereamur gaudere ibi: hic tribulari, & consolari ibi, & dicere: quoniam ecce exemisti oculos meos à lacrymis, pedes meos à ruina. Quoniam placebo Domino in regione viuorum. Ista regio mortuorum est. Transit regio mortuorum, venit regio viuorum. In regione mortuorum labor, dolor, timor, tribulatio, tentatio, gemitus, suspirium. Hic falso felices, vere infælices: quia falsa fælicitas, vera miseria est. Qui vero se agnoscit in vera esse miseria, erit etiam in vera fælicitate. Et tamen nunc quia miser es, audi Dominum dicentem: Beati lugentes. O beati lugentes! nihil tam coniunctum miseriæ, quàm luctus: nihil tam remotum, & contrarium miseriæ, quàm beatitudo. Tu dicis lugentes, & tu dicis beatos? Intelligite, inquam, quod dico: Beatos dici lugentes: quare beati? in spe: quare lugentes? in re. Etenim lugent in morte ista, in tribulationibus istis, in peregrinatione sua, & quia agnoscunt se esse in ista miseria, & gemunt, beati sunt. Quare lugent? Contristatus est B. Cyprianus in passione, modo consolatus est in corona. Sed quidni & in ipsa passione consolatum dicamus S. Cyprianum, qui tam prompto, lubenti, atque hilari animo mortem suscepit & paratissimus audito ex tabella decreto. Thascium

S. Aug. in Ps. 85.

Cypria-

yprianum gladio animaduerti placet, dixit: ratias ago Deo omnipotenti, qui me à vinculis huius corporis dignatur absoluere. Perductus autem exuit se lacernum birrum deinc tunicam, & stans in linea expectauit spiculatorem, cui & viginti quinque aureos dari præcepit. Hoc ipsum D. August. præclare explicat exemplo alterius S. Martyris re & nomine Fælicis. Sæculi, inquit homines infæliciter fælices sunt: Martyres autem fæliciter infælices erant. Erant enim ad tempus infælices: sed in æternum fælices. & in eo ipso quod erant ad tempus infælices, putabantur magis infælices, quàm erant: quid enim dicit Apostolus? quasi tristes, semper autem gaudentes, quare semper? & hic, & ibi prorsus & hic & ibi. Hic enim vnde gaudemus? de spe. Ibi vnde gaudebimus? de re. Magnum gaudium habet spes gaudentis. Et si spe gaudentes: videte quid sequitur: in tribulatione patientes. Martyres ergo ideo in tribulatione patientes erant, quia spe gaudebant. Ergo Fratres Felix Martyr & vere Felix & nomine & corona, cuius hodie natalis est, contempsit mundum, contempsit pręsentia, vt acciperet futura.

S.Aug.in Ps. 107.

8. Idus Nouemb.

Labores fructuum tuorum manducabis. Quasi peruersè videtur dicere non intelligentibus. Debuit enim dicere fructum laborum tuorum manducabis. Multi enim manducant fructum laborum suorum: Laborant in vinea: ipsum laborem non manducant, sed quod de labore ipsorum nascitur, manducant. Laborauit circa arbores pomiferas: quis manducet

cet labores? nemo, inquam, sed quod illi labores attulerunt fructus laboris, & ipse iucundat Agricolam. Quid sibi vult labores fructuum tuorum manducabis? Modo labores habemus, fructus postea erit. Sed quia & ipsi labores non sunt sine gaudio propter spem, de qua paulo ante diximus: spe gaudentes, in tribulatione patientes, modo nos ipsi labores nostri iucundant, & lætos nos faciunt de spe. Si ergo labor noster potuit manducari, & potuit iucundare, manducatus fructus laboris ipsius qualis erit? Manducabant labores suos qui euntes ibant, & flebant mittentes semina sua; quanto iucundius manducabunt fructus laborum, qui venientes venient cum exultatione portantes manipulos suos? Iste est labor fructuum panis doloris, nisi enim manducaretur, non diceretur panis, nisi autem haberet suauitatem aliquam panis iste, nemo illum manducaret cum tanta suauitate. Plorat in gemitu qui orat: dulciores sunt lacrymæ orantium quam gaudia theatrorum. Labores fructuum tuorum manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Beatus es, de præsenti est: & bene tibi erit, de futuro est. Cum manducas labores fructuum tuorum beatus es: cum perueneris ad fructum laborum tuorum bene tibi erit. Sed interest inter spem & rem: si spes tam dulcis est, quanto res dulcior erit?

Hac igitur spe & expectatione futuræ beatæ vitæ Christianus in quauis aduersa re tamen erit erectus animo & gaudens, semperque sibi par, ex Deo suspensus vti loquitur

idem

lem S. Aug. & quasi quadratus lapis funda-
nento cælestis ædificij superimponendus Aug. in Ps. 86.
Hoc agit artificiosa manus Dei etiam per lin-
uam nostram, vt ad illius ædificij fabricam
onquadremini. Non enim frustrà de lignis
uadratis ædificata est arca Noë quæ nihilo-
ninus figuram gestabat Ecclesię. Quid est
nim quadrari? attendite similitudinem qua- Gen. 6.
rati lapidis, similis debet esse Christianus.
n omni tentatione sua Christianus non ca-
t, & si impellitur, & si quâ vertitur, non
idit, nam quadratum lapidem quacumque
arteris stat.

Quamobrem non sine causa fideles ad
udium animi iuge & perpetuum excitat
postolus ad Philippenses scribens: *Gaudete* Ad Phil. 4
Domino semper iterum dico, Gaudete: eius
udij conditiones quatuor indicans, vt sit
ctum de proprio hominis bono, cuiusmodi
illa est res creata, sed vnus Deus eius
tremus finis. *Mihi autem adhærere* Ps. 72. v. 28
eo bonum est, & ponere in Deo spem
eam. Deinde continuum non inter-
ptum vllo certe grauiore peccato, quod &
onet ad Thess. vlt. *Semper gaudete; sine in-* 1. Thess. 5
termissione orate. Continui gaudij materiam v. 17.
æbet oratio continua, nihil rerum terre-
rum id gaudium mentis interturbare queat.
Denique multiplex, ac copiosum ex sacratis
ysterijs Verbi Incarnati, quæ sunt plane
ria ac multiplicia, & præclaris virtutum
icijs ac charitatis in proximos multiplici
neficentia, ex contemplationis studio, &
regni cælestis. Ait igitur Apostolus *iterum*
dico,

dico gaudete. Postremo debet esse moderatum; hoc est Christiana modestia temperatum, de quo subditur: *modestia vestra nota sit omnibus hominibus*. Ne vertatur in dissolutionem, aut cuiusquam offensionem. *Populus iucundus secundum faciem SS*. Gaudendi causa multiplex Dominus enim prope est per maiestatis præsentiam, inhabitantis gratiam, exauditionis clementiam. *Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum, & pax Dei qua exuperat omnem sensum custodiat corda vestra & intelligentias vestras in Christo JESU*. Quæ suauitatis plenissima verba non explico, ne longiorem moram legentibus faciam.

Iudith vlt

Phil. 4. 6.



CAPVT



CAPVT VIII.

PARADOXVM QVARTVM; *Sapientem vel in tormentis Beatum esse.*

NIhil mirum id Stoicos asseuerare cum & Epicurei voluptatis magistri pronuntient nullum Sapienti esse tempus, etsi vratur, torqueatur, secetur, quin posit exclamare quam pro nihilo puto Beatam vitam in Phalaridis Taurum descensuram. Poteram respondere ait Seneca quod Epicurus ait Sapientem, si in Phalaridis Tauro peruratur exclamaturum. Dulce est, & ad me nihil pertinet. Quid porro non æquè incredibile videtur, aliquem in summis cruciatibus positum dicere, Beatus sum? atqui hæc vox in ipsa officina voluptatis est audita. Beatissimum, inquit, hunc & vltimum diem ago Epicurus, cum illum hinc vrinę difficultas torqueret, hinc insanabilis exulcerati dolor ventris; Quare ergo incredibilia sunt ista apud eos qui virtutem colunt, cum apud eos quoque reperiantur apud quos voluptas imperat.

Tull. Tusc. 5.

Ep. 66.

Ep. 92.

Verum non magnoperè laborandum quid vel Zeno, vel Epicurus, vel quiuis alius asseueret,

ſeueret, ſed quam verè, quam ſincerè, quam non ſimulatè & principijs ſuis conſentaneè: ſi nulla eſt beatitudo niſi quę finibus huius vitæ mortalis includitur, ſi vel in ſuaui titillatione corporis aut vacuitate doloris eſt poſita, ſi quadam inani ac ſtultâ ſui confidentiâ nititur, ſi virtus animi magnitudo, aut ſtupor potius omnia ad ſe referentis, & neſcio quàm apud homines gloriam captantis exiſtimetur beatitudo. Si ad hæc Epicureorum aut Stoicorum principia, paradoxum hoc expendatur, exploratum erit illis nequaquam conuenirę, nec eos verè, aut conſentaneè ſuis dogmatibus Sapientem in tormentis Beatum pronuntiare, ſed falsò, ſimulatè, gloriabundè, quod non intelligant iactare magnifico quodam ſtrepitu verborum, ac nullâ veritatis cohærentiâ.

Chriſtianorum id omne proprium eſt, & ſingulare paradoxum, quibus omnis beatitudo confertur in alteram vitam immortalem: quibus virtus in voluptatum corporis, honorum, ſuique ipſius neglectu conſtituta, duris & aduerſis rebus exercita: in dolorum, mortiſque ipſius tolerantiâ gradum ſibi facit atque aditum ad Beatam immortalitatem.

Id veriſimè Chriſtianus Sapiens dicet in ſummis cruciatibus ac tormentis corporis, animo Beatus ſum certâ ſpe, & expectatione futuræ Beatitudinis: Beatus ſum integrâ & ſanâ conſcientiâ minimè violatæ fidei, virtutis, & innocentiæ: Beatus ſum gratiâ Dei mei, Fide, Spe, Charitate, hoc mihi ſummum

mum in tormentis solatium & gaudium; Dei mei causâ mortem me, & extrema subire tormenta, magnum id eius donum beneficiumque reputo. Eximia plane est, ac singularis prærogatiua martyrij, quæ quibus contingit Dei munere, Beatitudinem omnino singularem confert; *Beati qui persecutionem patiuntur propter Iustitiam, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum.* Matt. 5. *Vobis donatum est pro Christo non solum vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini: idem certamen habentes quale & vidistis in me: & nunc audistis de me.* Phil. 1. 29 Et de se ille non inaniter sed verissimè ad Corint. *Multa mihi fiducia est apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis, repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* 1. Cor. 7. 4 Cuius Apostoli persecutiones, ærumnas, cruces quis dignè recenseat, *Omnem tribulationem passi sumus: foris pugnæ, intus timores,* v. 5. *sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in aduentu Titi.* v. 6. Hic vero Sapiens in tormentis Beatus:

At Epicurus qui Beatus in tormentis? qui ne in summis quidem corporis voluptatibus vmquam beatus extitit: qui numquam animi verâ pace, & tranquillitate potitus, qui numquam cupiditati suæ finem & modum imposuerit: An non tormenta cum voluptate pugnant? An non eam penitus intercludunt atque extinguunt? Quod vesicæ & exulcerati ventris cruciatibus par esse poterat gaudium, ex memoria futilium rationum & inuentorum? Gloriari magis posit Stoicus in tormentis se beatum, solâ virtute contentum:

ſed hæc ipſa virtus ac gloriola cui homini ſanō videtur tot cruciatibus comparanda, aut præ illis æſtimanda. Non tanti aiebat ille. Si ad nullum alium finem referatur perpeſsio dolorum ac cruciatuum, inanis ſane & falſa eſt ea virtus: non eſt ea recta ratio, ſed peruerſa nullo fine, nullo commodo atque emolumento tot perferre cruciatus. In vanum ille accipit animam ſuam, & extremo mortis exponit ſupplicio qui nullum inde fructum conſequatur, niſi ſuimet arrogantis complacentiæ, & fiduciæ.

Quod ſi virtus hæc qualiſcunque Stoicorum, ſi concepta mentibus honeſtas etiam in rebus lætis & proſperis, etiam cum animi corporiſque voluptates circumfluunt, tamen his explere nequit appetitum, nec efficere, vt nihil prǽterea deſideret; an id efficient exquiſita ſupplicia, & immania tormenta? quæ ſi nolint Stoici mala, certè aſpera, toleratu difficilia, naturæ repugnantia dicant neceſſe eſt. Quid ad vitam beatam conferre poſſunt cruciatus, quibus vti careant, ipsâ ſibi putant excedendum vitâ? O vitam beatam quæ mortis remedium quærit, quâ de re, dictum eſt alias. Ad hanc Stoici beatam vitam in tormentis vel illuſtrandam vel probandam Seneca multa profert magnifica, & glorioſa verba, ſed veritatis inaniſsima. Animus intuens vera, peritus fugiendorum & petendorum, non ex opinione, ſed ex naturâ, pretia rebus imponens, toti ſe inferens mundo, & in omnes eius actus contemplationem ſuam mittens, cogitationibus, actionibuſque intentus

ex æquo

ex æquo magnus, ac vehemens, asperis, blandisque pariter inuictus, neutri se fortunæ submittens, supra omnia quæ contingunt acciduntque eminens: pulcherrimus cum decore, cum viribus sanus, ac siccus, imperturbatus, intrepidus, quem nulla vis frangat, quem nec attollant fortuita nec deprimant. Talis animi virtus est: hæc eius facies, si sub vnum veniat aspectum, & semel tota se ostendat.

Traduci possunt hæc ad animum verâ virtute, humilitate & charitate exornatum, qui totum se Deo subijciat, eiusque numinis prouidentiæ totum committat, totus ex eo pendens. At cuiusmodi describitur à Senecâ prophani Sapientis animus, à se vno dependentis, se vnum spectantis, ad se vnum referentis, arrogantissimæ simul, ac stultissimæ superbiæ plenus describitur. Quem perinde est si beatum in tormentis dixeris animum; ac si iudicio, sensuque destitutum, phreneticum hominem in tormentis beatum esse dixeris. Sed quis non malit homini sano ploranti, quam ridenti plane similis existere, vt alibi ex August. Virtutem materia non mutat, nec peiorem facit dura, & difficilis, nec meliorem hilaris, & læta. Esto materia virtutem non mutet: ac certe mutat forma, ipsa ratio honesti, quæ nulla esse potest, vbi nulla est perferendi cruciatus iusta causa. Non est ille finis honesti, aut virtutis sibi placere, nec id optimum est, quod habet sed omnino pessimum.

Nec in Scipione nec in Numantinis veræ vllæ virtutes fuerunt, sed adumbratæ, non

 secus

ſecus atque in Catilinâ dolorum perpeſsio vera fortitudo, & conſtantia non fuit, ſed peruicacia & pertinacia. Virtus ex ipſo fine mutuatur honeſtatem nec eadem eſt recta ratio ſemper inflexibilis, & indeclinabilis, vt priore libro eſt demonſtratum.

Vulgatum illud. Martyrem non facit pæna, ſed cauſa, fortem quoque, ac conſtantem non facit quæuis ſuppliciorum, ſed pro iuſtitiâ atque æquitate perpeſsio. Et reſpondeo plurimum intereſſe inter gaudium & dolorem, ſi quæratur electio alterum petam, alterum vitabo: illud ſecundum naturam eſt, hoc contra. Quamdiu ſic æſtimantur, magno inter ſe diſsident ſpatio: cum vt ad Senectutem ventum eſt, vtraque par eſt, & quæ per læta procedit & quæ per triſtia. Nullum habet momentum vexatio, & dolor & quicquid aliud incommodi eſt: virtute enim obruitur. Quemadmodum minora lumina claritas ſolis obſcurat: ſic dolores, moleſtias, iniurias, virtus magnitudine ſui elidit atque opprimit, & quocumque afſulſit, ibi quicquid ſine illa apparet, exſtinguitur: nec magis vllam portionem habent incommoda cum in virtutem inciderint, quam in mari nimbus. Hæc de Chriſtianâ virtute dicuntur veriſsimè, quæ pro ſcopo ſibi ſummum bonũ propoſitum habet, Conditoris ſui gloriam, ſalutem, vitam, & beatitudinem tum ſuam, tum proximi: quem ob finem glorioſum eſt, & honeſtum nulli labori, dolori, cruciatui, ne mortis quidem extremo ſuccumbere ſupplicio; imo id ipſum expetere. Ac de Stoici virtute quæ nullum habet alium ſcopum,

ſcopum, quam ſibi inaniter placere, quis non videt ineptiſsimè & ſtultiſsimè prædicari? Quis eam virtutem ab arrogantiâ, & ſuperbiâ, ſtultitiâque nihil diſcrepare non animaduertit. Hoc vt ſcias ita eſſe, ad omne pulchrum (quod quæſo pulchrum ſibi placere) vir bonus ſine vllâ cruciatione procurret: ſtet illic licet carnifex, ſtet tortor atque ignis: perſeuerabit; nec quid paſſurus ſed quid facturus aſpiciet. Et quid paſſurus & quid facturus aſpiciet, quorſum, quo fine, quo commodo, quo fructu, atque euentu. Id enim eſt hominis conſiderati, & ratione vtentis, quâ ſolâ diſcriminamur à belluis.

Sed hactenus & perquam abundè lectoribus ijs qui non ſolo verborum apparatu ducuntur, & ad ſolidę virtutis vnguem rem examinant, cæteros grammatices dumtaxat peritos nihil moramur.

Concludam pulchro monito Apoſtolorum Principis Sancti Petri. *Chariſſimi, Nolite peregrinari in feruore qui ad tentationem vobis fit, quaſi noui aliquid vobis contingat: ſed communicantes Christi paſſionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Chriſti, Beati eritis: quoniam quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui eſt eius Spiritus, ſuper vos requieſcit. Nemo autem veſtrum patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem vt Chriſtianus, non erubeſcat: glorificet autem Deum in iſto nomine.* c. 4. 12. Multas patiendi cum fructu pietatis & laudis merito conditiones, exprimit Apoſtolorum Princeps; perſeueranter luben-

lubenter, fiducialiter, innocenter, glorianter humiliter, multasque gaudij causas, quas tribulatio suppeditat in eius loci commentario S. Thomas explicat, breuitatis causâ prætereundas.

Præterire tamen omnino non possum, quem nobis alter Apostolorum Princeps ob oculos ponit, *Auctorem fidei & consummatorem*
Ad Heb. 12.2. *JESUM qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta:* Hic enim fuit in summis tormentis beatissimus omnium, pro veritate patientium Dux & princeps, omnis origo ac fons beatitatis, cum eius anima Dei, cui & arctissimo hypostaseos nexu cohærebat clarissima visione ac beatifico potiretur gaudio: nec illo tantum verum & exuberatissimo quodam inferiore obedientiæ, & infusæ charitatis de Patris impleto mandato, hominumque procuratâ salute, ac redemptione. Huius ad imitationem, ac similitudinem aspirant omnes Christiani patientes in mœrore, simul & gaudio constituti, nam sine sensu doloris esse non possunt, cum sint homines, sed omnem mœroris acerbitatem detergit infusæ Christi gratiæ suauitas ac magnitudo.



CAPVT IX.

Confirmatur hoc Christianum Paradoxum ratione, SS. Iob. & Tobiæ, & Martyrum exemplis.

RAtio iam non semel à me prolata est, cum felicitas huius vitæ tota referatur ad felicitatem alterius immortalis, ex eâque dependeat, mensuram, gradum, statumque sortiatur; est enim non tam eius inchoatio, quam ad illam certissima, breuissimaque via, veluti manductio, & introductio, atque eò censenda est perfectior: quo ad alteram suos certius, breuiusque perducit; quò est illius adipiscendæ ratio compendiosior. At verò Christianorum nemo nescit hanc in afflictionibus, ærumnis, crucibus sitam esse.

Eâdem nobis gradiendum viâ SS. Crucis, quâ prior ipse Saluator antecessit: eius nobis premenda vestigia qui ait: *Qui vult venire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me.* Quod & Apostoli monent. *Omnes qui piè volunt viuere in Christo IESV persecutionem patientur. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Beatus vir qui suffert tentationem quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ. Omne gaudium*

2. ad Tim. 3. 12.
Act. 14. 21.
Iacob 1. 12.
v. 1.

gaudium existimate fratres cum in varias tentationes incideritis. His enim aditur regnum cæleste, his beata vita comparatur. Hæc maximè certa & secura viæ beatitudo, si cui contingat, pro Christi causâ, ac religione quamplurimas & grauissimas res aduersas ferre.

Accedit quod Diuina clementia quâ est in homines liberali, ac munificâ verè Diuinâ beneficentiâ, quò quis plures illius causâ suffert aduersitates, cruces, & ærumnas, eò & ipsa vicissim vberiore cęlestium gratiarum, ac diuinorum donorum copia complet: eò profusiori manū thesauros omnes gratiarūm ac solatiorum cęlestium effundit: vt bene collocati dolores ac mærores videantur, qui tam exuberante cælestium gratiarum suauitate compensentur.

In Scripturâ Sacrâ Iob & Tobias & Machabæi Martyres in tormentis beati commemorantur. De Iob S. August. Humiliatus videbatur Iob perditâ substantiâ suâ, perditis filijs suis, perditis quæ seruabat, perditis quibus seruabat, remansit sine hæreditate, & quid est tristius sine hęrede. Remansit ad solam vxorem, non suam consolatricem, sed diaboli potius adiutricem; humiliatus videbatur; Vide si miser factus est; vide si non erat in abscondito vultus Dei. Nudus, ait, exij de vtero matris meæ, nudus reuertar in terram. Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum. Istæ gemmæ laudis non exirent de eius ore nisi thesaurum haberet

Ps. 30.

Ps. 2

beret

beret in corde. De quo eodem. Et ille Adam in stercore est cautior; quàm Adam in Paradiso. Nam Adam in paradiso consensit mulieri, vt de Paradiso emitteretur, Adam in stercore respuit mulierem vt in paradisum admitteretur. Quid ergo Adam ille in stercore immortalitatem parturiens intrinsecus, vermibus scaturiens extrinsecus. Et alibi quid illo pauperius factum si domum eius consideres? quid illo ditius si cor eius cogites? vide paupertatem domus, ablata sunt omnia. Vide diuitias cordis; Dominus dedit, Dominus abstulit. Nouerat rectorem suum, & tentatorem suum, percussorem tentatoris sui nouerat. Nihil sibi, inquit, diabolus tribuat, voluntatem habet nocendi, potestatem, nisi acciperet, non haberet. Quantum ille accepit potestatis, tantum ego patior, non ergo ab illo patior, sed ab eo qui potestatem dedit, Contemnantur supplicia tentatoris mei, sustineantur flagella Patris mei. Ps. 29. Ps. 103.

De S. Tobiâ oculis orbato S. Scriptura hæc inquit. *Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut & Sancti Iob. Nam cum ab infantiâ suâ semper Deum timuerit, & mandata eius custodierit, non est contristatus contra Deum, quod plaga cæcitatis euenerit ei, sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ Nam sicut Beato Iob insultabant reges, ita isti parentes, & cognati eius irridebant vitam eius, dicentes: Vbi est spes tua, pro quâ eleemosynas & sepulturas faciebas? Tobias vero increpabat eos dicens* Tob. 2. 12.

cens: Nolite ita loqui: quoniam filij Sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his qui fidem suam numquam mutant ab eo.

De Machabæis Martyribus quâ fuerint animi magnitudine, quam insuperabili constantiâ, quam in Deum Conditorem, à quo sempiternæ vitę mercedem certissima spe exspectabant animi semper erecti; quam præclarus Senex Eleazarus gloriosissimam magis mortem, quam odibilem vitam complectens.
2. Macha. 6.7. Quam generosi septem fratres in supplicijs immanibus perferendis inuicti; quam supra modum Mater mirabilis, & bonorum memoriâ digna quæ pereuntes septem filios sub vnius diei tempore conspiciens bono animo ferebat, propter spem quam in Deum habebat: singulos illorum hortabatur voce patriâ fortiter, repleta sapientiâ, & femineæ cogitationi masculinum animum inserens. Historia sæpe repetita lectione dignissima.

SS. Martyrum nouę legis Euangelicæ qui in summis tormentis patientes, fortes, humiles, constantes, perfecti ac beati claruerunt, exempla possint infinita proferri non ex antiquę tantùm historiæ monumentis; verùm hoc ipso ac superiore sęculo recentissima quę vel Anglia dedit proxima nutrix hęresum, ac in Orthodoxos Sacerdotes immanium suppliciorum inuentrix: vel vltima Iaponia infidelitatis adhuc tenebris obuoluta, Euangelij feruente Martyrum sanguine recens irrigata protulit. Quorum ego Martyrum eminentissimorum iure laudes celebrare debeam,

plurimis

plurimis eorum vitæ mihi ſocietate ac conſuetudine coniunctis, quorum vti memoriâ vitæ ſanctiſsimæ, morumque innocentiſsimorum mirificè recreor; ita confido precibus apud Deum, meritiſque in eo qui ſupereſt vitæ curſu, feliciqne exitu non mediocriter adiuuandum. Sed copia ipſa martyriorumque prolixitas huius operis aduerſa breuitati deterret, iuſtum illa volumen exigit, & aliquando forte conſequetur.

Vt de veteribus pauca delibem primus ſe offert glorioſiſsimus Andreas Apoſtolus, cuius animi conſtantiam nullis vmquam, Ægeas Achaiæ Proconſul neque blánditijs, neque minis labefactare potuit, nec obiectâ cruce, ſed eâ commemoratâ vehementius inflammauit. Quam cum eminus vidiſſet cœpit exclamare: ô bona crux quæ decorem ex membris Domini ſuſcepiſti, diu deſiderata, ſollicitè amata, ſine intermiſsione quæſita & aliquando cupienti animo præparata, accipe me ab hominibus, redde me magiſtro meo, vt per te me recipiat, qui per te me redemit. Itaque Cruci affixus eſt, in quâ biduum pendens, & Chriſti fidem prędicare nunquam intermittens ad eum migrauit cuius mortis ſimilitudinem concupierat. Quam fuit hic eminentiſsimus Martyr in tormentis Beatus, qui fuit eius ardor animi, qùod in eius pectore Diuinæ charitatis exarſerat incendium.

Quo Diuini amoris incendio conflagrabat S. Ignatius Martyr? Cum diceret Ignis, Crux, beſtiæ, confractio oſsium, membrorum diuiſio, & totius corporis contritio, & tota tor-

menta diaboli in me veniant, tantum Christo fruar: frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis mundus inueniar. His eisdem Diuini amoris flammis cor eius depascentibus, flammas externas, & ardentem cratem ferream S. Laurentius extinxit,
Serm. de S. Lauren. atque obtriuit; de quo præclarè D. Leo. superari charitatis Christi flamma non potuit, segnior fuit ignis, qui foris vssit, quam qui intus accendit.

An non ardentes carbones, quos nudo pede ac vestigio premebat S. Tiburtius, suauissimos flores æstimabat? Primus & Fælicianus in ipsâ tormentorum acerbitate, nunquam, inquiebant, tam iucundè sumus epulati. At verò fructuosus Episcopus, quem egregio sermone celebrauit S. August. certus & gaudens de coronâ, ad quam vocatus erat, orabat sine cessatione. Qui sciebant illum ad tantam gloriam pergere gaudebant potius, quam dolebant; cumque multi ex fraternâ charitate ei offerrent condimentum vti permixtum poculum sumeret, ait, nondum est hora soluendi ieiunij; siquidem 4. feriâ stationem in carcere solenniter celebrauerunt. Nec se ab alio discalceari passus est, cum esset viuus flammis absumendus, nihil exterritus aiebat. Hoc quod videtur vnius horæ videtur infirmitas.

Surius to. 3. 11. Ian.

Ser. 111. de diuers.

Agatha lætissimè, ac glorianter ibat ad carcerem, & quasi ad epulum inuitata nuptiarum agonem suum Domino commendabat. Sed quid Prisca? quid Martina? quid Agnes? quid aliæ innumerabiles quæ in primæuo ætatis flore

flore Virginitatem Martyrio consecrarunt, duplicemque ex hoste palmam retulerunt pudoris, ac religionis, quibus laudes eas, quas S. Agneti tribuit S. Ambros. Verissime accommodaueris; Non sic ad thalamum nupta properaret, vt ad supplicij locum læta successu, gradu festina, Virgo processit; flere omnes, ipsa sine fletu &c. Celebrat quoque S. August. SS. Martyres Perpetuam, & Felicitatem, quorum quo sexus infirmior eo fuit corona gloriosior. Tenentes nomen Christi in prelio suum inuenientes in præmio. Hoc erat ambarum nomen, quod merces est omnium: nam cur omnia Martyres perferunt nisi vt perpetuâ felicitate glorientur. Perpetua lactabat infantem, Felicitas octauo iam mense prægnans erat, & ne à cæteris seiungeretur martyribus præmaturum partum à Deo precibus impetrauit. In quo cum Euæ dolores ex communi maledicto pateretur, altiusque ingemisceret: quî tolerare poteris, aiebat custos carceris, tormenta, & acerbissimæ mortis cruciatus? nunc ait illa, patior ego, aut in me patitur Eua communis parens maledictionis, tum in me Christus patietur ipseque cruciatum omnem ac dolorem in se transferet omnis fons benedictionis. Quod plane accidit vt quasi nihil patiens absorpta in Christum constantissima, ac letissima moreretur.

De Virgi.

Tract. de tempore Barbarico in psa. 47.

Quò pertinet & illud B. Cypriani responsum, quod Flauiano in visione Martyr Martyri futuro dedit. Cum de extremo quæsiuisset ictu, an doleret? Nulla caro patitur, cum

Baron. ad ann. Chri. 262.

cum animus in cælo est, & nequaquam corpus hoc sentit, si se Deo tota mente deuouit. Præclarum & illud quod ex epistolâ Viennensis, & Lugdunensis Ecclesiæ commemoratur de Martyribus sub Marco Aurelio, suisque annalibus intexuit Baronius ex Eusebio.

An. 179. Cum Apostatæ aliquot fidem inficiati, in eundem carcerem cum SS. Martyribus essent coniecti, carebant eo solatio, quo SS. Martyres, qui ob solum Christi nomen, quod se Christianos essent professi, ex causæ suæ bonitate se consolabantur, & in Domino lætabantur. Illi religionis, & fidei factâ iacturâ, nihil erant assequuti, nisi, vt tanquam homines scelerati, atque homicidæ, supplicio sese viderent extremo cum infamiâ mactandos. At Martyres subleuabat lætitia ex Martyrio percepta, spes promissorum Dei, Charitatis in Christum, sacer Patris spiritus; Illos graue pondus, atque vlcus conscientiæ dirè diuexabat, vsque adeo, vt dum pro hominum frequentiâ palam gradiebantur, ipso vultu ab omnibus alijs facilè internoscerentur. Martyres enim in publicum hilares progressi sunt, in quorum vultu decor quidam gratia & venustate multâ adspersus enituit, vt vincula etiam illis ornatum eximium adiecisse viderentur, tum & suauem ac fragantem ex ipso Christo egredientem efflarunt odorem, vt à nonnullis artificioso quodam vnguento delibuti viderentur: Apostatæ autem demissi, abiecti, aspectu horridi, turpi ignominiæ

labe

labe deformati; à gentilibus, porrò ignaui, effeminati, probris contumeliosis affecti, amisso Christiano nomine, quòd vnum est gloriosum ac salutare, tanquam homicidæ, & homines conscelerati iusto supplicio perempti censebantur.

Commendat idem author Eus. eximiam Martyrum humilitatem; qui se Martyres appellari non patiebantur, tenues se & abiectos Christiani nominis confessores; & fratres cùm lacrymis obsecrabant, vt pro se ad Deum preces ardenter, & obnixè funderent; Martyris appellationem soli Christo, fideli, & vero Martyri, primogenito mortuorum deferendam, aut cum ijs certè communicandam, qui iam vita excessissent, quos ad se Christus vocare dignatus esset, qui confessionem suam ipso vitæ exitu, ipsa sanguinis extrema profusione velut sigillo certissimo obsignassent. Qua sanè modestæ humilitatis ac pietatis nota veri Martyres à Pseudo-Martyribus secerni solent. Qui nempe, vtar S. Aug. verbis, nihil habentes simulationis, compaginati iunctura charitatis, confessi sunt Christum, caput quod præcesserat sequi concupierunt: sed qui concupierunt? In tormentis patientes in confessione fideles, in sermone veraces. Sed hæc alterius sunt argumenti.

Baron. ad ann. Chri. 171.

In Ps. 39.

Cæterum primam velut originem huius cælestis suauitatis, quæ in aduersis rebus tolerandis, adeoque tormentis dirissimę mortis excipiendis degustatur ab hominibus Christianis attigisse videtur Caietanus, dum


 obser-

obſeruat géneralitatem paſsionum à Chriſto ſuſceptam & Deificatam vt vniuerſum quo ad mala deificaret: non tantum bona deificauit aſſumpta humana natura; verùm & mala quæ ſunt exoſa, triſtia, fugienda vt euaſerint deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum, cum non habentur, & dulciora ſuper mel, & fauum cum habeantur. Non tantum eis ex Diuinæ perſonæ Societate Diuinum quendam honorem impertiens, verum & ſaporem ac dulcorem cæleſtis ſuauitatis adſpergens.

Caiet. ad ar. 5. q. 46. 3. p. S. Th.



CAPVT



CAPVT X.

QVINTVM PARADOXVM; *Sapientem ἀπαθον & Imperturbabilem esse.*

EXplicationem huius Paradoxi mutuabimur à S. Augustino. Quas Græci appellant εὐπαθείας, Latinè Cicero constantias nominauit. Stoici tres esse voluerunt, pro tribus perturbationibus, in animo sapientis, pro cupiditate voluntatem, pro lætitiâ gaudium; pro metu cautionem, pro ægritudine vero, vel dolore, quem nos vitandæ ambiguitatis gratia tristitiam maluimus dicere; negauerunt esse posse aliquid in animo sapientis. Voluntas quippe, inquiunt, appetit bonum, quod facit sapiens. Gaudium de bono adepto est, quod vbique adipiscitur Sapiens. Cautio deuitat malum, quod debet sapiens deuitare. Tristitia porro quia de malo est quod iam accidit: Nullum autem malum existimant accidere posse sapienti, nihil in eius animo pro illa esse posse dixerunt; sic ergo illi loquuntur, vt velle, gaudere, cauere negent nisi Sapientem. Stultum autem non nisi cupere, lætari, metuere, contristari. Verum horum vocabulorum indif- 14. de Ciuit. c. 8.

ferens & promiſcuus eſt vſus, apud externos quoque ſcriptores, & Philoſophi iſti non tam de rebus, quam de verbis diſputantes, contentionis, quam veritatis cupidiores exiſtunt. Chriſtiani philoſophi, ſecundùm Deum viuentes metuunt, cupiunt, dolent, gaudentque; Et quia rectus eſt amor eorum, omnes iſtas affectiones rectas habent. Metuunt pœnam æternam, cupiunt vitam æternam, dolent in re, quia ipſi in ſemetipſis adhuc ingemiſcunt, adoptionem Dei perfectam expectantes, redemptionem corporis ſui: Gaudent in ſpe, quia fiet ſermo, qui ſcriptus eſt, abſorpta eſt mors in victoria. Item metuunt peccare, cupiunt perſeuerare, dolent in peccatis, gaudent in operibus bonis. Item ſicuti ſe habet infirmitas eorum, firmitaſque habuerit, metuunt tentari, cupiunt tentari, dolent, gaudent, in tentationibus, quæ ſingula probat ex ſcriptura S. Auguſtinus.

Non ſolum propter ſeipſos his mouentur affectibus, verum etiam propter eos, quos liberari cupiũt. Exemplum proponit, optimum & fortiſsimum virum qui in ſuis infirmitatibus gloriatur, Doctorem gentium, Athelam Chriſti, doctum ab illo, vnctum de illo, crucifixum cum illo, glorioſum in illo, in theatro huius mundi, qui ſpectaculum factus eſt, Angelis, & hominibus, legitime, magno agone certantem, palmam ſupernæ vocationis in anteriora ſectantem, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, foris habentem pugnas, intus timores, cupientem diſſolui, & eſſe cum Chriſto; deſiderantem videre Romanos, vt

aliquem

aliquem in ijs fructũ habeat: metuentem Corinthijs ne seducantur eorum mentes à castitate, quę est in Christo; magnam tristitiam & continuum dolorem cordis de Israelitis habentem, nec solum dolorem, verum etiam luctum denuntiantem quibusdam, qui ante peccauerunt, & non egerunt pænitentiam.

Hi motus, hi affectus de amore boni, de sancta Charitate venientes, si vitia vocanda sunt, sinemus, vt & quæ vera vitia sunt, virtutes vocentur: Sed cum rectam rationem sequuntur istæ affectiones, quando, vbi oportet, adhibentur, quis eas tunc morbidas, seu vitiosas passiones audeat dicere? Quas & ipse Dominus adhibuit, cum adhibendas putauit, super duritia cordis Iudæorum cum ira contristatus; gaudeo, ait, propter vos vt credatis. Lazarum resuscitaturus; etiam lacrymas fudit: concupiuit cum discipulis manducare Pascha, & propinquante passionę, tristis fuit, eius anima vsque ad mortem. Sæpe nos illis affectibus inuiti cedimus, & quamuis non culpabili cupiditate, sed laudabili charitate etiam dum nolumus flemus. Non autem ita Dominus IESVS, cuius & infirmitas fuit ex potestate: Habebat enim Christus Dominus omnes affectus in potestatę, & pro rectæ rationis imperio concitabat eos, aut cohibebat. At in nobis, etsi quandoque præuertant rationem, minusque illi sint obsequentes, haud dubium tamen est quin ab eâ dirigi, ac temperari possint, ac plurimum ad virtutum exercitationem conferant. Nihil enim fit sine quodam eximio mentis ardore.

Vituperabat Apostolus quosdam sine affectu, omnino non dolere dum sumus in hoc loco miseriæ, sicut quidam ait, non sine magnâ mercede contingit immanitatis in animo, stuporis in corpore. ἀπάθεια si intelligatur de affectionibus, quæ contra rationem contingunt, mentemque perturbant, bona, & optanda est; sed nec ipsa est huius vitæ. Nam & maximè piorum illa vox est; si dixerimus quod peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est Tum erit ista ἀπάθεια, quando peccatum nullum erit. Nunc verò satis bene viuitur, si sine crimine viuitur. Sine peccato qui se viuere existimat non id agit, vt peccatum non habeat, sed vt veniam non accipiat. Beatitudo erit sine stimulo timoris, & sine vilâ tristitiâ; sed futurus illic amor ardentissimus, & gaudium exuberantissimum.

Crantor apud Tul.

Si ἀπάθεια de omnibus omnino affectibus accipiatur; quis hunc stuporem non omnibus vitijs iudicet esse peiorem? Stoici qui nullo flectuntur, aut inclinantur affectu, impietate superbi, elati, eò maiores tumores patiuntur, quo minores dolores. Humanitatem potius amittunt: quam veram tranquillitatem assequantur. Non enim quia durum aliquid, ideo rectum, aut quia stupidum, ideo sanum. Aliud est sanitas? aliud stupor, aliud immortalitas. Perfecta quidem sanitas, est immortalitas, sed dicitur etiam secundùm quemdam modum sanitas quam habemus in hâc vitâ. Quando non infirmatur vnusquisque, sanus vocatur, & cùm inspexerit medicus

Aug. in Psalm. 55.

cus sanum renuntiat, & cùm ægrotare cœperit ipsa sanitas perturbatur, & quando curatur ad ipsam sanitatem reditur. Sanitas ægritudinem non habet; sed tamen quando tangitur, & molestatur dolet; stupor autem non dolet; amisit enim sensum doloris, tantò insensibilior, quantò peior. Rursum immortalitas non dolet, absumpta est enim omnis corruptio. Non se putet stupidus iam immortalem; vicinior est immortalitati sanitas dolentis, quam stupor non sentientis. Inuenis ergo hominem superbissimum typho arrogantissimo, qui sibi persuaserit, nihil timere; fortiorem putas illo, qui ait, foris pugnæ, intus timores? fortiorem capite nostro, Domino Deo nostro, qui dixit, *Tristis est anima mea vsque ad mortem*? Non est iste fortior: non te delectet stupor eius. Non immortalitate indutus: sed sensu exutus est. Tu verò habeto animum non sine affectu. Reprehensi enim sunt homines sine affectu. Quamquam magis est simulatio quædam furoris ac stuporis, cùm omni sensu hominem penitus exui sit impossibile.

Ad hæc confirmanda proferamus quoque Sancti Hieronymi testimonium ad Saluiam de viduitate seruanda. Difficile est, quin potius impossibile, perturbationis initijs carere quempiam, quas significantius Græci προπαθείας vocant: nos vt verbùm vertamus è verbo, antepassiones pos-

ſurpus dicere ; eo quod incentiua vitiorum, omnium titillant animos, & quaſi in meditullio noſtrum iudicium ſit, vel abijcere cogitata, vel recipere. Vnde & naturę Dominus in Euangelio loquebatur: *De corde exeunt cogitationes mala, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemia.*

Matt. 15. v. 19.

Ex quo perſpicuum eſt; iuxta alterius libri teſtimonium, procliuius eſſe cor hominis à pueritia ad malum: & inter opera carnis & ſpiritus, quæ Apoſtolus enumerat, mediam animam fluctuare, nunc hæc nunc illa cupientem. Nam ſine vitijs nemo naſcitur: optimus ille eſt qui minimis vrgetur. Velut ſi egregio inſperſos reprehendas corpore næuos. Hoc eſt quod alijs verbis Propheta ſignificat: *Turbatus ſum, & non ſum locutus*, & in eodem volumine: *Iraſcimini & nolite peccare*. Et illud Architæ Tarentini ad villicum negligentem: iam te verberibus enecaſſem, niſi iratus eſſem. Ira enim viri iuſtitiam Dei non operatur.

Quod de vna perturbatione dictum eſt, referamus ad cæteras. Sicut iraſci hominis eſt, & iram non perficere Chriſtiani: Sic omnis caro concupiſcit quidem ea, quę carnis ſunt, & quibuſdam illecebris ad mortiferas animam voluptates trahit: ſed noſtrum eſt voluptatis ardorem maiore Chriſti amore reſtinguere, & laſciuiæ iumentum frænis inediæ ſubiugare, vt

non

non libidinem, sed cibos quærat, ac desideret, & sessorem Spiritum Sanctum, moderato atque composito portet incessu. Quorsum ista? vt hominem esse te noueris, & passionibus humanis, nisi caueris subiacere. Quod ipsum quotidiana experientia nimiopere testatum reddit.



CA-



CAPVT XI.

Iterùm de affectibus, maximè de affectu amoris, & tristitiæ. Ex S. August.

CVm homini Christiano præ oculis mentis obuersari semper debeat, futura vita, hæc vero præsens haberi contemptui facile perspicitur quibus ille potissimum indulgere debeat affectibus: Non illam magnopere debent oblectare pręsentis vitæ commoda, bonaque caduca; nec contristare, ac dolore afficere incommoda, & aduersa cum fluxa sint, ac caduca, nihili præ æternis bonis, aut malis æstimanda; sed desiderio accendi debet æternorum bonorum, ac metu malorum absterreri; eâque vnâ re plurimùm gaudere, quæ illum Deo fini suo propius adiungat, & mærere ac dolere, si quæ res eum auocet, ac secludat à summo bono. Quæ res nulla alia omnino præter peccatum, esse potest quod Deus odit, & illius bonitati nos inuisos, exososque reddit.

Quoniam verò primarius affectus, omniumque fons, & radix est amor, illi repurgando, ac concitando potissimum opera danda est; atque vt hic amor purus, sincerus, feruens, constans, spiritalis, cælestis,

Diuinus

Diuinus existat elaborandum est. Ipsa dilectio (inquit, S. August.) vacare non potest; Quid enim de quoque homine etiam mala operatur, nisi amor? Da mihi vacantem amorem, & nihil operantem? flagitia, adulteria, facinora, homicidia; luxurias omnes nonne amor operatur? Purga ergo amorem tuum, aquam fluentem in cloacam conuerte ad hortum. Quales impetus habebas ad mundum, tales habeas ad artificem mundi. Nûm vobis, dicitur, nihil ametis? Absit, pigri, mortui, detestandi, miseri eritis, si nihil ametis. Amate; sed quid ametis, videte. Amor Dei, Amor proximi charitas dicitur. Amor mundi, amor huius sęculi cupiditas dicitur. Cupiditas refrętur, charitas excitetur. Vt ad cognoscendum, ita & ad amandum instituta est, ac facta natura nostra, rationis compos, intellectu, ac liberâ voluntate prædita. in psa. 31. præfat.

Nullum verò dignius est obiectum, in quod vim omnem suam cognoscendi, & amandi conferat, quam Deus eius Conditor, finis extremus, summum bonum, eiusque causa proximus amoris beneuolentiæ & ipse capax sed propter Deum; vt ea qua proximum prosequimur beneuolentia denique referatur in Deum, illius principium, ac finem. Optandum verò est vt vires omnes inferiores appetitus, ac corporis, huic amori Diuino famulentur, eumque quoad licebit promoueant, atque adaugeant, vt cum Regio vate canamus: *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.*

Ceteræ

Cæteræ res huius mundi rationis expertes, nec dignæ sunt, nec capaces amoris beneuolentiæ, sed concupiſcentiæ dumtaxat, qui cum maximè proprius exiſtat inferioris appetitus, præcipuo quodam ſtudio moderandus eſt, & coercendus. Quia verò Stoici pro triſtitia nullam putarunt conſtantiam, aut Eupathiam eſſe ſtatuendam: præter ea quæ de gemitu, ac luctu piorum ex hac peregrinatione, & dilata felicitate protulimus; alteram continuæ, ac iugis mæſtitiæ cauſam, tum ex proprijs, tum ex alienis peccatis; ex S. potiſsimùm Aug. deductam adijciemus.

Nulla videtur pijs hominibus hac in vita familiarior eſſe debere, ac crebrior affectio, quam ſancta compunctio, qua ſibi cor obtriuerunt, qui Deo ſacrificium offerunt ſpiritus contribulati, cordis contriti, & humiliati, quod pro ſua bonitate Deus acceptum habet. Altus eſt Deus, non eum attingit elatus, ſed ab humilibus contingitur. Scriptum eſt *Propè eſt Dominus his qui obtriuerunt cor*; Tritura cordis, pietas, humilitas. Qui ſe conterit iraſcitur ſibi: ſe habeat iratum vt illum habeat propitium. Se habeat iudicem, vt illum habeat defenſorem. Et iterum qui ſanat contritos corde, ſanat ergo humiliatos corde, ſanat confitentes ſanat ſeipſos punientes, in ſeſe verum iudicium exercentes, vt poſsint eſſe illius miſericordiam ſentientes.

Aug. in Pſ. 74. & 125.

Magnopere igitur confert ad humilitatem, diuinique Numinis propitiationem hæc de peccatis ſuis contritio, atque vt idem monet,

S. Pater

S. Pater si Deum volumus auertere faciem à peccatis nostris, oportet vtipsi ab eis nostram non auertamus. Sit ante nos peccatum nostrum, ne sit ante Deum, iuxta illud Regij psaltis. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Delictum meum cognitum tibi feci, & in ustitiam meam non abscondi; Dixi confitebor tibi aduersum me iniustitiam meam.* Ps. 50.

Neque vero tantum nos sollicitos habere debent ac mæstos præterita peccata, quorum de remissione, atque indulgentia certò constare non potest. Verum & præsentia, & futura, quæ pro naturæ fragilitate, ac corruptione, etsi singula forte, non tamē omnia possumus euitare. Quoad perfecta sanitas eueniat à Deo, transactâ mortalitate, quando corruptibile hoc induerit incorruptionem, quando nihil erit, quod ex carnis labe sollicitet, non solum nihil, cui consentiamus, sed nihil, quod suggeratur, ex carne. Etenim modo, fratres mei, quantæ illicitæ delectationes animum tangunt? quamuis eis non consentiamus, vt membra iustitiæ seruiant, non iniquitati, tamen vel delectari talibus etsi non consentis, non est perfecta sanitas, &c. quæ pijssimè, prosequitur S. Aug. 1. Cor. 15.

Et quidem hic Stoici cautionem adhibendam non negarint pro metu, fatenturque sapientem suum timere; sed quod malum? si nullum sapienti potest euenire? nec sibi concordant si quod imminet sapienti timendum, aut cauendum, id si iam presens adsit, atque euenerit, non dolendum. Verùm in potestate

sapientis est nullum eueniat. Quid ergo metuunt illud aut cauent? sanè vt summum aliquod est hominis bonum summè amandum, & summè prosequendum omni affectu, conatu, ac studio, ita necessè est oppositum aliquod esse malum, summo item affectu, & effectu vitandum, & metuendum: si summum bonum est assequi finem suum ob quem sis conditus, summum malum est ab eo penitus excidere. Summum bonum hominis est Deus, Deive fruitio. Summum malum auersio à Deo, peccatum quod eius assequutionem penitus intercludit. Id igitur & odio habendum, & toto affectu vitandum & ne accidat metuendum, si acciderit dolendum, vt contriti cordis dolore penitus aboleatur, ac Diuinâ gratiâ dispungatur. Noli erubescere, contere cor, tales sanat Deus. Confitere, age, dic quod sequitur, Infelix, ego homo quis me! hoc dicere Infelix ego homo, iam est cor conterere, vt respondeatur tibi, gratia Dei per Iesum Christum Dominun nostrum.

Cum peccatis circumsepti teneamur, & præteritis certò admissis, at incerto condonatis, & præsentibus, ac futuris imminentibus, ex huius ærumnosæ vitæ in tentatione atque hostium medio constituta conditione, ac naturę ipsius nostræ corruptelâ, quid potius agamus, quam vt ad Deum clamemus. Miserere nostri Domine, miserere, vt sua multiplici misericordia nostram subleuet multiplicem miseriam, vt præterita indulgeat peccata, præsentia toleret, & à futuris ope suæ gratiæ præseruet; Vt miserorum propria est

hæc


hæc precatio, ita & animi contriti, ac compuncti mæstitia, non est nisi miserorum. Aberit à beata vita hæc precatio, timor omnis atque mæstitia, sed sola audietur laudatio, gratiarum actio, & lætissima Diuinæ Maiestatis adoratio, horum omnium vice sit in hac ærumnosa vita miserorum hæc vox repetita; Miserere Deus, misereatur nostri, sit propitius, ac placatus miseris peccatoribus. Iam de alienis peccatis quam ea iustos homines excrucient, quanto eos animi mærore compleant indicat Apostolorum Princeps, dum iustum Loth oppressum ait à nephandorum iniuria, ac luxuriosa conuersatione; 2. Petri 2. Aspectu enim & auditu iustus erat, habitans apud eos qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant. Nec auditis, nec aspectis tot flagitiorum exemplis dimoueri potuit, a recto iustitiæ tramite; sed vehementer tamen eisdem flagitijs cruciabatur, quæ cum emendare vellet, haud poterat. Talis quoque erat Dauidis Regis, ac Prophetæ zelus ardens. *Tabescere me fecit zelus meus,* Ps. 118. *defectio tenet me pro peccatoribus delinquentibus legem tuam.*

Omnes mali persequuntur bonos, non ferro, aut lapidibus, sed vita, & moribus inquit S. Augustinus, qui plurimus est in hoc argumento. Illud Psal. 98. de Moyse, Aarone, & Samuële Prophetis eximijs vindicatis in omnes affectiones eorum, sic explicat. Quid est quod in illis vindicatum est, quæro, & secundum homines non inuenio, secundum autem quod scio pati seruos Dei quotidie, in illos

in illos vindicabatur. Legite & videte vindictas, sed qui proficitis; forte vindictas quotidie patiebantur, populos contradicentes, quotidie patiebantur inique viuentes, & inter illos viuere cogebantur; quorum vitam quotidie reprehendebant, hæc erat vindicta. Nondum proficit cui parua est. Tantum enim te torquet iniustitia aliena quantũ recesseris à tua Cum fueris frumentum, id est; herba bona de semine bono: semine filius regni: cũ cæperis
Mat. 13. fructum dare tunc & ibi apparebunt zizania.
Ex sententia Domini necesse erit parcere zizanijs, & conditione serui necesse erit viuere inter zizania. Separare non potes; Tolerare tibi necesse est. Vide quantas plagas in corde patiaris, qui corpore, & corde integro inter malos versaris: probabitis quicumque profeceritis; probabitis quicumq; iam proficitis. Toleranda sunt ergo ista, & forte hoc pertinet ad illud, seruus qui nouit voluntatem Domini sui, & non fecit digna, plagis vapulabit multis. In multis enim quantum nobis innotescit voluntas Dei, etiam reatus noster innotescit nobis. Et quanto ille nobis innotescit: tanto plus imus in fletus, in lacrymas. Videmus enim quam sit iustum, quod de nobis exigat Deus, in quanta adhuc imperfectione iaceamus, & fit in nobis quod dictum est: *Qui apponit scien-*
Ecc. 1. *tiam apponit dolorem*. Ecce abundet in te charitas, & plus dolebis peccantem. Quanto in te maior charitas est: tanto amplius te torquebit quem toleras. Non torquebit tanquam irascentem illi, sed tanquam dolentem pro illo. Vide Paulum Apostolum, quid patiebatur:

ebatur. Vide quis quid patiebatur præter 2.Cor.11.
la quæ extrinsecus sunt. Vide qualis sol- „
citudo, quam paterna, quam materna. „
idete quomodo cædebatur, & vindica- „
atur in omnes affectiones eius. „
Stoicos quos asperiores, atque horri- „
ores ipsa doctrina faciebat haud mirum „
lacrymas non probasse, & ab ijs tem- „
rasse: si tamen temperare, ac naturam om- „
no vincere potuerunt. „
At Philosophis Christianis non sunt inde- „
re lacrymæ, nec infructuosæ, quas ani- „
contritio, pietasque exprimit. De suis „
rymis vberrimis non semel confitetur S.
gust. & in exordio conuersionis animæ se-
n luctantis oborta est procella ingens fe-
s ingentem imbrem lacrymarum: Dice- l.8.c.
n hæc, & flebam amarissimâ contritione
dis mei; sed erat eadem quoque contri-
ulcissima; & à suscepto Baptismo. Quan-
l fleui in hymnis, & canticis tuis suauè l.9.c.6
ntis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus,
ter voces illæ influebant auribus meis, &
abatur veritas tua in cor meum, & ex
estuabat affectus pietatis, & currebant
ymæ, & bene mihi erat cum eis. Deni-
in Monicæ parentis suæ charissimæ
te.
remebam oculos eius, & confluebat in l.9.c.12
ordia mea mæstitudo ingens, & trans-
bat in lacrymas, ibidemque oculi mei
nto animi imperio resorbebant fontem
. Denique libuit flere in conspectu tuo

de illa, & pro illa, de me, & pro me. Et dimisi lacrymas quas continebam, vt effluerent quantum vellent substernens eas cordi meo; & requieuit in eis, quoniam ibi erant aures tuæ, non cuiusque hominis superbè interpretantis ploratum meum. Vt interpretati sunt quidam malignè lacrymas eius cum presbyter ordinaretur: de quibus, & postremis in lęthali morbo, cum se ad mortem pia lectione psalmorum pęnitentiæ compararet, scriptor eius vitæ Posidius.



CAPVT



CAPVT XII.

SEXTVM PARADOXVM; *Sapientem non opinari; itemque non ignorare, non fallere, non mentiri.*

Est igitur Deus, Sapiens Stoicus? Omniscius, quem nihil lateat, nihil subterfugiat, cui nihil excidat, nullus vnquam surrepat error? qui nulla laboret incogitantiâ, & improuidentiâ, qui nihil ignoret? Diuina, & humana sciat? Non inquiunt, omnia planè, sed quatenus opus est, & potest, ita omnia scit, & nihil ignorat; vt sciat semper, aut scire se aut ignorare; & hoc est satis, vt vindicetur ab errore. Cum inquiunt non opinari, intelligunt rei incomprehensæ assensum non dare. Recte, inquit, Lactantius Zeno &, Stoici opinionem repudiarunt. Opinari enim te scire, quod nescias, non est sapientis sed temerarij potius, ac stulti. 3.cap.4.

Verum bona cum Lactantij venia, non est illa opinio sed error, neque opinioni contraria est scientia, sed errori. Vt argumenta Topica demonstrationibus subseruiunt, ita scientiæ famulatur opinio, quæ est imbe-

cillis assensus quodammodo; si quid esset ita comprehensum, vt conuelli ratione non posset, scientiam, sin aliter inscientiam appellabant, ex qua existeret etiam opinio, quę esset imbecilla, & cum falso incognitoque communis. Opinio non est semper de re falsâ, aut incognitâ, sed de re verâ tenuiter & non planè cognitâ aut imbecillis assensus in vnam partem. Necesse autem est in rebus incompertis, aut opinari, aut dubitare, suspensumque animo hærere Sapientem, quia res sunt eiusmodi, quæ certo comprehendi non queant; sed coniecturis, aut probabilibus dumtaxat rationibus colliguntur.

Cicer. 1. Acade.

Iam verò Sapientem omnis erroris, & ignorantiæ prorsus expertem facere, est omnis quoque peccati facere immunem, non eius solum, quod per ignorantiam admittitur, sed omnis omnino, quod ex infirmitate, vel malitiâ contrahitur. Necesse enim est, omnem peccantem errare. *Errant, qui operantur malum. Omnis via viri, recta sibi videtur*; eaque fuit Aristotelis sententia. Omnis malus est ignorans. D. Dionisij, nemo respiciens ad malum, operatur, & S. Thomæ. Omnium humanorum operum principium in homine esse rationem; ignorantiam & errorem, causam esse electionis malę, cum aliquis actu non considerat, quæ potest, & debet: & illud Socraticum scientiâ præsente non peccatur, Verùm esse si scientia extendatur ad vsum rectæ rationis in particulari eligibili. Ac denique, Socratem ponentem omnes virtutes esse scientias & omnia peccata ignorantias, catenus

Prou. 14. 12. & 21. 2. 3. Eth. 1. Dio. c. 4. de diui. nomin. S. Tho. 1. 2. q. 6. a. 8. q. 38. a. 2. q. 77. a. 2.

nus rectè dixisse, quia, cum voluntas sit boni, vel apparentis boni, nusquam in malum moueretur, nisi id quod non est bonum aliqua ratione bonum appareret.

Idem alijs locis confirmat & probat Deum non posse peccatum velle, quia peccatum non fit sine errore circa obiectum saltem in particulari. Error autem in Deum cadere non potest. Hoc Stoici de Sapiente suo lubentes admiserint, nec errorem, nec peccatum in eum cadere posse; Quid ergo obstet quin Deus sit? At SS. PP. nihil æquè damnant, in Pelagio quàm hominem, absque peccato esse posse. l. 1. contra gent. c. 91

Ex professo quidem admitti posit, Sapientem nec fallere, nec mentiri; sed, quin ipse quandoque fallatur, & per imprudentiam mentiatur, id admitti non potest; Esto prudens, sciens, volensque non mentiatur, nec fallat animo malo, ac doloso: quin tamen per incogitantiam, aut incuriam iam quandoque i subrepat error, & eius apud alios sit author, humanum non est. *Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax*; Humano sensu, & affectu loquens, non, ex S. Spiritu, vti tum loquebatur Dauid, homo ex naturâ suâ obnoxius est errori, & falsitati, quod etiam confirmat Apostolus. *Est autem Deus verax; omnis autem homo mendax*; Solus Deus mentiri non potest, omnes homines quantumcunque Sapientes, mendacio sunt obnoxij; etsi non semper mentiantur, in hoc tamen ipso paradoxo mentiuntur Stoici. Ps. 115. 2. ad Ro. 3. 4

Quis ita ambulat, vt nunquam labatur? te quod cito fit, vel in lingua? Etenim scriptum Aug. in ps. 31.

Iac. 3. 2. ptum eſt: *Si quis in verbo lingua non offendit, hic perfectus eſt Vir*; Quis autem auderet ſe
" perfectum dicere, aut reputare? ergo neceſſe
" eſt, vt aliquis labatur in linguâ, ſed recurrit
" homo in cor ſuum, & inde recurrit ad Deum,
" & dicit; In Domino laudabo ſermones ſuos.
" Quicquid verum dixi, Deo dixi, & de Deo
" dixi, quicquid forte aliud dixi, quod dicere
" non debui, homo dixi, ſed ſub Deo dixi qui
" confirmat ambulantem, minatur erranti,
" ignoſcit agnoſcenti reuocat linguam, reuocat
Pſ. 5. 7. lapſum.

" Qui loquitur mendacium, de ſuo loquitur,
" id eſt qui peccat, de ſuo peccat: reſtat vt
" qui loquitur veritatem, de Deo loquatur; Ideo
" dicitur alio loco; Deus verax ſolus, omnis autem homo mendax. Et vt ſis verax, bibe veritatem, vt de Deo ructes, & ſis verax; quia de
" tuo illam non potes habere; reſtat vt inde illam bibas, vnde fluit. Quomodo ſi à luce receſſeris, in tenebris es. Quomodo lapis non de
" ſe feruet, ſed vel à ſole, vel ab igne, ſi eum calori ſubtraxeris, frigeſcit; ibi apparet, quia
" quod feruebat, non erat ipſius, &c. Hæc præclare S. Aug.

Pſa. 91. Non erat ignarus huius veritatis omnium mortalium ſapientiſſimus Salomon, qui præclare, & prolixe Stoicos coarguit, dum Sapien-
Sap. 9. 4. tiam à Deo flagitat; *Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem Sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis: quoniam ſeruus tuus ſum ego, & filius ancillæ tuæ, homo infirmus, & exigui temporis, & minor ad intellectum iudicij, & legum: Nam etſi quis erit conſummatus inter filios hominum, ſi ab illa abfuerit*

abfuerit Sapientia tua, in nihilum computabitur. v. 13.
Quis enim hominum scire poterit consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ: Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Et difficile æstimamus, quæ in terra sunt: & quæ in prospectu sunt, inuenimus cum labore. Quæ autem in cælis sunt, quis inuestigabit? sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis Sapientiam, & miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis.

Nempe rerum omnium agendarum scientia, ad Diuinæ voluntatis normam, & regulam accommodanda est; vt id agamus, quod Deo gratum est, & acceptum; quod ad eum aliquando nos perducat.

Ac tametsi, non obscurè, Deus suam nobis voluntatem indicarit, atque in præceptis, consilijs, diuinisque litteris expresserit, nisi tamen eo suggerente, ac commonente ad eam animum non aduertemus, non comprehendemus, vti par est, aut præ cæteris omnibus rebus æstimabimus. Ob eam causam, toties sibi dari petit intellectum Rex Dauid, ad Diuinæ legis perspicienda, atque exequenda mandata. *Da* Ps. 118.
mihi intellectum & scrutabor legem tuam, & custo- v. 34.
diam illam in toto corde meo. Manus tuæ fecerunt v. 73.
me; Da mihi intellectum, vt discam mandata tua. v. 144.
Æquitas testimonia tua in æternum intellectum, da mihi & viuam. Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine; iuxta eloquium tuum da v. 169.
mihi intellectum. In tenebris se versari, nisi Diuina luce cælitus illustretur, in regione vmbræ

 mortis

mortis quæ proxima eſt peccato, niſi exorta
Pſ. 37. v. 11. Chriſti luce reuocetur ad vitam. *Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum.*

Alioquin degenerantes in pecora, & ſenſibus rationem obſcurantibus, ac peſſundantibus; non vt homines rationales, ſed animales vitam brutam exigimus. Ipſi nos regimus vt pecudes, & à Deo rectore duci, ac gubernari, non patimur; vult ipſe nos regere rationis, & intelligentiæ capaces, ſuarum inſpirationum ſuaui ductu, ac perſuaſione, non neceſſario naturæ
Pſ. 31. 8. inſtinctu, atque impulſu. Cum ait, *Intellectum tibi dabo, & inſtruam te, in viâ hac, quâ gradieris firmabo ſuper te, oculos meos,* ſed ea lege, ac conditione ne pecorum vitam æmuletur. *Nolite fieri ſicut equus, & mulus, quibus, non eſt intellectus.*

Inter omnia vitia, ſuperbia præcipuè mentem
Pſ. 17. 28. obtenebrat, & excæcat: Humilitas, recipiendæ Diuinæ luci capacem idoneamque reddit, quod Rex quoque Dauid indicat ſuâ ad Deum precatione. *Quoniam, tu populum humilem ſaluum facies, & oculos ſuperborum humiliabis. Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine Deus meus, illumina tenebras meas.*

CA-



CAPVT XIII.

SEPTIMVM PARADOXVM; *Sapienti nihil præter opinionem euenire.*

PRæter opinionem, animi destinationē, ac propositū vt explicat Sen. Omnia illi fluūt e sententia; nihil illi accidit non præmeditatū; unquam illum Pænitentia subit: quia nihil elius illo tempore fieri potuit, quàm, quod ctum est; nihil constitui, quàm, quod constitum est: Cæterum ad omnia cum exceptio- : veniet, si nihil inciderit quod impediat. Ideo nnia illi succedere dicimus, & nihil contra inionem accidere: quia præsumit animo, sse aliquid interuenire, quod destinata pro- beat. Imprudentium ista fiducia est, fortu- m sibi spondere. Sen. de benef. 4. c. 34.

Nihil ei contra opinionem dicimus acci- re; quia non illum casibus hominum exci- mus, sed erroribus; nec illi omnia, vt voluit, dunt, sed vt cogitauit. Imprimis autem co- tauit aliquid posse propositis suis resistere. oc illud amputandum, Non putabam. Nes- ebam hoc mihi restare. At Sapiens Stoicus it sibi omnia restare, & quicquid factum est, xit, sciebam. Sen. de Tra. c. 13.

Non vlla laborum.

O Vir-

O Virgo, noua mî facies, inopinave surgit:
Omnia percepi, atque animo mecum ante peregi:

Sed mentita est iniquitas sibi; Quis enim præter Deum omnia præuidere queat? Vni Deo, nihil casu ac fortuitò potest euenire. At hominem id sibi arrogare, temerarium sit, vt nihil præter spem, & expectationem sibi eueniat, cum plurima præter omnem cogitationem & suspicionem eueniant; Scimus quidem generatim aliquid interuenire posse, at non minus angimur, cum nostra spe excidimus, & expectatione frustrati sumus.

Ad Rom. 1. 13. Apostolus Paulus Romanis scribens ait. *Nolo vos ignorare fratres, quia sæpè proposui venire ad vos, (& prohibitus sum vsque adhuc)* Et
2. 1. 15. 1. 17. Corinthijs. *Et hac confidentiâ volui prius venire ad vos, vt secundam gratiam, haberetis, & per vos, transire in Macedoniam. &c. Cum hoc ergo voluissem, nunquid leuitate vsus sum? Aut quæ cogito, secundum carnem cogito, vt sit apud me. Est, & Non?*
1. 2. 18. Denique ad Thessalonic. *Quoniam voluimus venire ad vos; ego quidem Paulus & semel, & iterum, sed impediuit nos Satanas. Cum esses*
Io. 21. 18. *iunior*, aiebat Dominus Petro, *cingebas te, & ambulabas, vbi volebas. cum autem senueris. extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quò tu non vis.* Imo plurima pręter voluntatem euentura nobis, Deo sic iubente, vel ad nos castigandos, vel exercendos, præcogitare nos oportet, vt ad humana omnia nos comparemus, & assuescamus futuris malis, quę alij diu
Sen. ep. 76 patiendo leuia faciunt, nos diu cogitando.

Sæpe

Sæpe videmus in sæculo quosdam de alio Hiero.in
ropolito, transire ad aliud, verbi gratia, vt Is.l.7.
ui militiam male experti sunt, transeant ad c.23.
iegotiationem; rursumque causidicos bello- "
um arma corripere: mutant industriam, vt "
nutent infelicitatem; & nihilominus dispensa- "
ione Dei, his quos saluare dignatur, omnia "
iitentibus euenire contraria, vt per inopiam "
c miserias cogantur non in se, sed in Creatore "
uo, habere fiduciam.

Rectè quidem homines sæculi redarguit S. Iac.c.4.
acobus. *Ecce nunc qui dicitis; hodie, aut crasti-* 13.
o ibimus in illam ciuitatem; & faciemus ibi qui-
em annum, & mercabimur, & lucrum facie-
mus, qui ignoratis quid erit in crastino. Quæ est
nim vita vestra? Vapor est ad modicum parens,
& deinceps exterminabitur. Pro eo vt dicatis; si
Dominus voluerit, & si vixerimus, faciemus hoc
ut illud. Si vita comes fuerit, quæ pendet ex
Dei voluntate, ita posterior hæc conditio in-
iuditur in priori, & si Dominus voluerit, ex-
eptionem omnem Stoicorum complectitur.
Nisi quid interuenerit, non potest tamen hæc
ita mortalis, ab omni errore, euentu-ve for-
uito immunis esse ac libera, vt nihil Sapienti
ræter expectationem eueniat.

Abraham de Sara coniuge, cuius erat in se- Gen. 26.2
iectute species ad stuporem eximia; Isaac, de
Rebecca, ob eandem formæ pulchritudinem,
uasi de vita periclitarentur; docuerunt ali-
uid Sapienti præter opinionem euenire posse,
c Diuinæ Prouidentiæ denique committen-
os rerum omnium euentus. Dicebat Abra- Gen. 12.
am Saræ: *Noui quod pulchra sis mulier, &* 11.13.
quod

quod cum viderint te Ægyptij, dicturi sunt, vxor ipsius est, & interficient me, dic obsecro quod soror mea sis, & bene sit mihi propter te, & viuat anima mea, ob gratiam tui. Iosaphat Ammonitis, Moabitis, & Syris aduersum se consurgentibus, prædicat ieiunium, supplex ad Deum confugit, eiusque precationis extrema hic clausula est: *In nobis quidem non est tanta fortitudo, vt possimus huic multitudini resistere sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui vt oculos nostros dirigamus ad te.*

2.Paral. 20.12.

Iob & Tobias ne suspicione quidē vnquam vllâ præuiâ, quæ sibi, Deo permittente infortunia euenerunt, præmeditati fuerant, & tamen vterque Deum in calamitate benedixit, eumque non ęquo tantum, ac pacato, sed lubenti & aduersus Deum grato pertulit animo. An nihil, præter opinionem euenit vnquam Regi Dauidi tot exercito casibus? tot infortunijs probato externis, ac domesticis, in tanta rerum omnium prosperarum atque aduersarum varietate, quam eius sacra nobis exibet historia? An Eliæ, Elisæo, alijsve Prophetis in omni semper euentu adfuit, omniaque retexit, ac patefecit arcana Prophetiæ spiritus? cur ergo lamentatur Elias, *etiamne viduam, apud quam ego vtcumque sustentor, afflixisti? vt interficeres filium eius?*

3.Reg.17. 20.

Versatur mihi modo in manibus psalm. 43. quo piæ quærelæ ac lamentationes Martyrum, seu Machabæorum, seu Christianorum, describuntur, quia nemo quod tolerat amat, etsi tolerare amat, quamuis gaudeat se tolerare, tamen mauult non esse quod toleret. *Hominis*

Aug.10. conf.28.

minis est animam præparare: & Domini gubernare linguam. Vulgare Prouerbium, Homo proponit, Deus disponit. *Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus eius. Nescit homo finem suum: sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues, laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo: Cum eis ex templo superuenerit*. Hoc cauendum, ne mors nobis inopina superueniat, quia nescimus, neque diem, neque horam, omni die, atque horâ vigilandum est. Prou. 16. Ecc. 9. 12.

Quam homini multa præter opinionem, atque expectationem eueniant, luculentè docere potest vna Esther historia in Mardochæo summis honoribus affecto, & Aman eius hoste, suspenso in patibulo, quod ipse parauerat Mardochæo; Nempe canebat hoc quoq; Virgo Deipara & in Israelitis liberatis demersoque Pharaone Dei potentiam deprædicabat, *fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui; Deposuit Potentes de sede & exaltauit humiles &c.* Hi sunt Diuini mores, ut non se superbus exaltet, sed Deo humilis subdat eiusque diuinam agnoscat manum, ac im omnipotentiæ, cui nos in omnem partem & sortem obtemperare est æquissimum. Luc. 1.

CA-



CAPVT XIV.

Octavvm Paradoxvm; *Sapientem ſibi ſufficere, ſiue ſe ſolo contentum eſſe.*

NOn eo dumtaxat hoc Paradoxum ſpe-ctat, vt intelligamus Sapientem alio-rum conſuetudine non egere, ac viuere poſſe in ſolitudine, cum ipſe ſibi ſit omnia nec ab vllo homine dependeat. Sed qui ſupremus eſt ſuperbiæ gradus, quod nec ab ipſo Deo, in paranda virtute, ac beatâ vitâ dependeat; ſit ipſe ſibi Deus, ſe Deum faciat, à ſe iuſtus ac beatus exiſtat, ſibimet ſufficiat. Fuerunt qui nos abducerent ab omni conſortio, & Sen.ep.9. amicitia, Stilpo, Tymon, & alij oſores hominum. At Stoicis aliter viſum. Nam illud quidem cum illis commune eſt, ſapientem ſeipſo contentum eſſe, ſed tamen & amicum habere vult, & vicinum, & conturbernalem, quamuis ipſe ſibi ſufficiat. Sociale animal homo eſt, & inter homines Sapiens, & tamen non viuet, ſi fuerit ſine homine victurus, non modo ſine amico, ſed nihilo ſecius oportet & in hoc exerceri vt poſsit ſibi ipſe ſufficere, poſ-ſit ſecum eſſe, ſicut Iupiter ſecum eſt, atque agit, & in ſe acquieſcit, & gubernationem

ſuam

uam mente agitat, & cogitationibus fruitur
se dignis.

Quæ comparatio Epicteti, & Senecæ magnifica videtur multisque vehementer arridet; sed vereor ne superbiæ sit & arrogantiæ plenissima, ne dicam blasphemiæ: Huc cogitationes tuæ tendant, hoc cura, hoc opta, omnia alia vota Deo remissurus, vt contentus sis temetipso, & ex te nascentibus bonis. Quæ potest esse felicitas Deo proprior. Ep. 20.

Scipio, ad legatum Regis Anthiochi apud Liui. 137. Ex ijs quæ in Deorum immortalium potestate erant, ea habemus, quæ Dei dederunt; Animos qui nostræ mentis sunt, eosdem in omni fortunâ gessimus, gerimusque; quo pertinet illud Poëtæ,

Sed satis est, orare Iouem qui donat & aufert.
Det vitam, det opes, æquum mihi animum ipse parabo.

Itaque Cotta apud Ciceronem. Quis, quod bonus vir esset, gratias Deo egit vnquam? At quod diues, quod honoratus, quod incolumis? Verum id per quàm iniquum, & absurdum videtur. A Deo expectemus inferiora bona, quæ minimi sunt momenti, & ad beatam vitam parum aut omnino nihil conferant: Animi superiora, in quibus ipsa beata vita consistit virtutem, æquitatem, ac tranquillitatem non expectemus. 3. de natura deor.

Habemus quidem à Deo liberum arbitrium; sed sine Diuinâ ope quid illud potest? Mentis nostræ compotes sumus, sed illa sine Dei præsidio languet infirmissima, est ad omne virtu-

tis opus

tis opus impotens, in malum procliuis, sibi dux in præceps vt euincunt quæ de gratiæ necessitate disputata sunt.

Si Sapiens sibi sufficit, se solo contentus est, sibi ergo Deus est, sibi author vitæ, ac naturę, se condidit, seque conseruat, se regit, immortalis est, æternus est indeficiens, seipso beatus, & perfectus; Quod si vitam sibi ipse non tribuit, si continenter eam à Dei benignâ manu conseruatrice recipit, magisque ab eâ, quam à sole radij solares, dependet; si continuo in decursu versatur vita sapientis, suisque decrescit augmentis sine vlla quiete, donec ipsa morte finiatur, & clepsidræ instar exhauriatur, qui sibi potest sufficere Deo secluso? quomodo sine Deo, seipso erit contentus? Quantò verius rectiusque sapientem Christianum dixerimus Deo solo contentum esse, illi Deum vnum sufficere, cum id omni contentione mentis enitatur, vt à seipso deficiat, se ipso inquam, omni erroris, vitij, defectus, mali peccati, corruptionis origine, & in Deum profectus eius, atque omnis virtutis, bonique authorem ac largitorem transeat.

Multus est in hoc paradoxo refellendo S. August. pugnat enim ex diametro cum Diuinâ gratiâ, & quæ illi innititur, humilitatis virtute: pugnat cum aperta veritate, diuinis litteris sępissime consignata. Si Dei donum est. Ipsa vita, multo magis Dei donum erit Vita Bona, Iusta, Sancta, Beata; si lux quæ corporeis oculis cernitur, vna cum brutis animalibus nobis communis, è cælo delapsa venit; Quanto magis lux inuisibilis, quæ solâ mente

nente cernitur, & quæ pertinet ad Angelo- In ps. 58.
·um & Beatorum Societatem communio- Serm. 1.
ıemque, non nisi de cælo diffusa veniet?
Sed audiamus S. August. Fortitudinem "
neam ad te custodiam, quia si recedo, cado, "
i accedo, fortior fio; Videte enim quid est, "
ratres, in animâ humanâ. Non habet ex se "
umen, non habet ex se vires; Totum autem "
uod pulchrum est in animâ, virtus est, "
ι sapientia: sed nec sapit sibi, nec valet "
bi, nec ipsa sibi lux est, nec ipsa sibi "
irtus est. Est quædam origo, fonsque "
irtutis, est quædam radix sapientiæ, est "
uædam, vt ita dicam, & si hoc dicen- "
ım est, regio incommutabilis veritatis.
ıb hac anima recedens tenebratur, ac-
:dens illuminatur. Nempe Deus Opt.
Iax. de quo dictum est. *Accedite ad eum,* Ps. 33. 6.
illuminami i &c. & alio loco. Ergo Ps. 70.
uisquis ita vult esse similis Deo, vt ad Serm. 2.
um stet, fortitudinemque suam, sicut scri-
:um est, ad illum custodiat, non ab illo
dat, ei cohærendo signetur, tanquam ex
ınulo cera, illi affixus habeat imaginem
us, faciens quod dictum est. *Mihi autem* Ps. 72. 28.
hærere Deo bonum est &c.
Porro autem si peruersè voluerit imi- "
ri Deum, vt quomodo Deus non ha- "
:t à quo formetur, non habet à quo "
gatur; sic ipse velit suâ potestate vti, "
quomodo Deus nullo formante, nullo "
gente, viuat, quid restat fratres, nisi vt "
cedens, ab eo, quod summè atque in- "
 com-

Luc. 15. commutabiliter est, in deterius mutatus
" deficiat? quod proximè supra comproba-
" rat exemplo filij minoris, qui voluit in
" suâ potestate habere substantiam suam,
" quæ illi apud Patrem optimè seruabatur,
" factus suę potestatis, profectus est in re-
" gionem longinquam, hæsit principi malo,
" porcos pauit, fame correptus est, qui sa-
" turitate superbus abscesserat. Vt homo sit
" aliquid, conuertat se ad Deum, à quo crea-
" tus est. Recedendo tenebrescit, acceden-
" do clarescit. A quo enim habet vt sit,
" apud illum habet, vt ei bene sit. Non
" alius sanè potest esse author bonæ ac san-
ctæ vitæ, quàm qui author est vitæ.

Ipsos quoque iustificatos egere gratiâ Christi, ad quęuis opera salutis, ante demonstratum est; quare duplici egemus Dei gratiâ, iustificationis habituali, & insuper actuali Diuinæ charitatis inspiratione, quâ ad omne opus bonum excitemur, in eoque exercendo adiuuemur.

lib. 1. de Diui. qu. ad Simpl. Appositè idem S. Augustin. Primò est gratia, consequenter sunt bona opera, non quæ gratiam pariant, sed quæ gratiâ pariantur: Non enim vt ferueat, calefacit ignis; sed, quia feruet: Nec ideo bene currit rota, vt rotunda sit; sed quia rotunda est; sic nemo propterea bene operatur, vt accipiat gratiam, sed quia accepit. Quomodo enim potest iustè viuere, qui non fuerit iustificatus? quomodo sanctè viuere, qui non fuerit sanctifica-

tus?

tus? Vel omnino viuere, qui non fuerit viuificatus?

Sed neque vita gratiæ habitualis sola sufficit, nisi velut influxus quidam actualis gratię in singula salutis opera deriuetur: vt quomodo per spiritus vitales animalesque à corde diffusos, à cerebro temperatos, vita tum vegetans, tum sentiens in omnia corporis membra diffunditur; sic à Deo inspirationum diuinarum vita, mentis nostræ facultatibus omnibus communicetur; quò pertinet illa eiusdem S. Augustin. similitudo de oculo etiam perfectè sano, qui nisi luce illustretur, nihil tamen cernere potest; etsi licantur oculi lumina.





CAPVT XV.

Aduersus idem Paradoxum; bonorum virorum societatem, ac consuetudinem vehementer expetendam.

QVamquàm non abhorrent Stoici ab omni hominum consortio, & conuictu, tamen nihil illo se egere demonstrant, ac veluti magnificant, magno viro, & sapiente dignam vocem illam celebrant Pub. Africani, quem dicere solitum scripsit Cato, qui fuit eius ferè æqualis; nunquam se minus otiosum esse, quam cum esset otiosus, nec minus solum, quàm cum solus esset.

Cicer.l.3. de offic.

Quæ duæ res languorem afferebant cæteris, illum acuebant, otium & solitudo; Et in otio de negotijs cogitabat, & in solitudine secum loqui solitus, alterius colloquio non indigebat. Sed valdè vereor, ne Stoicus, dum secum plurimum loquitur, cum homine stulto, ac nequam loquatur, otiumque eius sit omni negotio deterius; Quin quiduis aliud agere ei præstet, quàm omnino nihil agere. Nam, vt præclarè dictum est à S. Augustino:

In ps.121. Omnis superbus se attendit, & magnus sibi videtur, quia sibi placet, sed qui sibi placet,

placet, stulto homini placet, quia ille ipse stultus est, cum sibi placet solus, solus securus placet, qui Deo placet. Et quis est, qui placet Deo? Cui placet Deus; displicere sibi Deus non potest; Placeat & tibi, vt placeas illi; sed tibi ille placere non poterit, nisi tu tibi displicueris; Si autem displices tibi, tolle à te oculum. Vt quid te enim attendis? Si enim verum te attendis, inuenis in te, quod tibi displiceat, & dicis Deo: Peccatum meum ante me est semper. Peccatum tuum sit ante te, vt non sit ante Deum. Atque, vt alio quodam loco ait idem S. Augustinus, tamdiu est aliquid homo, quamdiu hæret illi, à quo factus est homo; Nam recedens à Deo, nihil est homo.

Otium igitur, & solitudinem vehementer approbarunt Christiani Philosophi; si ad versandum cum Deo, orandum, ac contemplandum referatur; si ad desertum illud confugiatur interius conscientiæ, vbi nemo tecum est, vbi tu & Deus est, inquit S. August. In ps. 54.

Celebratur illud Aristotelis; Qui solus secum vitam agat, aut Deum esse, aut peculem; cuiusmodi & illud est Hieronymi, aduersus Apatheiam: Qui careat omni affectu, aut Deus est, aut saxum. Etenim homo animal sociale est, atque vt plurimorum eget subsidijs, ab alijsque ad virtutem capessendam, & finem suum assequendum adiuuandus est, sic & ipse plurimis debet opitulari, & quod diuinitus accepit talentum, in aliorum salutem erogare: Nam nulli prodesse, impium & crudele. Quod vt probem, quo potius vtar

authore quam Sancto Augustin.

" Nonne hoc docuit Dominus meus? Non
" enim damnauit seruum, qui interuertit, quod
" accepit, sed qui non erogauit. Intelligatur
" pæna interuersoris ex pæna pigri; serue ne-
" quam & piger, ait Dominus damnans; non
" ait; interuertisti pecuniam meam, non ait;
" Dedi tibi, & non mihi; quod dedi, inte-
" grum reddidisti. Quia non creuit, quia non
" erogasti, inde, inquit, te puniam. Auarus
" est Deus salutis nostræ. Nemo ita rerum cæ-
lestium ac diuinarum contemplationi debet esse addictus, quin & proximis subleuandis, cum se dat occasio, partem aliquam vitæ, atque otij debeat attribuere, Apostoli exemplo, cuius illud est charitatis elogium singulare; *Siue mente excedimus, Deo: siue sobrij sumus, vobis. Charitas Christi vrget nos, æstimantes hoc, quoniam si vnus pro omnibus mortuus est. &c.* 2.Corint. 5.13.

Sapientes Christiani, qui maximè cæteris iuuandis opem suam conferunt, similes esse debent Angelis, quos Patriarcha Iacob conspicatus est in scala ad cælos è terris porrecta, gradientes ac commeantes; nunc ad Deum ascendentes, pro hominibus vota facturi; nunc ad homines, eius responsa, ac dona relaturi. Præclarè scriptum est à Platone; non nobis solum nati sumus, sed ortus nostri partem patria, partem parentes vindicant, partem amici; Atque id quoque placet Stoicis, quæ in terris gignuntur, ad hominum vsum creari, homines autem hominum causâ esse generatos, vt ipsi inter se alijs prodesse possint; in

oc debemus naturam ducem sequi, & communes vtilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo, tum artibus, um opera, tum facultatibus deuincire hominum inter homines societatem.

Neque verò tantum expetenda est communis vitæ societas, aliorumque consuetudo, ti eos adiuues, & in eis operam tuam confesis; sed multò maximè, vt adiuueris ab eis, : quæ tum ad profectum virtutum, tum verò iam ad huius vitæ necessitates, presidia opus ibes, ab ijs opportunè mutueris. Per se enim omo omnium rerum egentissimus est, atque eò perductus infelicitatis, vt sine pluriorum ope saluus, atque incolumis esse non ossit.

Deus meus in te confido, non erubescam. x eo enim, quod in me confidebam, verba nt S. Aug. perductus sum ad istam infirmitem carnis, qui deserto Deo, sicut Deus e volui, à minutissimâ bestiolâ mortem mens, de superbia mea irrisus erubui. Nam opter superbiam instituit Deus istam creaam minimam & abiectissimam, vt ipsa os torqueret; vt cum superbus fuerit homo, se iactauerit aduersus Deum; & cùm sit ortalis, mortalem terruerit: & cùm sit homo, oximum hominem non agnouerit, cùm se exerit, pulicibus subdatur. Quid est, quod inflas humana superbia? Homo tibi dixit nuitium, & tremuisti, & iratus es; pulicibus siste, vt dormias. Cognosce, qui sis. Nam noueritis, fratres, propter superbiam no-

In Ps. 24.

Tract. 1. in Ioan.

 stram

ſtram domandam, creata iſta quæ moleſta eſſent. Populum Pharaonis ſuperbum potuit Deus domare de vrſis, de leonibus, de ſerpentibus; Muſcas, & ranas illis immiſit, vt rebus viliſsimis ſuperbia domaretur. Sanè in Sciniphibus educendis victi ſunt malefici Pharaonis, & dixerunt: *Digitus Dei eſt hic*.

Exod. 8. v. 19.

Quod ad Stoicorum ſuperbiam coarguendam, & deridendam pertinet. Cæterum & ipſe Seneca, ad eruditionem, & inſtitutionem, magnoperè requirendam virorum proborum ſocietatem, ac conſuetudinem non vno loco docet. Homines plus oculis, quàm auribus credunt, iuxta illud Horatij;

Ep. 6.

Segnius irritant animos demiſſa per aurem,
Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus;

De arte poetica.

Deinde longum iter per præcepta; breue, & efficax per exempla: Aliquis vir bonus nobis eligendus eſt, ac ſemper ante oculos habendus, vt tanquàm illo ſpectante viuamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus. Hoc mi Lucili, Epicurus præcepit, cuſtodem nobis & pedagogum dedit, nec immerito; Magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis adſiſtat. Aliquem habeat animus, quem vereatur, cuius authoritate ſecretum ſuum ſanctius faciat. O fælicem illum, qui non actus tantum, ſed & cogitatus emendat! O fælicem illum, qui ſic aliquem vereri poteſt, vt ad memoriam quoque eius ſe componat, atque ordinet! Qui ſic aliquem vereri poteſt, citò verendus erit. Elige itaque Catonem; ſi hic

Ep. 11.

hic tibi videtur nimis rigidus, elige remissioris animi virum, Lælium: elige eum cuius tibi placuit & vita, & oratio, & ipsius animum ante te ferens & vultus, illum semper tibi ostende, vel custodem, vel exemplum. Opus est aliquo, ad quem mores nostri se exigant: nisi ad regulam, praua non corriges.

Deus animo præsens circumferendus est, Deus oculis fidei semper intuendus: vti ad eius conspectus non actus modò, sed & cogitatus emendemus; sequamur illum, qui cum Elia dicere queat: *Viuit Dominus exercituum, ante cuius vultum sto*: & cum Dauide; *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear*. Cæterum, si Seneca virum aliquem demortuum, Catonem, aut Lælium, memoria circumferendum existimat; Quantò optabilius sit, si non vnius modò, aut plurium viuentium consuetudine perfruaris, quorum sermonibus erudiaris atque instituaris, quorum et tacitis exemplis ad omnem virtutem extimuleris, quorum vestigijs insistens quotidie maioris profectus incrementa capias? 3 Reg. 18. 15. Psal. 15. 8. Ep. ad Ra. Mon.

Sed audiamus Hieron. de hoc vberius argumento differentem. Mihi quidem placet, vt habeas SS. contubernium, nec ipse te doceas, & absque Doctore ingrediaris viam, quam nunquam ingressus es; statimque tibi in partem alteram declinandum



CAPVT XVI.

Nonvm Paradoxvm; *Omnia Sapientis esse, & solum diuitem censendum.*

l. 2. de Abraham. cap. 8. PAradoxum hoc ad Christianos verius, quàm ad Stoicos pertinere, demonstrat S. Ambros. Sapientia omnium mater est, & " ipsa orbem terrarum possidet. Abrahamo " data est omnis terra; sed quando? postquam " à Loth discesserat, à vitijs & deflectione mo- " rum. Salomon ait: Eius qui fidelis est, totus " mundus diuitiarum. Quantò prior Salomon, " quam Zenon Stoicorum Magister, atque " author sectę ipsius? Quis autem fidelis, nisi " sapiens? Imò verò quis sapiens, nisi fidelis?

Non rarò paupertatem laudibus celebrant Epictetus, & Seneca, imò & ipse Epicurus; sed quem tamen in finem illa referenda esset, ignorabant; nec contemptu magis, quam vsu diuitias possideri, atque omne earum vitium in immoderata esse cupiditate, non perinde, vt nostri clarè explicabant. Non improbanda tamen, quæ ex ore gentilium philosophorum veritas expressit, sed benignè potius interpretanda. Stulta Sen. ep. 72 mortalium auaritia, possessionem proprietatemque

atemque discernit, nec quicquam suum cre-
lit esse, quod publicum est: Sapiens aliter,
qui publicis vt priuatis fruitur, priuatis vt
publicis. Quoniam ipsa natura dat illi sortem
omnium, etiamsi ipse nihil possideat, sua
putat naturæ munera, nec illis indiget; etiamsi
desint ei ad vitam necessaria. Namque Mu-
sicus organa, & medicus medicamenta etiamsi
non habet, habet tamen eo ipso, quod pos-
sit his vti, etiamsi ad tempus eorum vsus non
suppetat. Solus igitur diues Sapiens, & om-
nia sunt eius, quia virtutes possidet, thesau-
ris omnibus pretiosiores, quibus externis
diuitijs scit vti; quibus etsi quandoque opus
habet, tamen non indiget, quia indigentia
est libido inexplebilis; Indigere est non ha-
bere, & velle, idque sine modo; Quare di-
cimus eum maximè diuitijs frui, qui minimè
diuitijs indiget, & eum minimè frui, qui ma-
ximè indiget, qui eas auidè cupit.

Tusc. 4. Sen. ep. 14

Posterius videbimus, an Stoici virtutes
possideant, quibus externis bonis sciant vti;
illudque discriminis, si quod est egere inter,
& indigere; prætermittemus. Quid aliud
diues, ait Varro, nisi à diuo? quia vt Deus,
nihil indigere videatur. Nunc in eo Stoicis
repugnamus, quod sapientem nulla re tan-
quam priuata vti velimus, sed omnibus vt
publicis. Nam si priuatis suis vti debet tan-
quam publicis, & vt loquar apertius S. Au-
gustin. verbis, superflua diuitum necessaria
sunt pauperum; quantò minus debet vti
publicis, tanquam priuatis, nihilque in eis
sibi debet arrogare, quasi solus eis vti norit?

Aug. in ps. 147.

Nec



CAPVT XIV.

Octavvm Paradoxvm; *Sapientem sibi sufficere, siue se solo contentum esse.*

NOn eo dumtaxat hoc Paradoxum spectat, vt intelligamus Sapientem aliorum consuetudine non egere, ac viuere posse in solitudine, cum ipse sibi sit omnia nec ab vllo homine dependeat. Sed qui supremus est superbiæ gradus, quod nec ab ipso Deo, in paranda virtute, ac beatâ vitâ dependeat; sit ipse sibi Deus, se Deum faciat, à se iustus ac beatus existat, sibimet sufficiat. Fuerunt qui nos abducerent ab omni consortio, & Sen. ep. 9. amicitia, Stilpo, Tymon, & alij osores hominum. At Stoicis aliter visum. Nam illud quidem cum illis commune est, sapientem seipso contentum esse, sed tamen & amicum habere vult, & vicinum, & conturbernalem, quamuis ipse sibi sufficiat. Sociale animal homo est, & inter homines Sapiens, & tamen non viuet, si fuerit sine homine victurus, non modo sine amico, sed nihilo secius oportet & in hoc exerceri vt possit sibi ipse sufficere, possit secum esse, sicut Iupiter secum est, atque agit, & in se acquiescit, & gubernationem suam

suam mente agitat, & cogitationibus fruitur se dignis.

Quæ comparatio Epicteti, & Senecæ magnifica videtur multisque vehementer arridet; sed vereor ne superbiæ sit & arrogantiæ plenissima, ne dicam blasphemiæ: Huc cogitationes tuæ tendant, hoc cura, hoc opta, omnia alia vota Deo remissurus, vt contentus sis temetipso, & ex te nascentibus bonis. Quæ potest esse felicitas Deo proprior. Ep. 20.

Scipio, ad legatum Regis Anthiochi apud Liui. 137. Ex ijs quæ in Deorum immortalium potestate erant, ea habemus, quæ Dei dederunt; Animos qui nostrę mentis sunt, eosdem in omni fortunâ gessimus, gerimusque; quo pertinet illud Poëtæ,

Sed satis est, orare Iouem qui donat & aufert.
Det vitam, det opes, æquum mihi animum ipse parabo.

Itaque Cotta apud Ciceronem. Quis, quod bonus vir esset, gratias Deo egit vnquam? At quod diues, quod honoratus, quod incolumis? Verum id per quàm iniquum, & absurdum videtur. A Deo expectemus inferiora bona, quę minimi sunt momenti, & ad beatam vitam parum aut omnino nihil conferant: Animi superiora, in quibus ipsa beata vita consistit virtutem, æquitatem, ac tranquillitatem non expectemus. 3. de natura deor.

Habemus quidem à Deo liberum arbitrium; sed sine Diuinâ ope quid illud potest? Mentis nostræ compotes sumus, sed illa sine Dei præsidio languet infirmissima, est ad omne virtutis opus

tis opus impotens, in malum procliuis, sibi dux in præceps vt euincunt quæ de gratiæ necessitate disputata sunt.

Si Sapiens sibi sufficit, se solo contentus est, sibi ergo Deus est, sibi author vitæ, ac naturę, se condidit, seque conseruat, se regit, immortalis est, æternus est indeficiens, seipso beatus, & perfectus; Quod si vitam sibi ipse non tribuit, si continenter eam à Dei benignâ manu conseruatrice recipit, magisque ab eâ, quam à sole radij solares, dependet; si continuo in decursu versatur vita sapientis, suisque decrescit augmentis sine vlla quiete, donec ipsa morte finiatur, & clepsidræ instar exhauriatur, qui sibi potest sufficere Deo secluso? quomodo sine Deo, seipso erit contentus? Quantò verius rectiusque sapientem Christianum dixerimus Deo solo contentum esse, illi Deum vnum sufficere, cum id omni contentione mentis enitatur, vt à seipso deficiat, se ipso inquam, omni erroris, vitij, defectus, mali peccati, corruptionis origine, & in Deum profectus eius, atque omnis virtutis, bonique authorem ac largitorem transeat.

Multus est in hoc paradoxo refellendo S. August. pugnat enim ex diametro cum Diuinâ gratiâ, & quæ illi innititur, humilitatis virtute: pugnat cum aperta veritate, diuinis litteris sępissime consignata. Si Dei donum est. Ipsa vita, multo magis Dei donum erit Vita Bona, Iusta, Sancta, Beata; si lux quæ corporeis oculis cernitur, vna cum brutis animalibus nobis communis, è cælo delapsa venit; Quanto magis lux inuisibilis, quæ solâ mente

nente cernitur, & quæ pertinet ad Angelo- In pf. 35.
um & Beatorum Societatem communio- Serm. 1.
iemque, non nisi de cælo diffusa veniet?

Sed audiamus S. August. Fortitudinem »
neam ad te custodiam; quia si recedo, cado, »
accedo, fortior fio; Videte enim quid est, »
atres, in animâ humanâ. Non habet ex se »
imen, non habet ex se vires; Totum autem »
iod pulchrum est in animâ, virtus est, »
sapientia: sed nec sapit sibi, nec valet »
bi, nec ipsa sibi lux est, nec ipsa sibi »
rtus est. Est quædam origo, fonsque »
rtutis, est quædam radix sapientiæ, est »
ıædam, vt ita dicam, & si hoc dicen- »
im est, regio incommutabilis veritatis.
b hac anima recedens tenebratur, ac-
dens illuminatur. Nempe Deus Opt.
ax. de quo dictum est. *Accedite ad eum, et illuminamini &c.* & alio loco. Ergo Ps. 33. 6. Ps. 70. Serm. 2.
iisquis ita vult esse similis Deo, vt ad
um stet, fortitudinemque suam, sicut scri-
im est, ad illum custodiat, non ab illo
lat, ei cohærendo signetur, tanquam ex
nulo cera, illi affixus habeat imaginem
is, faciens quod dictum est. *Mihi autem adhærere Deo bonum est &c.* Ps. 72. 28.

Porro autem si peruersè voluerit imi- »
i Deum, vt quomodo Deus non ha- »
t à quo formetur, non habet à quo »
gatur; sic ipse velit suâ potestate vti, »
quomodo Deus nullo formante, nullo »
ente, viuat, quid restat fratres, nisi vt »
edens, ab eo, quod summè atque in- »

X com-

Luc. 15. commutabiliter est, in deterius mutatus
" deficiat? quod proximè supra comproba-
" rat exemplo filij minoris, qui voluit in
" suâ potestate habere substantiam suam,
" quæ illi apud Patrem optimè seruabatur,
" factus suę potestatis, profectus est in re-
" gionem longinquam, hæsit principi malo,
" porcos pauit, fame correptus est, qui sa-
" turitate superbus abscesserat. Vt homo sit
" aliquid, conuertat se ad Deum, à quo crea-
" tus est. Recedendo tenebrescit, acceden-
" do clarescit. A quo enim habet vt sit,
" apud illum habet, vt ei bene sit. Non
" alius sanè potest esse author bonæ ac san-
ctæ vitæ, quàm qui author est vitæ.

Ipsos quoque iustificatos egere gratiâ Christi, ad quęuis opera salutis, ante demonstratum est; quare duplici egemus Dei gratiâ, iustificationis habituali, & insuper actuali Diuinæ charitatis inspiratione, quâ ad omne opus bonum excitemur, in eoque exercendo adiuuemur.

lib. 1. de Diui. qu. ad Simpl. Appositè idem S. Augustin. Primò est gratia, consequenter sunt bona opera, non quæ gratiam pariant, sed quæ gratiâ pariantur: Non enim vt ferueat, calefacit ignis; sed, quia feruet: Nec ideo bene currit rota, vt rotunda sit; sed quia rotunda est; sic nemo propterea bene operatur, vt accipiat gratiam, sed quia accepit. Quomodo enim potest iustè viuere, qui non fuerit iustificatus? quomodo sanctè viuere, qui non fuerit sanctificatus?

us? Vel omnino viuere, qui non fuerit viuificatus?

Sed neque vita gratiæ habitualis sola sufficit, nisi velut influxus quidam actualis gratię in singula salutis opera deriuetur: vt quomodo per spiritus vitales animalesque corde diffusos, à cerebro temperatos, vita um vegetans, tum sentiens in omnia corporis membra diffunditur; sic à Deo inspirationum diuinarum vita, mentis nostræ facultatibus omnibus communicetur; quò pernet illa eiusdem S. Augustin. similitudo de culo etiam perfectè sano, qui nisi luce ustretur, nihil tamen cernere potest; etsi cantur oculi lumina.





CAPVT XV.

Aduersus idem Paradoxum; bonorum virorum societatem, ac consuetudinem vehementer expetendam.

QVamquàm non abhorrent Stoici ab omni hominum consortio, & conuictu, tamen nihil illo se egere demonstrant, ac veluti magnificant, magno viro, & sapiente dignam vocem illam celebrant Pub. Africani, quem dicere solitum scripsit Cato, qui fuit eius ferè æqualis; nunquam se minus otiosum esse, quam cum esset otiosus, nec minus solum, quàm cum solus esset.

Cicer. l. 3. de offic.

Quæ duæ res languorem afferebant cæteris, illum acuebant, otium & solitudo; Et in otio de negotijs cogitabat, & in solitudine secum loqui solitus, alterius colloquio non indigebat. Sed valdè vereor, ne Stoicus, dum secum plurimum loquitur, cum homine stulto, ac nequam loquatur; otiumque eius sit omni negotio deterius; Quin quiduis aliud agere ei præstet, quàm omnino nihil agere. Nam, vt præclarè dictum est à S. Augustino:

In ps. 121.

Omnis superbus se attendit, & magnus sibi videtur, quia sibi placet, sed qui sibi placet,

lacet, stulto homini placet, quia ille ipse „
tultus est, cum sibi placet solus, solus securus „
lacet, qui Deo placet, Et quis est, qui placet „
)eo? Cui placet Deus; displicere sibi Deus „
on potest; Placeat & tibi, vt placeas illi; „
:d tibi ille placere non poterit, nisi tu tibi „
isplicueris; Si autem displices tibi, tolle à „
: oculum. Vt quid te enim attendis? Si „
nim verum te attendis, inuenis in te, quod „
ibi displiceat, & dicis Deo: Peccatum meum „
nte me est semper. Peccatum tuum sit ante „
:, vt non sit ante Deum. Atque, vt alio „
juodam loco ait idem S. Augustinus, tam- „
iu est aliquid homo, quamdiu hæret illi, à quo „
ctus est homo; Nam recedens à Deo, nihil „
st homo.

Otium igitur, & solitudinem vehementer
)probarunt Christiani Philosophi; si ad ver-
ndum cum Deo, orandum, ac contemplan-
ım referatur; si ad desertum illud confugia-
ır interius conscientiæ, vbi nemo tecum In ps. 54.
t, vbi tu & Deus est, inquit S. August.

Celebratur illud Aristotelis; Qui solus se-
ım vitam agat, aut Deum esse, aut pecu-
:m; cuiusmodi & illud est Hieronymi, ad-
ersus Apatheiam: Qui careat omni affectu,
ıt Deus est, aut saxum. Etenim homo ani-
ıal sociale est, atque vt plurimorum eget
ıbsidijs, ab alijsque ad virtutem capessen-
ım, & finem suum assequendum adiuuandus
st, sic & ipse plurimis debet opitulari, & quod
iuinitus accepit talentum, in aliorum salu-
'm erogare: Nam nulli prodesse, impium &
'udele. Quod vt probem, quo potius vtar

authore quam Sancto Augustin.

" Nonne hoc docuit Dominus meus? Non
" enim damnauit seruum, qui interuertit, quod
" accepit, sed qui non erogauit. Intelligatur
" pæna interuersoris ex pæna pigri; serue ne-
" quam & piger, ait Dominus damnans; non
" ait; interuertisti pecuniam meam, non ait;
" Dedi tibi, & non mihi; quod dedi, inte-
" grum reddidisti. Quia non creuit, quia non
" erogasti, inde, inquit, te puniam. Auarus
est Deus salutis nostræ. Nemo ita rerum cælestium ac diuinarum contemplationi debet esse addictus, quin & proximis subleuandis, cum se dat occasio, partem aliquam vitæ, atque otij debeat attribuere, Apostoli exemplo, cuius illud est charitatis elogium singulare; *Sine mente excedimus, Deo: siue sobrij sumus, vobis. Charitas Christi vrget nos, æstimantes hoc, quoniam si vnus pro omnibus mortuus est. &c.* 2. Corint. 5. 13.

Sapientes Christiani, qui maximè cæteris iuuandis opem suam conferunt, similes esse debent Angelis, quos Patriarcha Iacob conspicatus est in scala ad cælos è terris porrecta, gradientes ac commeantes; nunc ad Deum ascendentes, pro hominibus vota facturi; nunc ad homines, eius responsa, ac dona relaturi. Præclarè scriptum est à Platone; non nobis solum nati sumus, sed ortus nostri partem patria, partem parentes vindicant, partem amici; Atque id quoque placet Stoicis, quæ in terris gignuntur, ad hominum vsum creari, homines autem hominum causâ esse generatos, vt ipsi inter se alijs prodesse posint; in

hoc

oc debemus naturam ducem sequi, & com-
unes vtilitates in medium afferre, mutatio-
e officiorum, dando, accipiendo, tum artibus,
am opera, tum facultatibus deuincire ho-
inum inter homines societatem.

Neque verò tantum expetenda est commu-
is vitæ societas, aliorumque consuetudo,
ti eos adiuues, & in eis operam tuam confe-
as; sed multò maximè, vt adiuueris ab eis,
: quæ tum ad profectum virtutum, tum verò
iam ad huius vitæ necessitates, præsidia opus
abes, ab ijs opportunè mutueris. Per se enim
omo omnium rerum egentissimus est, at-
ue eò perductus infelicitatis, vt sine pluri-
iorum ope saluus, atque incolumis esse non
ossit.

Deus meus in te confido, non erubescam.
x eo enim, quod in me confidebam, verba
int S. Aug. perductus sum ad istam infirmi- In Ps. 24.
item carnis, qui deserto Deo, sicut Deus
se volui, à minutissimâ bestiolâ mortem
mens, de superbia mea irrisus erubui. Nam Tract. 1. in Ioan.
ropter superbiam instituit Deus istam crea-
iram minimam & abiectissimam, vt ipsa
os torqueret; vt cum superbus fuerit homo,
: se iactauerit aduersus Deum; & cùm sit
iortalis, mortalem terruerit: & cùm sit homo,
roximum hominem non agnouerit, cùm se
exerit, pulicibus subdatur. Quid est, quod
: inflas humana superbia? Homo tibi dixit
onuitium, & tremuisti, & iratus es; pulicibus
siste, vt dormias. Cognosce, qui sis. Nam
: noueritis, fratres, propter superbiam no-

 stram

ſtram domandam, creata iſta quæ moleſta eſſent. Populum Pharaonis ſuperbum potuit Deus domare de vrſis, de leonibus, de ſerpentibus; Muſcas, & ranas illis immiſit, vt rebus vilisſimis ſuperbia domaretur. Sanè in Sciniphibus educendis victi ſunt malefici Pharaonis, & dixerunt: *Digitus Dei eſt hic*.

Exod. 8. v. 19.

Quod ad Stoicorum ſuperbiam coarguendam, & deridendam pertinet. Cæterum & ipſe Seneca, ad eruditionem, & inſtitutionem, magnoperè requirendam virorum proborum ſocietatem, ac conſuetudinem non vno loco docet. Homines plus oculis, quàm auribus credunt, iuxta illud Horatij;

Ep. 6.

Segnius irritant animos demiſſa per aurem,
Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus;

De arte poetica.

Deinde longum iter per præcepta; breue, & efficax per exempla: Aliquis vir bonus nobis eligendus eſt, ac ſemper ante oculos habendus, vt tanquàm illo ſpectante viuamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus. Hoc mi Lucili, Epicurus præcepit, cuſtodem nobis & pedagogum dedit, nec immeritò; Magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis adſiſtat. Aliquem habeat animus, quem vereatur, cuius authoritate ſecretum ſuum ſanctius faciat. O fælicem illum, qui non actus tantum, ſed & cogitatus emendat! O fælicem illum, qui ſic aliquem vereri poteſt, vt ad memoriam quoque eius ſe componat, atque ordinet! Qui ſic aliquem vereri poteſt, citò verendus erit. Elige itaque Catonem;

Ep. 11.

hic tibi videtur nimis rigidus, elige remissioris animi virum, Lælium: elige eum cuius tibi placuit & vita, & oratio, & ipsius animum ante te ferens & vultus, illum semper tibi ostende, vel custodem, vel exemplum. Opus ast aliquo, ad quem mores nostri se exigant: nisi ad regulam, praua non corriges.

Deus animo præsens circumferendus est, Deus oculis fidei semper intuendus: vti ad eius conspectus non actus modò, sed & cogitatus emendemus; felicem illum, qui cum Elia dicere queat: *Viuit Dominus exercituum, ante cuius vultum sto*: & cum Dauide; *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear*. Cæterum, si Seneca virum aliquem demortuum, Catonem, aut Lælium, memoria circumferendum existimat; Quantò optabilius sit, si non vnius modò, aut plurium viuentium consuetudine perfruaris, quorum sermonibus erudiaris atque instituaris, quorum vel tacitis exemplis ad omnem virtutem extimuleris, quorum vestigijs insistens quotidie maioris profectus incrementa capias? 3 Reg. 18. 15. Psal. 15. 8. Ep. ad Ru. Mon.

Sed audiamus Hieron. de hoc vberius argumento differentem. Mihi quidem placet, vt habeas SS. contubernium, nec ipse te doceas, & absque Doctore ingrediaris viam, quam nunquam ingressus es; statimque tibi in partem alteram declinandum

" nandum sit; & errori patens, plus aut mi-
" nus ambules, quàm necesse est: ne aut
" currens lasseris, aut moram faciens ob-
" dormias. In solitudine citò surrepit super-
" bia; Et si parumper ieiunauerit, homi-
" nemque non viderit, putat se alicuius esse
" momenti, oblitusque sui, vnde, & quò
venerit, intus corde, linguâ foris vagatur.
Rom. 14. Iudicat contra Apostoli voluntatem alie-
" nos seruos; quo voluerit gula, manum
" porrigit: Dormit quantum voluerit; nul-
" lum veretur; facit quod voluerit, omnes
" inferiores se putat, crebriusque in vrbi-
" bus, quàm in cellula est; & inter fratres
" simulat verecundiam, qui platearum turbis
" colliditur.


Quid igitur? solitariam vitam repre-
" hendimus? Minimè; quippe quam sæpè
" laudauimus; sed de ludo monasteriorum
" huiusmodi volumus egredi milites, quos
" eremi dura rudimenta non terreant, qui
" specimen conuersionis suæ multo tem-
" pore dederint, qui omnium minimi fue-
" rint, vt omnium primi fierent, quos nec
" esuries aliquando, nec saturitas superauit,
" qui paupertate lætantur, quorum habitus,
" sermo, vultus, incessus, doctrina virtutum
" est. &c.

" Multis interpositis, de Græco adoles-
" cente, qui iussu Magistri exagitatus. Papæ
" aiebat, viuere mihi non licet, & fornicari
" libeat? hic si solus fuisset, quo adiutore su-
" perasset? alijsque compluribus in eandem
senten-

ſententiam interiectis. Nulla ars abſque Magiſtro diſcitur, &c. Per hæc omnia ad " illud tendit oratio, vt doceam te non tuo " arbitrio dimittendum, ſed viuere debere " in Monaſterio, ſub vnius diſciplina Pa- " tris conſortioque multorum, vt ab alio " diſcas humilitatem, ab alio patientiam, hic " te ſilentium, ille te doceat manſuetudinem; Non facias quod vis, comedas quod iuberis, veſtiare quód acceperis, operis tui penſum perſoluas. Sed de laudibus obedientiæ copioſius aliàs, qua nulla poteſt eſſe totius vitæ noſtræ dux ac Magiſtra certior, præſtantior, eadem honeſtiſsima, vtiliſsima, iucundiſsima.



CA-



CAPVT XVI.

Nonvm Paradoxvm; *Omnia Sapientis esse, & solum diuitem censendum.*

l. 2. de Abraham. cap. 8. Paradoxum hoc ad Christianos verius, quam ad Stoicos pertinere, demonstrat S. Ambrof. Sapientia omnium mater est, & « ipsa orbem terrarum possidet. Abrahamo « data est omnis terra; sed quando? postquam « à Loth discesserat, à vitijs & deflectione mo- « rum. Salomon ait, Eius qui fidelis est, totus « mundus diuitiarum. Quantò prior Salomon, « quam Zenon Stoicorum Magister, atque « author sectę ipsius? Quis autem fidelis, nisi « sapiens? Imò verò quis sapiens, nisi fidelis?

Non rarò paupertatem laudibus celebrant Epictetus, & Seneca, imò & ipse Epicurus; sed quem tamen in finem illa referenda esset, ignorabant; nec contemptu magis, quam vsu diuitias possideri, atque omne earum vitium in immoderata esse cupiditate, non perinde, vt nostri clarè explicabant. Non improbanda tamen, quæ ex ore gentilium philosophorum veritas expressit, sed benignè potius interpretanda. Stulta Sen. ep. 72 mortalium auaritia, possessionem proprie-

tatemque

ıtemque diſcernit, nec quicquam ſuum cre-
it eſſe, quod publicum eſt. Sapiens aliter,
ui publicis vt priuatis fruitur, priuatis vt
ublicis. Quoniam ipſa natura dat illi ſortem
mnium, etiamſi ipſe nihil poſſideat, ſua
ıtat naturæ munera, nec illis indiget; etiamſi
eſint ei ad vitam neceſſaria. Namque Mu-
cus organa, & medicus medicamenta etiamſi
on habet, habet tamen eo ipſo, quod poſ-
t his vti, etiamſi ad tempus eorum vſus non
ıppetat. Solus igitur diues Sapiens, & om-
ia ſunt eius, quia virtutes poſsidet, theſau-
s omnibus pretioſiores, quibus externis
uitijs ſcit vti; quibus etſi quandoque opus
ıbet, tamen non indiget, quia indigentia
t libido inexplebilis; Indigere eſt non ha-
ere, & velle, idque ſine modo; Quare di-
mus eum maximè diuitijs frui, qui minimè
uitijs indiget, & eum minimè frui, qui ma-
mè indiget, qui eas auidè cupit.

Tuſc. 4. Sen. ep. 14

Poſterius videbimus, an Stoici virtutes
oſsideant, quibus externis bonis ſciant vti,
udque diſcriminis, ſi quod eſt egere inter,
indigere; prætermittemus. Quid aliud
ues, ait Varro, niſi à diuo? quia vt Deus,
ihil indigere videatur. Nunc in eo Stoicis
pugnamus, quod ſapientem nulla re tan-
ıam priuata vti velimus, ſed omnibus vt
ıblicis. Nam ſi priuatis ſuis vti debet tan-
uam publicis, & vt loquar apertius S. Au-
uſtin. verbis, ſuperflua diuitum neceſſaria
ınt pauperum; quantò minus debet vti
ıblicis, tanquam priuatis, nihilque in eis
bi debet arrogare, quaſi ſolus eis vti norit?

Aug. in pſ. 147.

Nec

Nec publicis, nec priuatis affici debet, & si non potest à possessione rei priuatæ abstinere, debet certè ab amore & affectu. Priuata enim res ipsa, vbi homo acquiescit, superbos facit. In re quam priuatim quisquam posside, necesse est vt superbus sit. Propter illa quæ singuli possident, existunt lites, inimicitiæ, discordiæ, bella, tumultus, dissensiones, non propter ea quæ communiter possident. Nec illud admittimus, sapientem non indigere, vel egere, si ad vitam necessaria non suppetunt; imò diuites quoque dicimus egere pane, & eum à Deo suppliciter emendicare. Egent illo certè pane vitæ, pane iustitiæ, qui dixit: *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi.* &: *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.*

Aug. in Ps. 131.

Io. 6. 51. Mat. 5. 6.

Quanto anima præstat corpori, tanto hoc animæ pabulum præstabilius, necessarium magis, & expetendum est, quàm corporis. Sed & verum est, diuites quò plus habent, eò plus egere, quia plura semper acquirere volunt. Abundantia hominis quæ est? Ærumnæ, calamitas; sed diuitiæ habent abundantiam? Plus egent, quanto plus habent; desiderijs vastantur, cupiditatibus dissipantur, timoribus cruciantur, tristitia contabescunt. Nunquam enim expletur, nec satiatur cupiditatis sitis, nec solum ea quæ habent libidine augendi cruciantur, sed etiam amittendi metu. Diuitiarum acquisitio laboris, possessio timoris, amissio doloris plena reperitur. Nihil est tam angusti animi, tamque parui, quam amare diuitias; nihil honestius, magnificen-

Aug. in ps. 29.

Tull. Paradox. 1.

gnificentiusque, quàm pecuniam contemnere, i non habeas; si habeas, ad beneficentiam, iberalitatemque conferre. hæc verè Tullius, quamquam pecunia semper est contemnenda, iue habeas, siue non habeas, ne dum amatur itque æstimatur, coinquinet animam, & dum osſidetur, inani multiplicique cura distendat, & dum deperditur, pari mærore discruciet. 1. officior.

Multum interest inter eos qui amant, & qui contemnunt diuitias; qui eas habent, & ectè vtuntur, cum se dat occasio, & qui habentur à diuitijs; qui possidentur, earum implexi cupiditate; qui sunt viri diuitiarum. Ille Dominus est diuitiarum & rerum suarum, qui non est irretitus cupiditate, qui autem upiditate tenetur, possessus est, non possessor; Egens æquè est, cui quod est non sufficit, atque s, qui nihil habet; Auaro tam deest quod habet, quàm quod non habet. Quod satis est, ui contingit, nihil amplius optet. Horat.

Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, & aquosus albo
Corpore languor.

Diuitiç ex eo genere sunt aquarum, quç sitim ccendunt, non extingunt; Quò plus sunt otæ plus sitiuntur aquæ. Nec dubium quin nulla sit vis auri, nulla copia argenti, c possessionum, quæ cum virtute comparari queat. Etenim si callidi isti rerum æstimatores, prata & areas quasdam magni æstimant, quod ei generi possessionum minimè quasi noceri potest, quanti æstimanda virtus, quæ nec eripi, nec subripi potest vnquam, neque Tull. Parad. 6.

naufra-

naufragio, neque incendio amittitur, nec tempestatum, nec temporum permutatione mutatur, qua, qui prædití sunt, soli sunt diuites, soli enim possident res & fructuosas, & sempiternas; soliq́ue, quod est proprium diuitiarum, contenti sunt rebus suis, satis esse putant quod est, nihil appetunt, nulla re egent, nihil sibi deesse sentiunt, nihil requirunt.

Improbi autem & auari, quoniam incertas atque in casu positas possessiones habent, & plus semper appetunt, nec eorum quisquam adhuc inuentus est, cui quod haberet, esset satis, non modò non copiosi, ac diuites, sed etiam inopes ac pauperes existimandi sunt. Id sanè diuitiæ non præstant, vt quis eis contentus, cupiditati suæ modum ponat; sed quò magis excrescunt, eò quoque magis earum cupiditas excrescere solet; quare non sunt veræ diuitiæ, quæ non explent atque exsatiant animum: Animus hominis diues, non arca appellari solet, ait idem Tullius. Ex eo quantum cuique sat est, metiantur homines diuitiarum modum, diuitiarum fructus in copia est, copiam declarat satietas rerum atque abundantia.

Non æstimatione census, verùm victu atque cultu terminatur pecuniæ modus. Hic quidem quærendæ pecuniæ modus & scopus esse deberet, quem Apostolus perscribit. *Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diabeli, & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt*

1. Tim. 6. 8. & seq.

gunt homines in interitum, & in perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, &c. Quam quia non tollunt, nec imminuunt, verum etiam accendunt & augent diuitiæ, minimè sunt eo nomine dignæ; fallaces sunt, & inanes, quæ quod spondent non exequuntur; spinæ sunt, quæ mentem ægram curis ac sollicitudinibus dilacerant, ac sæpe cruentant, cum ad peccati consensum trahunt. Difficile est, ait S. Aug. vt ad diuites plura peccata non pertineant; Cum enim plus agunt, & plus administrant, & plus ad eos pendet res familiaris ampla, difficile est, vt non plura peccata contrahant.

Itaque non tam laborandum in augendis facultatibus, quàm in minuendis & extirpandis cupiditatibus. Grandes diuitiæ, parcè viuere. Naturales diuitiæ paratiles sunt, quia paruo natura contenta est. Magnum planè vectigal est parsimonia. Non esse cupidum, pecunia est; non esse emacem, vectigal est; contentum verò rebus suis esse, maximæ sunt certissimæque diuitiæ. Breuius, & accommodatius ad fidem nostram Apostolus. *Est autem quæstus magnus, pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum; haud dubium, quod nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus.* 1. Tim. 6.

Triplices diuitias agnoscit S. Augustinus, cum Christum Deum ditissimum esse demonstrat, qui propter nos pauper factus est. Vnde enim homines sunt diuites puta auro, argento, familia, terra; sed omnia per ipsum facta

sunt; Quid ergo illo ditius, per quem factæ
" sunt diuitiæ, illæ etiam, quæ non sunt veræ
" diuitiæ? per illum enim & illæ diuitiæ, inge-
" nium, memoria, mores, vita ipsius corporis,
" sanitas, sensus, conformatioque membro-
" rum: etenim cum hæc salua sunt, & pauperes
" diuites sunt. Per illum & illæ maiores diuitiæ,
" fides, pietas, iustitia, charitas, castitas, mo-
" res boni; nemo eas habet nisi per eum, qui
iustificat impium.

Quare negaret S. August. Stoicos alienos à iustitia Christiana, cæterisque virtutibus eam comitantibus, habere veras diuitias, aut diuitijs vti nosse; cum externę diuitiæ, vel ad animi, vel ad corporis diuitias comparandas ac tuendas referantur, nec referri possint ab ijs, qui virtutum omnium sunt egentissimi, quæ diuitiarum solę moderantur vsum, & quo sint habendæ loco ac modo, demōnstrant.

Vt tria sunt bonorum genera, externa, corporis, & animi: ita commodè triplices assignantur diuitiæ, quas inter hic sit ordo, vt externæ ad corporis referantur diuitias, id est, sanitatem, bonam valetudinem (quæ & pauperum patrimonium dicitur) membrorum ac sensuum incolumitatem; hæ verò rursum ad animi diuitias tuendas & augendas conferantur, quæ duplicis sunt rationis, ordinis naturæ, & gratiæ: nam virtutes aliæ acquisitæ, aliæ infusæ & diuinæ; quæ sunt sanè potiores, & solę à nobis æstimandę diuitiæ; quibus cum planè destituti forent Stoici. Non *eos*
" *diuites* censeret Augustinus, quibus arrogantia ac superbia dominatur: imo diuites

cos

eos diceret, & abundantes, sed nequitia, & superbia, quos in eo Dauidis versiculo notatos vult: *Opprobrium abundantibus, & despectio superbis*. Quem versiculum dum explicat, egregiè demonstrat nullas omnino diuitias, nec fanas externas, nec veras animi aut corporis, nec sanitatis, nec iustitiæ, quæ potest hac in vita haberi sufficere, vt se Christianus sapiens diuitem & abundantem opinetur; sed pauperem se debet cognoscere, inquit, & si habet diuitias, scire debet, quia non sunt veræ illæ diuitiæ, vt alias desideret: Qui enim diuitias falsas desiderat, veras non quærit; qui autem veras quęrit, adhuc pauper est, & rectè dicit: paupor & dolens ego sum. Rursus ille qui pauper est, & nequitia plenus est, vnde dicitur abundare? quia displicet illi quia pauper est, & iustitia ipsa videtur abundare in corde suo aduersus iustitiam Dei. Et quę est abundantia iustitiæ nostræ? quantumcunque iustitia nostra in nobis fuerit, ros est nescio quis ad illum fontem, &c. Modò desideremus de pleno iustitiæ fonte saginari &c. Hic autem cum sumus, inopes nos esse intelligamus, & egentes ipsius etiam salutis.

In ps. 122.

Non est ista salus corporis, paragorizamur quotidie medicamentis Dei, quia manducamus & bibimus &c. Non sunt illæ diuitiæ, sed mendicitas, quia quanto magis abundant, tanto crescit inopia & auaritia, plus augent cupiditatem eius, qui eas possidet. Non est illa vera corporis sanitas, quia portatur infirmitas vbique defectiua. Quocunque se verterit, deficit. Iustitia quid? quanta iustitia est inter tantas

"tentationes? possumus cōtinere ab homicidio,
" ab adulterio, à furtis, à periurijs, à fraudibus?
" nunquid ab iniquis cogitationibus? nunquid
" & à suggestionibus malarum cupiditatum?
" Quæ sunt veræ diuitiæ? cælestis illa man-
" sio in Ierusalem. Quis enim dicitur diues
" in hac terra? quando laudatur diues, quid
" dicitur? multum diues est, nihil illi deest.
" Attende si nihil deest; si nihil cupit, nihil
" illi deest; si autem adhuc cupit maiora, quàm
" quæ habet, ad hoc accesserunt diuitiæ, vt
" egestas cresceret. In illa verò ciuitate veræ
" erunt diuitiæ, quia ibi nihil deerit, quia
" nec indigebimus aliqua re, & vera sanitas
" erit immortalitas, vera & perfecta iustitia,
" vt nihil mali, non solùm facere, sed nec co-
" gitare possimus. Modò autem inopes, pau-
" peres, egentes, dolentes suspiramus, gemi-
" mus, oramus, leuamus oculos ad Deum,
" quoniam & illi qui fælices sunt in hoc mun-
" do, despiciunt nos. Abundant falsa iustitia,
" & ideo ad veram non perueniunt; quia
" repleti sunt falsa. Tu autem, vt peruenias ad
" veram, esto egens & mendicus ipsius iustitiæ;
Mat. 5. 6. " & audi Euangelium: *Beati qui esuriunt &c.*

En quantopere discrepat Christianus sapiens à Stoico, hic se solum diuitem censet, qui solus diuitias habeat, & ijs sciat vti; Christianus inopem, egentem, mendicum profitetur, qui solas virtutum ac iustitiæ veras diuitias agnoscat. Stoicus abundantem se nulla re egere gloriatur; Christianus à Deo, qui solus est diues, nulla re egens, quotidianam tum corporis, tum animi

animi stipem emendicat. Externas diuitias Christianus ad corporis sanitatem parandam ac tuendam referre possit; Stoicus etiam ad voluptatem & oblectationem sensuum, quatenus ad cultiorem & lautiorem tum victum, tum vestitum, pertinent; qui tamen sola necessitate definiendus fuerat.

Animi diuitiæ sunt virtutes, vti diximus, quibus Christiano, non tam parandis, quam exercendis, inseruiunt externæ diuitiæ, ad vsum liberalitatis, atque magnificentiæ, in opera misericordiæ & charitatis. Sed quædam sunt adumbratæ ac simulatæ virtutes, quibus animus præstare atque excellere vult, ad quas maximè refert Stoicus externas diuitias. Itaque dictum est ab eodem S. Augustin. diuitiarum vermem esse superbiam, & non tam ad luxuriam, copiamque voluptatum, quàm ad superbiam eas referri; quale re proximo capite.

Y 5 CA-



CAPVT XVII.

Quem in finem diuitiæ sint referendæ, & quo consilio Christiana paupertas amplexanda.

MVltus est S. August. in Apostoli loco illo producendo & explicando. *Diuitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo (qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum) bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam.* Quod ait esse Canticum diuitum, ex canticis Sion, vt illud alterum pauperum. *Nihil intulimus in hunc mundum &c.* atque ex eo testimonio, diuites superbos, pauperes humiles solet interpretari, illos diuites huius sæculi, pauperes Dei; hos verò pauperes sæculi, diuites Dei, nuncupare.

1. Tim. 6. 17. & 19.

pſ. 136.

In pſ. 48.

"*Simul in vnum diues & pauper.* Diuites intellige superbos, pauperes humiles; habeat quis multas facultates pecuniarum, si in eis non extollitur, pauper est: non habeat aliquid, & cupiat, & infletur; inter diuites & reprobos reputat eum Deus; & diuites & pauperes in corde interrogat Deus, non in arca,

& domo, Nonne pauperes sunt, qui accipiunt mandatum Apostoli dicentis Timotheo: *Præcipe diuitibus huius sæculi, non superbè sapere.* 1. Tim. 6.

Quomodo eos qui diuites erant, fecit pauperes? Tulit illis. Quare quæruntur diuitiæ? Nemo enim vult esse diues, nisi vt infletur inter eos, inter quos viuit, & superior illis videatur. Cum autem dixit: *non superbè sapere,* æquales eos fecit non habentibus, vt fortassis paucu.is numinis mendicus plus extollatur, quàm ille diues, qui audit Apostolum. Vnde non superbè sapere? si faciant, quod sequitur: *neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum.* Non dixit, qui præstat illis; sed qui præstat nobis. Nunquid ipse Paulus non habebat diuitias? habebat planè, de quibus alio loco scriptura: *Fideli homini mundus totus diuitiarum est.* Audi & ipsum confitentem; *quasi nihil habentes, & omnia possidentes.* Qui vult ergo esse diues, non hæreat parti, & totum possidebit; illi hæreat, qui totum creauit.

Nec sic accipiatis, fratres, quod dixi ad diuitem; non inclinat aurem suam: tanquam non exaudiat Deus eos, qui habent aurum, & argentum, & familiam, & fundos; si sic forte nati sunt, aut cum lucrum rerum humanarum tenent, tantum meminerunt quod ait Apostolus: *Præcipe diuitibus huius sæculi, non superbè sapere.* Qui enim non superbe sapiunt, in Deo pauperes sunt, & pauperibus [illegible] genis inclinat aurem suam. [illegible] m non esse in [illegible] In Ps. 85. 1. Tim 6.

" argento, neque in illis rebus, quibus ad tempus " circumfluere videntur, sufficit vt diuitiæ non " illos perdant, vt non obsint satis est: nam pro- " desse nihil possunt. Planè prodest opus mise- " ricordiæ, & in diuite, & in paupere. In diuite " ex voluntate & opere, in paupere ex sola vo- " luntate, Cum ergo talis est contemnens in se " quicquid superbia solet inflare, pauper Dei " est, inclinat illi aurem suam: nouit enim con- " tribulatum cor eius. Ex historia Euangelica " confirmat id de Lazaro mendico, ab Angelis " in Abrahæ sinum & gremium deportato. Erat " Abraham in diuitijs pauper, humilis, tremens, " & omnia præcepta obaudiens. Vsque adeò " autem pro nihilo habebat illas diuitias, vt " iussus à Domino, filium suum immolaret, cui " seruabat diuitias. Discite ergo esse inopes, & " pauperes, siue qui habetis aliquid in isto sæ- " culo, siue qui non habetis. Nam & hominem " mendicum inuenitis superbientem, & homi- " nem superabundantem diuitijs, inuenitis con- " fitentem. Resistit Deus superbis & holoseri- " catis, & pannosis; humilibus autem dat gra- " tiam, & habentibus aliquam substantiam hu- " ius sæculi, & non habentibus, interior in- " spectator est Deus, ibi appendit, ibi exami- " nat.

Aug. in psal. 124. " Docet nos psalmus ascendentes & leuantes " animas nostras ad Dominum Deum cum affe- " ctu charitatis atque pietatis, non intendere in " homines, qui prosperantur in hoc sæculo, feli- " citate falsa atque ventosa, & prorsus seducto- " ria; vbi nihil aliud nutriunt quàm superbiam, " & cor eorum congelascit aduersus Deum, &

fit durum aduersus imbrem gratiæ ipsius, ne „
fructum ferat. Præsumentes enim sibi omnia „
abundare, quæ videntur hic vitæ necessaria, „
extolluntur, & cum sint homines per iniqui- „
tatem inferiores omnibus hominibus, per su- „
perbiam superiores se putant omnibus homi- „
nibus; Atque vtinam vel sicut alios homines se „
esse deputarent! Habemus peruersum diuitia- „
rum scopum superbiam: legitimus earum vsus
in beneficentia ac liberalitate aduersus egenos,
in piorum operum sumptu positus est; vt tem-
poralibus æternas nobis diuitias paremus, &
amicos faciamus, qui nos recipiant in æterna
tabernacula.

Bonum est diuiti, vt agnoscat se pauperem; „
si enim plenum se putat, tumor est illi, non „
plenitudo. Agnoscat se inanem, vt possit im- „
pleri. Quid habet? aurum; quid non habet? „
vitam æternam. Emat ex eo quod habet, illud „
quod non habet.

Sed ne digrediamur ab humilitate proposi-
ta: B. Pater S. Ignatius contemplationem ha-
bet huic sententiæ perquam accommodam, de
duobus vexillis; vno quidem IESV Christi
optimi nostri Imperatoris, ad vrbem Ierosoli-
lymam; altero Luciferi hostis hominum capi-
talissimi, in Babyloniæ campo; hunc inducit
ad suos concionantem, vt correptis, iniectis-
que laqueis, ac catenis, homines primùm tra-
hant, quod ferè contingit, ad cupiditatem di-
uitiarum, vnde postea facilius in mundani
honoris ambitionem, ac demum in superbiæ
barathrum deturbari queant. Atque ita tres
sunt præcipui tentationum gradus in diuitijs,
hono-

honoribus, & superbia fundati, ex quibus in alia omnia vitiorum genera præceps sit decursus. Ex opposito Christus Dominus Apostolos, seruosque suos in opus hoc destinatos, hortatur, vt quemlibet iuuare studeant, ac primò inducendum curent ad spiritalem affectum paupertatis & insuper (si diuini obsequij ratio, & electio cælestis eò ferat) ad sectandam actu ipso veram paupertatem; deinde vt ad opprobrij, contemptusque desiderium alliciant; vnde humilitatis virtus enascitur, & ita tres consurgunt perfectionis gradus: paupertas, abiectio sui, & humilitas, quæ ex diametro diuitijs, honoribus, & superbiæ opponuntur, ac virtutes omnes secum introducunt.


Apparet igitur nec Cynicos, nec Stoicos veræ paupertatis laudem ac virtutem agnouisse, nec quò illa virtus referenda, nec quorsũ suscipienda; parumq; aberat eorum paupertas à miserabili, necessaria, ac coacta vulgarium pauperum egestate, ac mendicitate; cum Christianorum sit spiritalis impellente Dei spiritu suscepta, ad Christi Saluatoris imitationem, & ad pretiosissimum hunc humilitatis thesaurum assequendum instituta, ac comparata.

Quid enim exteriores conferre possunt diuitiæ homini interiore mentis egestate, cæcitate ac nuditate laboranti, qui diuina gratia ac charitate sit destitutus, expers amicitiæ omnis ac beneuolentiæ diuinæ, secludendus à Regno Cælesti, fine suo extremo in sempiternum ... damnatorum

er-

cum eorum superbiæ Principe Cacodæmone relegandus: Adhibenda igitur omnis cura, industria, diligentia, contentio cum ope diuina, in veræ humilitatis, ac Diuinæ charitatis virtute comparanda; in ea tuenda, atque augenda, nulli vnquam rei, nulli labori parcendum; eoque fine suscipienda ad exemplum Christi Domini Saluatoris, aut re ipsa, si nos Deus vocet, aut affectu certè, & animi præparatione, sancta Paupertas; quia de re nos monet Apostolus: *Scitis enim gratiam Domini nostri IESV Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis*. Beatus qui super hunc egenum, & pauperem intelligit, Christum Dominum ducem nostrum, vt interpretatur idem S. Augustinus. 2.Corint. 8.9.

CA-



CAPVT XVIII.

Decimvm Paradoxvm; *Solum Sapientem liberum, cæteros omnes seruos.*

DIctum est ab eruditissimis Viris; Nisi Sapientem, liberum esse neminem. Quid est enim libertas? Potestas viuendi vt velis. Quis igitur viuit vt vult, nisi qui recta sequitur, qui gaudet officio, cui viuendi via considerata atque prouisa est, qui legibus non propter metum paret, sed eas sequitur, atque colit, quia id salutare maximè esse iudicat; qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat denique, nisi libenter, ac liberè; cuius omnia consilia, resq; omnes, quas gerit, ab ipso proficiscuntur, eodemque referuntur: nec est vlla res, quæ plus apud eum polleat, quàm ipsius voluntas atque iudicium. Hęc Tullius.

Verùm hæc postrema, libertatem Stoicam planè conuincunt pessimam, & nequissimam esse seruitutem, quâ suiipsius quisque est seruus, hominis nequam, & nequiter se amantis; qui se planè regere nequeat, sed in omnia vitiorum impellat præcipitia, atque infortunia. Vera libertas, seruitus est Dei: seruire Deo, regnare est, plus est quam liberum esse, regem est

est esse. Quid est libertas? Potestas viuendi, non vt tu velis, qui velle soles & potes noxia, & peruersa; sed vt Deus vult, qui non nisi honesta & salutaria velle potest; cuius voluntas humanæ voluntatis norma est, ac regula; ad quam aptāda sunt omnia dicta, facta, cogitata nostra, vt à Deo proficiscantur, & in Deum referantur. Omni tempore benedic Deum; & pete ab eo, vt vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant, aiebat Tobias Pater filio. Neque apud te tua voluntas, iudiciumque quicquam polleat, sed vna Dei voluntas, ac lex omnibus anteponatur; ac scopus sit omnium studiorum, ac vitæ totius institutorum. Non est in eo libertas sapientis, vt nihil faciat inuitus, nihil dolens, nihil coactus, nihil nisi libenter, ac liberè; cum sæpe ratio parsque superior, inferiorem ad officium adigere debeat; neque gratia Diuina, quâ in veram libertatem vindicamur, omnem pugnam carnis ac spiritus auferat, sed in ea carne, licet renitente ac repugnāte, spiritui victoriam afferat, ac transcribat. Liber est sui victor, suarum cupiditatum ac voluntatum dominator; qui nec sibi, nec alteri, sed vni Deo seruit. Nec obedientia fracti animi atque abiecti propter Deum (quamquam tum maximè corroboratur atque erigitur, cum Dei causa frangitur atque deijcitur) & arbitrio carentis suo, misera est seruitus; sed vera, & optanda maximè libertas.

Animus suus esse desierit, oportet vt Dei esse incipiat, & totus in optimi domini possessionem transeat. Non sit ille liber, cui mu-

liet imperat, cui leges imponit, præscribit, iubet, vetat quod videtur; Sed nec ille liber erit, cui superbia & philautia, sui ipsius amor immoderatus, imperabit; ipso teste Tullio. Quid illa cupiditas, quæ videtur esse liberior, honoris, imperij, prouinciarum? quam dura est domina! quam imperiosa! quam vehemens! Quid, cum cupiditatum dominatus excessit, & alius est Dominus exortus ex conscientia peccatorum timor, quam est illa misera, quam dura seruitus!

Amb. lib. 1. de Iac. c. 12. Seruit, quicumque vel metu frangitur, vel delectatione irretitur, vel cupiditatibus ducitur, vel indignatione exasperatur, vel mærore deijcitur; seruitus est enim omnis passio.

4. de Ciuit. 3. In eandem sententiam August. Bonus etiamsi seruiat, liber est; malus etiamsi regnet, seruus est; nec vnius hominis, sed quod grauius est, tot dominorum, quot vitiorum, de quibus cum ageret Scriptura Diuina; *A quo enim quis deuictus est, huic & seruus addictus est.*

2. Petr. 2. Extat elegans eiusdē sermo, cuius fragmentū iam dedimus, de duabus dominis, Auaritia, atq; Luxuria; addi poterat tertia omniū impotentissima domina, Superbia, quę seruare iubet, & erogare; res planè pugnantes, in solius ambitionis, & inanis gloriæ fructum. Sed quid mirum, si de libertate, & seruitute congruenter Philosophi disputare nequiuerint; cum & Deum nescierint, cui naturæ conditione subiectos nos esse oportet; cui dum subijcimur, veram libertatem assequimur: & Christum pariter ignorarint, Dominum, Saluatorem, per quem à grauissima captiuitate, & seruitudine peccati

cati sumus liberati, & in amicorum & filiorum Dei libertatem vindicati; cui & proinde seruitutem omnem debeamus duplici nexu illi obstricti, duplicique nomine serui; Creationis & Redemptionis, naturæ & gratiæ, vernaculi & emptitij.

Nihil illi de hac seruitute peccati, seu origine, seu actione contracti; quæ prima dici potest: nihil de altera seruitute prauæ concupiscentiæ ex ea prognatę, cum qua continenter nobis est dimicandum: nihil de redemptione ac liberatione per Christum, de que subsidijs gratię ab eo nobis continenter indultis, ne suspicione quidem sunt assequuti.

At S. August. frequens est in eo commemorando beneficio, quod nunquam satis deprædicari potest. In hæc Psalmistæ verba: *Memorabor iustitia tu e solius.* Propter primum hominem, primi captiui; propter secundum hominem, redempti: Nam & ipsa redemptio clamat captiuitatem nostram; Vnde enim redempti, si non antea captiui? quæ captiuitas ab Apostolo expressa est. *Video enim aliam legem in membris meis captiuantem.* Ipsa est prima captiuitas, quâ concupiscit aduersus Spiritum Caro. Venit hæc de pæna peccati, vt homo aduersus seipsum diuideretur, qui vni subditus esse noluit. In Ps. 70. v. 16. Rom. 7. v. 23. Gal. 5. v. 17.

Idem in illud: *Pluuiam voluntariam &c.* gratiam interpretatur, quæ gratuitò sine meritis datur, per quam hęreditatem tuam perfecisti, Deus, quæ infirmata est in se, vt perficeretur abs te; hæc est illa suauitas, de qua aliàs: Dominus dabit suauitatem, & terra nostra dabit fructum Ps. 67. v. 10.

fructum suum. Vt bonũ opus fiat non timore, sed amore; nõ formidine pœnę, sed delectatione iustitię. Ipsa est enim vera & sana libertas.

Vt paucis rem omnem comprehendam, Peccatum, siue originis, siue actuale quodcumq; lethiferum, quo Dei gratia, & amicitia, ac filiorum libertate priuamur, ipsa est teterrima seruitus, quã mortis rei omniũ tyrãnorũ teterrimo, dęmonii in captiuitatem, & morti ęternę, ac carceri infernali, quę dæmonis & mortis sedes est, perpetuò adiudicamur. Quãdiu in eo sumus statu miserrimo, cacodæmon in nos tyrannidẽ exercet, à bono opere prohibet, ad malum impellit, ac ex vno in aliud peccatum pręcipites agit. *Qui facit peccatum seruus est peccati.* Ab eã seruitute liberat nos vnus Christus Dominus, mediator, restituta Diuina gratia, quã in amicorum ac filiorum Dei libertatem asserimur, ac restituimur; & cuius beneficio gratię, aduersus concupiscentiam, quæ nos denuo captiuos agere, ac dæmoni peccatoque subdere tentat, assiduè repugnamus.

Ioan. 8. v. 34.

Per Christum itaque, diuinæque eius opem gratiæ, liberamur & ab illa quoque seruitute cõcupiscẽtię, & diuersarũ affectionũ, quæ cum Diuina eius charitate pugnant, aut certè minùs illi obsequuntur ac famulantur; cuiusmodi sunt affectiones rerũ sæculi, quę nos sub graui iugo seruitutis premunt, siue dum prospera appetuntur immodicè, siue dum aduersa formidantur. At verò dum nihil expetimus rerum terrenarum, nec earum spe, aut metu magnopere commouemur, liberi sumus; dum vni seruimus Christo Domino, humanæ libertatis assertori,

quie-

qui de se inquiebat: *Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis*. Qua de re monet etiam Apostolus: *Vos in libertatem vocati estis, fratres: ita tùm ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem Spiritus seruite inuicem.* Ioan. 8. v. 36. Ad Gal. 5. v. 13.

Quærit S. Thom. qui cum libertate copuletur hæc seruitus? Charitas libera est, & ipsamet libertas; quæ tamen exigit, vt seruiamus inuicem. Liber est, qui est sui causâ, ait Philosophus: seruus, causâ alterius, vel mouentis, vel finis; quia seruus non mouetur à se, sed à Domino, nec ob suam, sed ob Domini vtilitatem agit. Charitas est sui causâ, per se maximè expetenda, & à se operatur; Charitas Christi vrget nos ob suam vtilitatem: quia *plenitudo legis est dilectio*; Et nihilominus cum tota pendeat à Deo, totaq; referatur in Deum, & Dei causa in proximum tendat, seruitus est Dei, & proximi propter Deum: Cum postpositis proprijs vtilitatibus, Dei gloriæ & proximorum commodis præcipuè quis inseruit, operamque suam omnem lubens impendit: hoc est per charitatem seruire inuicem, *& alter alterius onera portare*, sibimet ad salutem opitulari, & adminiculo esse. Lect. 3. Ad Rom. c. 13. v. 10. Ad Gal. 6, v. 2.

Ipsa igitur Charitas atque Humilitas, seruitus Dei, & proximi, honoratissima est libertas; qua nemini, nisi cui debet, cui iure omni subiectus est, Deo suo, & Dei causa proximo Christianus inseruit.

Neque verò parum honoratum, aut à suâ dignitate alienum, serui titulum existimarunt ipsi summi Pontifices Christi Vicarij, quorum assuetudine in summam gloriam receptus

" hic modò titulus est: Seruus seruorum Christi;
" quem & antea reperitur vsurpasse summus
Ep. 107. " Ecclesiæ Doctor Augustin. Vitali scribens:
" Seruus Iesv Christi, & per eum seruus seruo-
" rum eius. Et D. Gregorius ad Rusticianam
" Patriciam, propinquam suam, non ferens quod
" in suis illa crebrius iterasset: Ancilla vestra:
" Ego enim, qui per Episcopalem curam seruus
" sum omnium factus, qua ratione se illa mihi
" ancillam dicit, cuius ante susceptum Episcopatum proprius fui? Eximius Pontif. eximiæ humilitatis exemplis. Plura Baronius.

ad an. 601 item ad an. 595. 1. Cor. 9. v. 19. Sed & ipsum Apostolum gloriatum esse, non tantum se Iesv Christi seruum, verum & ipsorum Christi fidelium, reperimus. *Nam cum liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci,, vt plures lucrifacerem.* Item: *Non enim* 2. Corint. 4. v. 5. *nosmetipsos prædicamus, sed IESVM Christum Dominum nostrum; nos autem seruos vestros per IESVM.*

Neque te præterire possum, Sacratissima
" Dei Mater Domini mei, Domina mea, sine
" cuius appellatione atque inuocatione nulla
" mea potest elabi lucrubratio, quæ cum Dei
" mater esses electa, Ancillam te esse professa es. Vide humilitatem, vide deuotionem, exclamat Ambrosius: Ancillam se dicit Domini, quæ mater eligitur, nec repentino exaltata promisso est. Ecce Ancilla Domini, contingat mihi secundum verbum tuum. Ac longè etiam quam Abigail expetita, profitebatur animo propensiore Dauidi Saluatori; *Ecce famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum Domini mei.* Quî enim non æmularetur filium

lib. 2. in Lucam.
1. Reg. 25. v. 41.

filium Deum Saluatorem, quem, ipſum tot annos ſeruilem agere perſonam conſpicata, non ſemel audijt Apoſtolis ſuis dicentem: *Scitis quia Principes gentium dominantur eorum: & qui maiores ſunt, poteſtatem exercent in eos. Non ita erit inter vos: ſed quicumque voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter: & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus. Sicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam, redemptionem pro multis.* Mat. 20. v. 25. 26. 27. 28.

Addamus Deiparæ pediſequam honorariam S. Agatham V. M. cui cum Quintianus Siciliæ Prætor, inſano eius amore captus, exprobraret: Nonne te pudet nobili genere natam, humilem & ſeruilem Chriſtianorum vitam agere? Reſpondit veriſsimè ſapientiſsimèque: Multò præſtantior eſt Chriſtiana humilitas & ſeruitus, Regum opibus & ſuperbia.



CAPVT XIX.

Ad decimum Paradoxum sententiæ aliquot Sancti Augustini.

In Pſ. 69. DIxi Domino, Deus meus es tu. Quare? quia bonorum meorum non eges. Ille „ non eget noſtri: nos egemus ipſius. Ideo „ verus Dominus: Nam tu non valdè verus „ Dominus ſerui tui: ambo homines, ambo „ egentes Deo; ſi autem putas egere tui ſer- „ uum tuum, vt des panem; eges & tu ſerui „ tui, vt adiuuet labores tuos: Vterque ve- „ ſtrûm altero veſtrûm indiget. Itaque nullus „ veſtrûm verè Dominus, nullus veſtrûm verè „ ſeruus. Audi verum Dominum, cuius verus „ es ſeruus: Dixi Domino, Deus meus es tu. „ Quare tu Dominus? quia bonorum meo- „ rum non eges. Quid autem tu? Ego verò „ egenus & pauper: Ecce egenus & pauper: „ paſcat Deus, ſubueniat Deus, adiuuet Deus. „ Deus meus adiuua me. Ex quâ quidem authoritate colligitur, Chriſtianum Sapientem maximè Dei ſeruum eſſe, qui ſuam agnoſcat ſeruitutem, de quâ ſibi gratuletur, ac gaudeat.

Iam, tametſi propriè Deus ſolus ſit Dominus, qui non egeat famulorum; tamen ordi-

nem

nem hunc dominorum ac seruorum non sustulit Christus, sed maximè stabiliuit, ac confirmauit; qua de re idem S. Augustinus: Ordinauit enim sic Deus Ecclesiam suam, vt omnis potestas ordinata in sæculo habeat honorem, & aliquando à melioribus. Sed (exempli gratiâ) vnam rem dico; „ hinc conijcite gradus omnium potestatum. „ Prima & quotidiana potestas hominis in „ hominem, Domini est in seruum. Prope „ omnes domus habent huiusmodi potestatem. „ Sunt Domini, sunt & serui. Diuersa sunt nomina: Dominus, seruus; sed homines, & homines, paria sunt nomina. Et quid dicit Apostolus, docens seruos Dominis suis subditos esse? *Serui obedite Dominis vestris secundum carnem*; quia est & Dominus secundùm spiritum. Ille est verus Dominus, & æternus; „ illi autem temporales secundùm tempus. „ In ps. 1 Eph. 6. v. 5

Tu cum ambulas in via (cum viuis in hac „ vita) non vult te facere superbum Christus. „ Contigit tibi vt Christianus efficereris, & „ haberes dominum hominem. Non ideo „ Christianus factus es, vt dedigneris seruire. „ Cum enim Christo iubente seruis homini, „ non illi seruis, sed illi qui iussit. Et hoc ait: *Obedite Dominis vestris secundùm carnem, cum timore & tremore, & in simplicitate cordis: non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes: sed quasi serui Christi, facientes bonam voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate.* Eph. 6. v. 5

Ecce non fecit de seruis liberos, sed de malis seruis bonos seruos. O quantum debent diuites Christo, qui illis componit domum; vt

" si fuit seruus infidelis, conuertat illum Chri-
" stus, & non ei dicat: Dimitte Dominum
" tuum! Iam cognouisti eum, qui verus est
" Dominus. Ille fortè impius est, & iniquus;
" tu iam fidelis, & iustus. Indignum est, vt
" iustus & fidelis seruiat iniquo & infideli? non
" hoc ei dixit; sed magis, serui. Et vt corro-
" boraret seruum, hoc dixit: exemplo meo ser-
" ui, quia prior ego seruiui iniquis: Dominus
" enim tanta in passione sustinens, à quibus
" sustinuit, nisi Dominus à seruis? Et à quibus,
" nisi à malis seruis? Nam si fuissent boni serui,
" honorarent Dominum suum; Sed quia mali
" serui erant, iniuriauerunt. Ille quid contra
" reddidit? Dilectionem pro odio. Ait enim:
Lucæ 23. v. 34. *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.*
Si Dominus cæli & terræ, per quem facta
" sunt omnia, seruiuit indignis; rogauit pro
" sæuientibus, & furentibus; & tanquam me-
" dicum se exhibuit adueniens (Nam & me-
" dici, & arte, & sanitate meliores, seruiunt
" ægrotis) quantò magis non debet dedignari
" homo, ex toto animo, & ex tota bona volun-
" tate, cum tota dilectione seruire Domino,
" etiam malo? Ecce seruit melior deteriori,
" sed ad tempus.
" Quod autem dixi de Domino & seruo, hoc
" intelligite de potestatibus & regibus, & de
" omnibus culminibus huius sæculi. Ali-
" quando enim potestates bonæ sunt, & ti-
" ment Deum; aliquando non timent Deum.
" Iulianus extitit infidelis Imperator; nonne
" Apostata, iniquus, idololatra? Milites
" Christiani seruierunt Imperatori infideli.
Vbi

Vbi veniebatur ad causam Christi, non „
agnoscebant nisi illum, qui in cælo erat. „
Quando volebat vt idola colerent, vt thu- „
rificarent, præponebant illi Deum. Quan- „
do autem dicebat: producite aciem: ite „
contra illam gentem, statim obtempera- „
bant. Distinguebant Dominum æternum „
à Domino temporali, & tamen subditi „
erant propter Dominum æternum, etiam „
Domino temporali: Sed nunquid sic erit „
semper: vt iniqui imperent iustis? Non „
sic erit. Videte enim quid dicat iste psal- „
mus: *Quoniam non derelinquet Dominus vir-* Ps. 124. 3
gam peccatorum super sortem iustorum. „

Sentitur ad tempus virga peccatorum „
super sortem iustorum, sed non ibi relin- „
quitur, non erit in æternum. Veniet „
tempus, quando vnus agnoscatur Deus; „
veniet tempus, quando vnus Christus in „
claritate suâ apparens congreget ante se „
omnes gentes, & diuidat eas sicut diuidit „
pastor hædos ab ovibus: oues ponet ad „
dexteram, hædos ad sinistram. Et vide- „
tis ibi multos seruos inter oues, & mul- Mat. 25.
tos Dominos inter hœdos; & rursus, v. 32. 33.
multos dominos inter oues, & multos „
seruos inter hædos. Non enim quia sic „
consolati sumus seruos, omnes serui boni „
sunt; aut quia sic reprehendimus super- „
biam Dominorum, omnes Domini mali „
sunt. Sunt boni & fideles Domini, & „
sunt mali. Sunt boni & fideles serui, & „
sunt mali. Sed quamdiu serui boni seruiunt „
malis Dominis, ferant ad tempus, quia „

"non derelinquet virgam peccatorum super
"sortem iustorum. Quare hoc? Vt non ex-
"tendant iusti ad iniquitatem manus suas,
"vt ad tempus ferant iusti iniquos dominan-
"tes, intelligant non esse hoc sempiternum,
"sed præparent se ad possidendam sempiter-
"nam hæreditatem; quam hæreditatem? vbi
"destruetur omnis potentatus, & omnis pote-
"stas: vt sit Deus omnia in omnibus.

Ps.99. Hac igitur spe animati, seruite Domino
"in iucunditate. Omnis seruitus amaritudine
"plena est. Omnes conditione seruili obli-
"gati, & seruiunt, & murmurant. Nolite
"timere illius Domini seruitutem; non erit
"tibi gemitus, non murmur, non indignatio.
"Nemo se putet inde venalem, quia dulce est
"quod redempti omnes sumus. Magna fæli-
"citas est, fratres, esse in ista domo magna
"seruum, etsi cum compedibus. Noli timere,
"serue compedite; confitere Domino; meri-
"tis tuis attribue compedes tuos; confitere
"in compedibus tuis, si vis vt in ornamenta
vertantur.

Ps.78. Non frustra, nec sine exauditione dictum
"est: Intret in conspectu tuo gemitus com-
"peditorum. Seruite Domino in iucunditate.
"Libera seruitus est apud Dominum; libera
"seruitus, vbi non necessitas, sed charitas ser-
Gal.5. uit. Vos, inquit, in libertatem vocati estis,
"fratres: tantum ne libertatem in occasionem
"carnis detis; sed per charitatem spiritus ser-
"uite inuicem.
" Seruum te charitas faciat, quia liberum
"te veritas fecit. Si manseritis, inquit, in
verbo

verbo meo, verè discipuli mei eritis, & Ioan. 8.
cognoscetis veritatem, & veritas liberabit "
vos. Simul es & seruus, & liber; seruus, "
quia factus es; liber, quia amaris à Deo, "
à quo factus es: imò etiam inde liber, quia "
amas eum, à quo factus es. Noli seruire "
cum murmure: non enim id agunt murmu- "
ra tua, vt non seruias; sed vt malus seruus "
seruias. Seruus es Domini, libertus es Do- "
mini: non te sic quæras manumitti, vt re- "
cedas de domo manumissoris tui. Seruite "
Domino in iucunditate. Plena erit illa & 1. Cor. 15
perfecta iucunditas, cum corruptibile hoc "
induerit incorruptionem. "



CAPVT

vt formoſuli noſtri, & thoroſuli, & vix ſummis pedibus adumbrantes veſtigia; quorum verba in pugnis ſunt, & ſyllogiſmi in calcibus; qui paupertatem Apoſtolorum, & crucis duritiam aut neſciunt, aut contemnunt, imitentur ſaltem Gentilium parcitatem. Ego verò ad ſuperbiam eius coarguendam, quâ & Alexandro Rege potentior, & naturæ victor humanæ videri voluit, humilitatemque docendam, eadem ex Hieronymo tranſcribam. Refert Satyrus, qui illuſtrium virorum ſcripſit hiſtorias, quod Diogenes palliolo duplici vſus ſit, propter frigus; peram pro cellario habuerit, ſecumque portarit clauam, in corpuſculi fragilitatem, quâ iam ſenex membra ſuſtentare ſolitus erat; & ἡμερόβιος vulgò appellatus ſit, in præſentem horam poſcens à quolibet, & accipiens cibum. Habitabat autem in portarum veſtibulis, & porticibus ciuitatum; Cumque ſe contorqueret in dolio, volubilem ſe habere domum iocabatur, & ſe cum temporibus volutantem: frigore enim os dolij vertebat in meridiem, æſtate ad ſeptemtrionem; & vtcumque ſol ſe inclinarat, Diogenis ſimul prætorium vertebatur. Quodam verò tempore habens ad potandum cauum lignum, vidit puerum manu concauâ bibere, & deieciſſe illud ad terram fertur, dicens: Neſciebam quod natura haberet poculum. Virtutem eius & continentiam (dic bonâ cum Hieronymi veniâ, arrogantiam, & animi impotentiam) mors quoque indicat. Nam cum ad agonem Olympiacum, qui magnâ frequentiâ Greciæ celebratur, iam ſenex pergeret,

pergeret, febri in itinere dicitur apprehensus occubuisse, in crepidine viæ; volentibusque eum amicis, aut in iumentum, aut in vehiculum tollere, non acquieuit: sed transiens ad arboris vmbram, locutus est: Abite, quæso, & spectatum pergite: hæc nox me victorem probabit, aut victum; si febrem vicero, ad agonem veniam; si me vicerit, ad inferna descendam. Itaque per mortem eliso gutture, non tam mori se ait, quàm febrem morte excludere. En superbię, & Cacodæmonis Martyrem. An ille Sapiens, & Rex dicendus sit, qui sibi nequiret imperare, qui suimet tortor & carnifex existeret, & non magis febrem, quàm animi sui impotentiam morte corporis excluderet? quid æquius, quàm vt à se vindictam expetat, ac sumat arrogantia?

Poteram hic persequi comparationem, quam instituit Chrysostomus, Monachi solitarij, cum Regis potentiâ & opulentiâ, quam à se Latinè versam edidit Ludouicus Blosius; quæque Hieronymus Platus, & alij eiusdem habent argumenti; sed ab ea comparatione & nuncupatione regia lubens abstinuerit Sapiens Christianus, cui sit optabilius obedire, quàm imperare: & qui se summi Regis Regum omnium, Christi Domini, vilem atque humilem seruulum profiteatur; Et quoniam cæteras inter eius virtutes, humilitatem, & charitatem adamauit præcipuè; quia contemptus eius, & despectus nostri causa suscepti valdè est studiosus, animo memori & grato circumfert

cam

liter imperat, cui leges imponit, præscribit, iubet, vetat quod videtur; Sed nec ille liber erit, cui superbia & philautia, sui ipsius amor immoderatus, imperabit; ipso teste Tullio. Quid illa cupiditas, quæ videtur esse liberior, honoris, imperij, prouinciarum? quam dura est domina! quam imperiosa! quam vehemens! Quid, cum cupiditatum dominatus excessit, & alius est Dominus exortus ex conscientia peccatorum timor, quam est illa misera, quam dura seruitus!

Amb. lib. 1. de Iac. c. 12. Seruit, quicumque vel metu frangitur, vel delectatione irretitur, vel cupiditatibus ducitur, vel indignatione exasperatur, vel mærore deijcitur; seruilis est enim omnis passio.

4. de Ciuit. 3. In eandem sententiam August. Bonus etiamsi seruiat, liber est; malus etiamsi regnet, seruus est; nec vnius hominis, sed quod grauius est, tot dominorum, quot vitiorum, de quibus cum ageret Scriptura Diuina; *A quo enim quis deuictus est, huic & seruus addictus est.*

2. Petr. 2. Extat elegans eiusdẽ sermo, cuius fragmentũ iam dedimus, de duabus dominis, Auaritia, atq; Luxuria; addi poterat tertia omniũ impotentissima domina, Superbia, quę seruare iubet, & erogare; res planè pugnantes, in solius ambitionis, & inanis gloriæ fructum. Sed quid mirum, si de libertate, & seruitute congruenter Philosophi disputare nequiuerint; cum & Deum nescierint, cui naturæ conditione subiectos nos esse oportet; cui dum subijcimur, veram libertatem assequimur: & Christum pariter ignorarint, Dominum, Saluatorem, per quem à grauissima captiuitate, & seruitudine peccati

cati

cati sumus liberati, & in amicorum & filiorum Dei libertatem vindicati; cui & proinde seruitutem omnem debeamus duplici nexu illi obstricti, duplicique nomine serui, Creationis & Redemptionis, naturæ & gratiæ, vernaculi & emptitij.

Nihil illi de hac seruitute peccati, seu origine, seu actione contracti; quæ prima dici potest: nihil de altera seruitute prauæ concupiscentiæ ex ea prognatę, cum qua continenter nobis est dimicandum: nihil de redemptione ac liberatione per Christum, deque subsidijs gratię ab eo nobis continenter indultis, ne suspicione quidem sunt assequuti.

At S. August. frequens est in eo commemorando beneficio, quod nunquam satis deprædicari potest. In hæc Psalmistæ verba: *Memorabor iustitiæ tuæ solius.* Propter primum hominem, primi captiui; propter secundum hominem, redempti: Nam & ipsa redemptio clamat captiuitatem nostram; Vnde enim redempti, si non antea captiui? quæ captiuitas ab Apostolo expressa est. *Video enim aliam legem in membris meis captiuantem.* Ipsa est prima captiuitas, quâ concupiscit aduersus Spiritum Caro. Venit hæc de pœna peccati, vt homo aduersus seipsum diuideretur, qui vni subditus esse noluit.

In Ps. 70. v. 16.

Rom. 7. v. 23. Gal. 5. v. 17.

Idem in illud: *Pluuiam voluntariam &c.* gratiam interpretatur, quæ gratuitò sine meritis datur, per quam hereditatem tuam perfecisti, Deus, quæ infirmata est in se, vt perficeretur abs te; hæc est illa suauitas, de qua aliàs: Dominus dabit suauitatem, & terra nostra dabit fructum

Ps. 67. v. 10.

fructum suum. Vt bonũ opus fiat non timore, sed amore; nõ formidine pœnę, sed delectatione iustitię. Ipsa est enim vera & sana libertas.

Vt paucis rem omnem comprehendam: Peccatum, siue originis, siue actuale quodcumq; lethiferum, quo Dei gratia, & amicitia, ac filiorum libertate priuamur, ipsa est teterrima seruitus, quã mortis rei omniũ tyrãnorũ teterrimo, dęmoni in captiuitatem, & morti ęternę. ac carceri infernali, quę dæmonis & mortis sedes est, perpetuò adiudicamur. Quãdiu in eo sumus statu miserrimo, cacodæmon in nos tyrannidẽ exercet, à bono opere prohibet, ad malum impellit, ac ex vno in aliud peccatum pręcipites agit. *Qui facit peccatum seruus est peccati.* Ab eâ seruitute liberat nos vnus Christus Dominus, mediator, restituta Diuina gratia, quã in amicorum ac filiorum Dei libertatem asserimur, ac restituimur; & cuius beneficio gratię, aduersus concupiscentiam, quæ nos denuo captiuos agere, ac dæmoni peccatoque subdere tentat, assiduè repugnamus.

Ioan. 8. v. 34.

Per Christum itaque, diuinæque eius opem gratiæ, liberamur & ab illa quoque seruitute cõcupiscẽtię, & diuersarũ affectionũ, quæ cum Diuina eius charitate pugnant, aut certè minùs illi obsequuntur ac famulantur; cuiusmodi sunt affectiones rerũ sæculi, quę nos sub graui iugo seruitutis premunt, siue dum prospera appetuntur immodicè, siue dum aduersa formidantur. At verò dum nihil expetimus rerum terrenarum, nec earum spe, aut metu magnopere commouemur, liberi sumus; dum vni seruimus Christo Domino, humanæ libertatis assertori,

quies

qui de se inquiebat: *Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis*. Qua de re monet etiam Apostolus: *Vos in libertatem vocati estis, fratres: ta tùm ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem Spiritus seruite inuicem.* Ioan. 8. v. 36. Ad Gal. 5. v. 13.

Quærit S. Thom. quî cum libertate copuletur hæc seruitus? Charitas libera est, & Lect. 3. ipsamet libertas; quæ tamen exigit, vt seruiamus inuicem. Liber est, qui est sui causâ, ait Philosophus: seruus, causâ alterius, vel mouentis, vel finis; quia seruus non mouetur à se, sed à Domino, nec ob suam, sed ob Domini vtilitatem agit. Charitas est sui causâ, per se maximè expetenda, & à se operatur; Charitas Christi vrget nos ob suam vtilitatem: quia *plenitudo legis est dilectio*; Et nihilominus cum Ad Rom. c. 13. v. 10. tota pendeat à Deo, totaq; referatur in Deum, & Dei causa in proximum tendat, seruitus est Dei, & proximi propter Deum. Cum postpositis proprijs vtilitatibus, Dei gloriæ & proximorum commodis præcipuè quis inseruit, operamque suam omnem lubens impendit: hoc est per charitatem seruire inuicem, *& alter alterius onera portare*, sibimet ad salu- Ad Gal. 6. v. 2. tem opitulari, & adminiculo esse.

Ipsa igitur Charitas atque Humilitas, seruitus Dei, & proximi, honoratissima est libertas; qua nemini, nisi cui debet, cui iure omni subiectus est, Deo suo, & Dei causa proximo Christianus inseruit.

Neque verò parum honoratum, aut à suâ dignitate alienum, serui titulum existimarunt ipsi summi Pontifices Christi Vicarij, quorum assuetudine in summam gloriam receptus

" hic modò titulus est: Seruus seruorum Christi;
" quem & antea reperitur vsurpasse summus
Ep. 107. " Ecclesiæ Doctor Augustin. Vitali scribens:
" Seruus Iesv Christi, & per eum seruus seruo-
" rum eius. Et D. Gregorius ad Rusticianam
" Patriciam, propinquam suam, non ferens quod
" in suis illa crebrius iterasset: Ancilla vestra:
" Ego enim, qui per Episcopalem curam seruus
" sum omnium factus, qua ratione se illa mihi
" ancillam dicit, cuius ante susceptum Episco-
patum proprius fui? Eximius Pontif. eximiæ humilitatis exemplis. Plura Baronius.

ad an. 601 item ad an. 593 1 Cor. 9. v. 19. Sed & ipsum Apostolum gloriatum esse, non tantum se Iesv Christi seruum, verum & ipsorum Christi fidelium, reperimus. *Nam cum liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci,, vt plures lucrifacerem.* Item: *Non enim* 2. Corint. 4. v. 5. *nosmetipsos prædicamus, sed IESVM Christum Dominum nostrum; nos autem seruos vestros per IESVM.*

Neque te præterire possum, Sacratissima
" Dei Mater Domini mei, Domina mea, sine
" cuius appellatione atque inuocatione nulla
" mea potest elabi lucrubratio, quæ cum Dei
" mater esses electa, Ancillam te esse professa
es. Vide humilitatem, vide deuotionem, ex-
lib. 2. in Lucam. clamat Ambrosius: Ancillam se dicit Domini, quæ mater eligitur, nec repentino exaltata promisso est. Ecce Ancilla Domini, contingat mihi secundum verbum tuum. Ac longè etiam quam Abigail expetita, profitebatur animo propensiore Dauidi Saluatori; *Ecce* 1. Reg. 25. v. 41. *famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum Domini mei.* Quî enim non æmularetur

filium

ium Deum Saluatorem, quem, ipsum tot
nos seruilem agere personam conspicata,
n semel audijt Apostolis suis dicentem: Mat. 20. v. 25. 26. 27. 28.
itis quia Principes gent um dominantur eo-
m: & qui maiores sunt, potestatem exercent
eos. Non ita erit inter vos: sed quicumque
oluer t inter vos maior fieri, sit vester minister:
qui voluerit inter vos primus esse, erit vester
uus. Sicut filius hominis non venit ministra-
, sed ministrare, & dare animam suam, re-
emptionem pro multis.

Addamus Deiparæ pedisequam honora-
iam S. Agatham V. M. cui cum Quin-
ianus Siciliæ Prætor, insano eius amore
aptus, exprobraret: Nonne te pudet no-
ili genere natam, humilem & seruilem
Christianorum vitam agere? Respondit
verissime sapientissimeque: Multò præstan-
tior est Christiana humilitas & seruitus,
Regum opibus & superbia.



CAPVT XIX.

Ad decimum Paradoxum sententiæ aliquot Sancti Augustini.

In Pf. 69. Dixi Domino, Deus meus es tu. Quare? quia bonorum meorum non eges. Ille
" non eget nostri: nos egemus ipsius. Ideo
" verus Dominus: Nam tu non valdè verus
" Dominus serui tui: ambo homines, ambo
" egentes Deo; si autem putas egere tui ser-
" uum tuum, vt des panem; eges & tu serui
" tui, vt adiuuet labores tuos: Vterque ve-
" strûm altero vestrûm indiget. Itaque nullus
" vestrûm verè Dominus, nullus vestrûm verè
" seruus. Audi verum Dominum, cuius verus
" es seruus: Dixi Domino, Deus meus es tu.
" Quare tu Dominus? quia bonorum meo-
" rum non eges. Quid autem tu? Ego verò
" egenus & pauper: Ecce egenus & pauper:
" pascat Deus, subueniat Deus, adiuuet Deus.
" Deus meus adiuua me. Ex quâ quidem authoritate colligitur, Christianum Sapientem maximè Dei seruum esse, qui suam agnoscat seruitutem, de quâ sibi gratuletur, ac gaudeat.

Iam, tametsi propriè Deus solus sit Dominus, qui non egeat famulorum; tamen ordinem

em hunc dominorum ac seruorum non sustulit Christus, sed maximè stabiliuit, ac confirmauit; qua de re idem S. Augustinus: Ordinauit enim sic Deus Ecclesiam suam, vt omnis potestas ordinata in sæculo habeat honorem, & aliquando à melioribus. Sed (exempli gratiâ) vnam rem dico; hinc conijcite gradus omnium potestatum. Prima & quotidiana potestas hominis in hominem, Domini est in seruum. Prope omnes domus habent huiusmodi potestatem. Sunt Domini, sunt & serui. Diuersa sunt nomina: Dominus, seruus; sed homines, & homines, paria sunt nomina. Et quid dicit Apostolus, docens seruos Dominis suis subditos esse? *Serui obedite Dominis vestris secundum carnem*; quia est & Dominus secundùm spiritum. Ille est verus Dominus, & æternus; illi autem temporales secundùm tempus. In ps. r Eph. 6. v. 5

Tu cum ambulas in via (cum viuis in hac vita) non vult te facere superbum Christus. Contigit tibi vt Christianus efficereris, & haberes dominum hominem. Non ideo Christianus factus es, vt dedigneris seruire. Cum enim Christo iubente seruis homini, non illi seruis, sed illi qui iussit. Et hoc ait: *Obedite Dominis vestris secundùm carnem, cum timore & tremore, & in simplici ate cordis: non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes: sed quasi serui Christi, facientes bonam voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate.* Eph v. 5.

Ecce non fecit de seruis liberos, sed de malis seruis bonos seruos. O quantum debent diuites Christo, qui illis componit domum; vt

" si fuit seruus infidelis, conuertat illum Chri-
" stus, & non ei dicat: Dimitte Dominum
" tuum! Iam cognouisti eum, qui verus est
" Dominus. Ille fortè impius est, & iniquus;
" tu iam fidelis, & iustus. Indignum est, vt
" iustus & fidelis seruiat iniquo & infideli? non
" hoc ei dixit; sed magis, serui. Et vt corro-
" boraret seruum, hoc dixit: exemplo meo ser-
" ui, quia prior ego seruiui iniquis: Dominus
" enim tanta in passione sustinens, à quibus
" sustinuit, nisi Dominus à seruis? Et à quibus,
" nisi à malis seruis? Nam si fuissent boni serui,
" honorarent Dominum suum; Sed quia mali
" serui erant, iniuriauerunt. Ille quid contra
" reddidit? Dilectionem pro odio. Ait enim:
Lucæ 23. v. 34. *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.*

Si Dominus cæli & terræ, per quem facta
" sunt omnia, seruiuit indignis; rogauit pro
" sæuientibus, & furentibus; & tanquam me-
" dicum se exhibuit adueniens (Nam & me-
" dici, & arte, & sanitate meliores, seruiunt
" ægrotis) quantò magis non debet dedignari
" homo, ex toto animo, & ex tota bona volun-
" tate, cum tota dilectione seruire Domino,
" etiam malo? Ecce seruit melior deteriori,
" sed ad tempus.

" Quod autem dixi de Domino & seruo, hoc
" intelligite de potestatibus & regibus, & de
" omnibus culminibus huius sæculi. Ali-
" quando enim potestates bonæ sunt, & ti-
" ment Deum; aliquando non timent Deum.
" Iulianus extitit infidelis Imperator; nonne
" Apostata, iniquus, idololatra? Milites
" Christiani seruierunt Imperatori infideli.

Vbi

Vbi veniebatur ad causam Christi, non „
agnoscebant nisi illum, qui in cælo erat. „
Quando volebat vt idola colerent, vt thu- „
rificarent, præponebant illi Deum. Quan- „
do autem dicebat: producite aciem: ite „
contra illam gentem, statim obtempera- „
bant. Distinguebant Dominum æternum „
à Domino temporali, & tamen subditi „
erant propter Dominum æternum, etiam „
Domino temporali: Sed nunquid sic erit „
semper: vt iniqui imperent iustis? Non „
sic erit. Videte enim quid dicat iste psal- „
mus: *Quoniam non derelinquet Dominus vir-* Ps. 124. 3
gam peccatorum super sortem iustorum. „

Sentitur ad tempus virga peccatorum „
super sortem iustorum, sed non ibi relin- „
quitur, non erit in æternum. Veniet „
tempus, quando vnus agnoscatur Deus; „
veniet tempus, quando vnus Christus in „
claritate suâ apparens congreget ante se „
omnes gentes, & diuidat eas sicut diuidit „
pastor hædos ab ouibus: oues ponet ad „
dexteram, hædos ad sinistram. Et vide- „
tis ibi multos seruos inter oues, & mul- Mat. 25.
tos Dominos inter hœdos; & rursus, v. 32. 33.
multos dominos inter oues, & multos „
seruos inter hædos. Non enim quia sic „
consolati sumus seruos, omnes serui boni „
sunt; aut quia sic reprehendimus super- „
biam Dominorum, omnes Domini mali „
sunt. Sunt boni & fideles Domini, & „
sunt mali. Sunt boni & fideles serui, & „
sunt mali. Sed quamdiu serui boni seruiunt „
malis Dominis, ferant ad tempus, quia „
 non-

"non derelinquet virgam peccatorum super
" sortem iustorum. Quare hoc? Vt non ex-
" tendant iusti ad iniquitatem manus suas,
" vt ad tempus ferant iusti iniquos dominan-
" tes, intelligant non esse hoc sempiternum,
" sed præparent se ad posidendam sempiter-
" nam hæreditatem; quam hæreditatem? vbi
" destruetur omnis potentatus, & omnis pote-
" stas: vt sit Deus omnia in omnibus.

Ps. 99. Hac igitur spe animati, seruite Domino
" in iucunditate. Omnis seruitus amaritudine
" plena est. Omnes conditione seruili obli-
" gati, & seruiunt, & murmurant. Nolite
" timere illius Domini seruitutem; non erit
" tibi gemitus, non murmur, non indignatio.
" Nemo se putet inde venalem, quia dulce est
" quod redempti omnes sumus. Magna fæli-
" citas est, fratres, esse in ista domo magna
" seruum, etsi cum compedibus. Noli timere,
" serue compedite; confitere Domino; meri-
" tis tuis attribue compedes tuos; confitere
" in compedibus tuis, si vis vt in ornamenta
vertantur.

Ps. 78. Non frustra, nec sine exauditione dictum
" est: Intret in conspectu tuo gemitus com-
" peditorum. Seruite Domino in iucunditate.
" Libera seruitus est apud Dominum; libera
seruitus, vbi non necesitas, sed charitas ser-
Gal. 5. uit. Vos, inquit, in libertatem vocati estis,
" fratres: tantum ne libertatem in occasionem
" carnis detis; sed per charitatem spiritus ser-
" uite inuicem.
" Seruum te charitas faciat, quia liberum
" te veritas fecit. Si manseritis, inquit, in
verbo

verbo meo, verè diſcipuli mei eritis, & Ioan.8.
cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit ››
vos. Simul es & ſeruus, & liber; ſeruus, ››
quia factus es; liber, quia amaris à Deo, ››
à quo factus es: imò etiam inde liber, quia ››
amas eum, à quo factus es. Noli ſeruire ››
cum murmure: non enim id agunt murmu- ››
ra tua, vt non ſeruias; ſed vt malus ſeruus ››
ſeruias. Seruus es Domini, libertus es Do- ››
mini: non te ſic quæras manumitti, vt re- ››
cedas de domo manumiſſoris tui. Seruite ››
Domino in iucunditate. Plena erit illa & 1.Cor.15
perfecta iucunditas, cum corruptibile hoc ››
induerit incorruptionem. ››



CAPVT



CAPVT XX.

XI. Paradoxvm;

Solum Sapientem Regem esse.

PLutarchus iure Stoicos irridet; eos magis inopinata, quàm Poëtas fingere. Prodit ille à Porticu Sapiens, clamans altum, & intonans: Ego solus Rex sum; Ego solus diues: & conspicitur interim ad alienas fores mussitans;

Da tegmen Hipponacti; namque rigeo,
Totusque contremisco.

Nempe opinione sua Rex est Sapiens: Sic se falso deludit errore; vt ille Tragicus.

Rex est qui posuit metus,
Et diri mala pectoris:
Qui tuto positus loco,
Infra se videt omnia:
Occurritque suo libens
Fato, nec queritur mori.

Sit ille apud se delirus Rex, impotens sui, & sanæ mentis parum compos, qui falsò hæc sibi de se persuadeat. At ex S. Augustini mente, donatus est homo sibi, quia deseruit Deum placendo sibi; & non obediens Deo, non potuit obedire, nec sibi. Hinc euiden-tior miseria est, quia homo non viuit vt (14. de Ciuit. 24.)

vult

uit: nam si vt vellet viueret, beatum se putaret; sed nec hic tamen esset, si turpiter viueret. Non in opinionibus consistit beata vita, vel regia potestas sed & reipsa, & solida; non adumbrata felicitate, quam sibi quisque fingit.

An ille Rex erat, aut beatus, haud ignobilis Argus apud Horatium?

Qui se credebat miros audire tragædos,
In vacuo solus sessor, plausorque theatro:

Sed prodeat in medium Rex Cynicus Diogenes; qui, vt quadam epistola gloriatur, pallio pro abolla, aut paludamento; clauâ seu baculo pro sceptro, vtebatur; aut instar Herculis, pro leonis exuuio, pallium triobolare gestabat, & clauâ bellum voluptatibus indicebat: Væænum expositus à piratis, interrogatus; ecquid scire profiteretur? Hominibus, inquit, imperare. Fastuosum sanè responsum: nam quæ Philosophorum consensu ars difficilior, quàm hominibus imperare? Et mox, cum prætereuntem Xeniadem vidisset, ingenuo vultu: Huic, inquit, me vendite: nam domino opus habet. Et ita se gessit, imperans toti familiæ. Ac cum amici eum redempturi, paulò post aduenissent: Abite, inquit: Non enim leones seruos esse nutrientium, sed nutrientes leonum; efferatum se leonem profitens. De quo & quæ Hieron. habet 2. aduersus Iouinianum, huc transferam, duplici cum fructu lectoris, & quem Hieron. propositum habuit, & quem adijcere licebit, humilitatis. Laërt. in Diogen.

Vnius, inquit, Philosophi exemplum posui, vt for-

'vt formoſuli noſtri, & thoroſuli, & vix ſummis pedibus adumbrantes veſtigia; quorum verba in pugnis ſunt, & ſyllogiſmi in calcibus; qui paupertatem Apoſtolorum, & crucis duritiam aut neſciunt, aut contemnunt, imitentur ſaltem Gentilium parcitatem. Ego verò ad ſuperbiam eius coarguendam, quâ & Alexandro Rege potentior, & naturæ victor humanæ videri voluit, humilitatemque docendam, eadem ex Hieronymo tranſcribam. Refert Satyrus, qui illuſtrium virorum ſcripſit hiſtorias, quod Diogenes palliolo duplici vſus ſit, propter frigus; peram pro cellario habuerit, ſecumque portarit clauam, in corpuſculi fragilitatem, quâ iam ſenex membra ſuſtentare ſolitus erat; & ἡμερόϐιος vulgò appellatus ſit, in præſentem horam poſcens à quolibet, & accipiens cibum. Habitabat autem in portarum veſtibulis, & porticibus ciuitatum; Cumque ſe contorqueret in dolio, volubilem ſe habere domum iocabatur, & ſe cum temporibus volutantem: frigore enim os dolij vertebat in meridiem, æſtate ad ſeptemtrionem; & vtcumque ſol ſe inclinarat, Diogenis ſimul prætorium vertebatur. Quodam verò tempore habens ad potandum cauum lignum, vidit puerum manu concauâ bibere, & deieciſſe illud ad terram fertur, dicens: Neſciebam quod natura haberet poculum. Virtutem eius & continentiam (dic bonâ cum Hieronymi veniâ, arrogantiam, & animi impotentiam) mors quoque indicat. Nam cum ad agonem Olympiacum, qui magnâ frequentiâ Greciæ celebratur, iam ſenex

pergeret,

ergeret, febri in itinere dicitur apprehen-
is occubuisse, in crepidine viæ; volenti-
usque eum amicis, aut in iumentum, aut in
ehiculum tollere, non acquieuit: sed trans-
ens ad arboris vmbram, locutus est: Ab-
e, quæso, & spectatum pergite: hæc nox
ne victorem probabit, aut victum; si fe-
rem vicero, ad agonem veniam; si me vi-
erit, ad inferna descendam. Itaque per
iortem eliso gutture, non tam mori se
it, quàm febrem morte excludere. En
iperbię, & Cacodæmonis Martyrem. An
e Sapiens, & Rex dicendus sit, qui sibi
equiret imperare, qui suimet tortor & car-
ifex existeret, & non magis febrem, quàm
nimi sui impotentiam morte corporis ex-
uderet? quid æquius, quàm vt à se vin-
ictam expetat, ac sumat arrogantia?
Poteram hic persequi comparationem,
uam instituit Chrysostomus, Monachi so-
tarij, cum Regis potentiâ & opulentiâ,
uam à se Latinè versam edidit Ludouicus
iosius; quæque Hieronymus Platus, &
ij eiusdem habent argumenti; sed ab ea
omparatione & nuncupatione regia lubens
ostinuerit Sapiens Christianus, cui sit opta-
ilius obedire, quàm imperare: & qui se
ummi Regis Regum omnium, Christi Do-
nini, vilem atque humilem seruulum pro-
teatur; Et quoniam cæteras inter eius
irtutes, humilitatem, & charitatem ad-
nauit præcipuè; quia contemptus eius, &
espectus nostri causa suscepti valdè est stu-
iosus, animo memori & grato circumfert
cam

eam effigiem, quâ Dominus in Passione delusus est ac derisus, vti mimicus Rex ac theatralis, cum eius diuino capiti impositum est spineum diadema, humeris iniectum paludamentum purpureum, dextræ datum sceptrum arundineum; cum salutatus est à deridentibus Prætorianis militibus Rex Iudæorum, alapis, pugnis, & arundine percussus: cum ad Iudæorum plebem productus: Ecce Homo, Ecce Rex vester, planè denegatus est, & ad crucis mortem diris vocibus efflagitatus: cùm in cruce moriens, affixo hic Regis titulo, nos sibi seruulos comparauit, qui spiritu futuri eramus Iudæi, Deitatem eius abditam confitentes. Nos sanè designabant hæc ornamenta regia, purpureæ vestis, coronæ spineæ, & arundinis, adiungendos illi aliquando in cœlo, instar vestis, coronæ, & sceptri regij. Ad nos maximè pertinebat titulus hic regius. Dicat igitur vnusquisque nostrûm animo gratissimo cum
Ps. 144. v. 1. Regio Vate: *Exaltabo te Deus meus Rex.* Tu es ipse Rex meus, & Deus meus. Rex est, qui regit, qui consulit, qui in Regnum perducit, qui paci ac tranquillitati suorum consulit Christus Dominus. Verissimè Nathanaël: *Rabbi,*
Ioan. 1. v. 49. *tu es filius Dei: tu es Rex Israel*; De quo & illud Apocalypsis: *Qui est testis fidelis, primogenitus*
1. v. 5. *mortuorum, & Princeps regum terræ: qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos Regnum, & sacerdotes Deo & Patri: ipsi gloria, & imperium in sæcula sæculorum.*
19. v. 16. Iterum: *Et habet in vestimento, & in femore suo scriptum: Rex Regum, & Dominus dominantium*, vt ostendatur non solùm quà Deus,
verùm

verum & quà homo, Rex Regum.

Nullum par huic beneficio cælitus nobis obuenire potest, quàm vti Christus Dominus nos regat, & sua gratia tueatur aduersus tentationes, victoriam largiatur, peccatorum occasiones amoliatur, ad omnia virtutum officia ducat atque impellat, Diuini sui verbi, Sacramentorum atque inspirationum vbere copia pascat, & in rectam viam salutis æternæ dirigat, eique concinamus cum Propheta Regio: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit*; & quæ sequuntur. Et iterum: *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo?* Sub hoc Rege quis nolit militare? quis laborem vllum recuset? aut de victoria, & triumpho non speret? Rex est, qui nos Reges est creaturus, æternoque Regno remuneraturus, si in eius famulatu atque obsequio perseuerantes fuerimus; Regnum habet venale, quod tanti valet, quantum habes. Non alio iustius pretio comparatur, quàm obedientiæ & humilitatis; vt qui se impensius hîc Christi causa deiecerit, atque humiliarit, in Dei regno tanto amplius exaltetur ac glorificetur.

In Ps. 22. v. 1. 2.

Ps. 26. v. 1.

Aug. in Ps. 49.

CA-



CAPVT XXI.

XII. Paradoxvm;

Sapientem Deo parem, plenum gaudio, hilarem & placidum, inconcussum, cum Dijs ex pari viuere.

Ep.31. HOc est summum bonum, inquit Seneca, quod si occupas, incipis Deorum socius esse, non supplex. O blasphemam vocem! *Videbam Satanam sicut fulgur de cælo* Luc.10.18. *cadentem*, blasphemias hasce in Stoicis euomentem; ex quo tamen authore superbiæ discendum, quantopere vitium hoc elationis sit formidandum. Non enim alio vitio Lucifer, & omnis reproborum Angelorum cœtus è cælo in barathrum præceps actus est.

Aug.in ps.18. Expos.1. Quæritis quàm magnum sit hoc delictum, quod deiecit Angelum, quod ex Angelo « fecit diabolum, eique in æternum interclu« sit Regnum Cælorum? Magnum hoc deli« ctum, caput, & causa omnium delictorum. « Ad eum modum & primus parens, cum in« fæliciter elatus Dei similitudinem peruerse « affectasset, serpentis astutiâ de paradiso dei« ctus est, vniuersamque stirpem suam perdidit,

ac morti

e morti adiudicauit æternæ.
Potentiam tuam, & iustitiam tuam vsque in altissima, quæ fecisti magnalia: Deus quis similis tibi? Dicam omni generationi superventuræ: de captiuitate, venisti, ad Adam pertinebas; Omni homini nascituro: nihil es per te, Deum inuoca, tua peccata sunt, Dei merita sunt &c. In altis cæli sunt, in altis Angeli sunt, &c. Tibi debent quod sunt, quod viuunt, quod iustè viuunt, quod beatè viuunt; ne putes hominem tantùm pertinere ad gratiam Dei. Quid erat Angelus antequam fieret? Quid est Angelus, si deserat qui creauit? Et homo se extollit, & ne pertineat ad primam captiuitatem, audit serpentem suggerentem: Eritis sicut Dij. Homines sunt Dij? Domine, quis similis tibi? Non in abysso, non in inferno, non in terra, non in cælo: omnia enim tu fecisti. Quid contendit opus cum artifice? Deus quis similis tibi? Ego autem, ait Adam, miser, in Adam omnis homo. Cum volo esse peruersè similis tibi; ecce, quid factus sum, vt de captiuitate ad te clamem? Cui bene erat sub Rege bono, captiuus factus sub seductore malo clamo ad te, quia cecidi abs te. Ps. 70. Serm. 2.

Ex ignoratione planè Dei nascitur hic maximè fatuus error Stoicorum. Non erat eo affectu Sanctus Abraham Patriarcha, cum Deum supplex precaretur: *Quia semel cap., loquar ad Dominum, cum sim puluis & cinis.* Gen. 18. 28. Moses: *Quis similis tui in fortibus Domine? Quis similis tui, magnificus in sanctitate terribilis, atque laudabilis, faciens mirabilia?* Iterum. Exod. 15. 11.

Dominator Domine Deus, misericors & clemens,
34.6.7. *patiens, & multæ miserationis, ac verax, qui custodis misericordiam in millia: qui aufers iniquitatem & scelera, atque peccata, nullusque apud te per se innocens est.*

2.Reg.7.18. Rex Dauid: *Quis ego sum Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxisti me huc vsque? Quid ergo addere poterit adhuc Dauid, vt loquatur ad te? tu enim scis seruum tuum Domine Deus. Idcirco magnificatus es Domine Deus, quia non est similis tui, neque est Deus extra te, in omnibus quæ audiuimus auribus nostris.*

c.9. Denique S. Iob, innocens ác patiens Propheta: *Verè scio quod ita sit, & quod non iustificetur homo compositus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille. Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me; Si innocentem ostendero, prauum me comprobabit. Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, & tædebit me vitæ meæ.*

Nec verò improbandum, quod apud eundem S. Iob ait Eliphaz Themanites:
c.4.17. *Nunquid homo Dei comparatione iustificabitur? aut factore suo purior erit vir? Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem; Quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum consumentur velut à tinea?* Et Baldad Suhites:
Iob.25.4. *Nunquid iustificari potest homo comparatus Deo? aut apparere mundus natus de muliere? Ecce luna etiam non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu eius; Quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis?*

Non modo fatua; sed impia, & blasphe-
a, hæc est hominis cum Deo comparatio;
c ad superbiam modò pertinet, sed ad
heismum vergit Stoicorum hoc Parado-
m. *Ecce gentes quasi stilla situla, & quasi* Is.40.15.
mentum statera reputata su t: ecce insula 17.
*si pu'uis exiguus. Omnes gentes quasi non
, sic sunt coram eo. & quasi nihilum, & inane
utata sunt ei. Cui ergo similem f.cistis Deum?*
nini deliro atque amenti, qui sibi sapiens
etur, & de suâ stultitiâ quasi sapientiâ
isimè gloriatur.

Quid est singularis quisque homo, si cum
ersâ hominum multitudine, quotquot
, fuerunt, & erunt, omnino componatur?
d hæc multitudo vel ad vnum Angelum
nis infimi, sed in immensum naturæ
tantiâ, atque dignitate præcellentem?
d porrò omnes Angelorum chori, om-
que hierarchiæ, cum DEO, omnium supre-
authore, moderatore, conseruatore,
ice, ac remuneratore? Quid homo ap-
tus DEO? *Domine u d est homo, quia in-
sti ei? aut filius hominis, quia reputatus
Homo vanitati sim lis factus est: dies* Ps.143.
sicut vmbra pratereunt; Imò ipsa vanitas 3.4.
tatum. *Vniuersa vanitas, omnis homo
s. In imagine pertransit homo: sed & frustra
rbatur &c. Et nunc qua est expectatio mea?* Ps.38.6.
Dominus? & substantia mea apu' te est. 7.8.
mo comparatione Dei potius non esse,
esse, dicendus est. Non enim est à se,
endenter, sed à continuo Dei conseruan-
luxu, vt luxà sole, dependet; si Deus

manum suam subtrahat, mox in nihilum suum relapsurus. Sed neque est permanenter, cum in continuo sit fluxu, decursu ac transitu temporis, quod præteritum iam effluxit, futurum nondum est, & semper incertum pendet, præsens momentum vix consistit. Punctum est, quod viuimus, & puncto minus. Tum vltima est creaturarum ratione vtentium, constãs corpore hoc corruptibili & animo admodum imbecilli. Abyssus ærumnarum & miseriarum, quæ ex originali primæuo peccato tum in corpus, tum in animam redundarunt; in continuâ mutatione & perturbatione, circumscriptus certo loco, & tempore perexiguo definitùs, bulla mox euanescens; qui vix quicquam possit, vix quicquam sciat, nihil omnino sine Deo opitulante; malus, & malignus, ad vitia omnia procliuis, infirmus & imbecillis, in tenebris, in erroribus, in peccatis, in miserijs. At Deus summus à se semper est independens, simplex, immutabilis, increatus, infinitus, immensus, æternus, omnipotens, omniscius, omniperfectus & bonus, sanctus, iustus, clemens, misericors, benignus, ac beneficus, supremus omnium Dominus, finis vltimus, seipso beatus omnesque creaturas sui capaces beatificans; Vnus, non diuisus; Trinus, non solitarius. O qui sese, & illum Deum suum nosset! Nouerim te, nouerim me, Domine Deus meus!

Beatus quidem Franciscus noctes exhauriebat integras in hâc oratione: Quis enim es tu Domine Deus meus? Et quis ego seruulus tuus, abiectissimus terræ vermiculus?

niculus? Alter quoque Franciscus, vt In-
diarum Apostolatu, sic humilitate præ-
clarus, cum pio vberéque fletu dicere con-
uerat: Quàm bonum habemus Deum?
quanto opinione nostrâ meliorem! melio-
rem omnino, infinito prorsus intervallo po-
tiorem, maiorem, potentiorem, sapientio-
rem, sublimiorem.

Ponunt Stoici discrimen aliquod in po-
tentiâ, seu opulentiâ; quia Iupiter plus po-
test polletque. Quamquam Senecæ inter duos Ep.73.
bonos non est melior, qui locupletior; non
magis quàm inter duos, quibus par scientia
regendi gubernaculum est, meliorem dixeris,
cui maius speciosiusque naufragium est. Dein-
de in diuturnitate: Iupiter quo antecedit vi-
rum bonum, diutius bonus est; quemadmo-
dum ex duobus sapientibus, qui senior deces-
sit non est beatior eo, cuius intra paucos an-
nos terminata virtus est; sic Deus non vincit
sapientem fælicitate, etsi vincat ætate. O de-
lirum Stoicum? sed vis culmen stultitiæ? est
aliquid quo sapiens antecedat Deum? ille
naturæ beneficio, non suo sapiens est. Ecce
res magna, habere imbecillitatem hominis,
securitatem Dei; imò securitatem menda-
cissimam Cacodæmonis. En quàm ad Atheis-
mum hæc æterno silentio obruenda paradoxa
deducant.

Est quidem diuinitus infusa gratia, par-
ticipatio quædam diuinæ naturæ, per quam
illius consortes efficimur, amici, filij, hære-
des, ac prope pares, ordinis diuini, quæ

& ipſa paritas ac ſimilitudo perficietur accedente lumine gloriæ, ac beatificâ viſione; quamquam cum infinito quodam interuallo, vt homo etiam beatus componi non poſsit Deo. Per gratiam Chriſti Domini plurimum animi, confidentiæ, ac certiſsimæ ſpei nobis accedit. Si quæ poteſt eſſe pax, tranquillitas, hilaritas, conſtantia, fortitudo, gratiæ Chriſti Domini potiſsimùm ope nititur; vt vero aliquo, & pio ſenſu poſsint hæc Paradoxa homini Chriſtiano conuenire; ſed cum ab eo longiſsime abfuerit cogitatio omnis ac ſuſpicio Stoicorum, velut abſona, blaſphema, & impietatis plena, ne ſunt audienda quidem, nec ore proferenda.



CA-



CAPVT XXII.

Aduersus idem Paradoxum, maximè ab Exemplis Sacræ Scripturæ, & recentiore quodam illustri.

VItam hanc gaudio plenam traduci non posse, hilarem, placidam, tranquillam, inconcussam, dijs parem, satis est, opinor, superiùs demonstratum. Qui tamen plura desiderat, S. Augustinum 22. de Ciuit. c. 22. legat, de miserijs ac malis, quibus humanum genus merito primæ præuaricationis obnoxium est, & à quibus nemo nisi per Christi gratiam liberatur; sequens item 23. de his, quæ præter illa mala, quæ bonis malisque communia sunt, ad iustorum laborem specialiter pertinent; Comperiet lamentandam hanc vitam densis ignorantiæ tenebris circumseptam, à quibus nemo sine labore, dolore, timore liberari possit; prauæ concupiscentiæ morbis, languoribus, perturbationibus, mæroribus, desiderijs, ac gaudijs insanis obsitam, atque obsessam vndique; immuneris curis, sollicitudinibus, ærumnis, incommodis, ac periculis omni ex parte expositam; in perpetuâ quadam internâ pugnâ, ac rixâ secum dimicantem; de futuro exitu semper incertam; gemere potius ac suspi-

rare debere, ad Deumque supplices preces fundere, quàm gaudere, ac sibi de pace, quæ nondum parta est, ac tranquillitate gratulari.

Sed eâ parte omissâ paradoxi, prior n agis etiam impia ac blasphema, quâ sapiens Stoicus Deo se parem censet, aliquot è S. Scripturâ petitis exemplis coarguenda est. Atque imprimis offert se Pharao Tyrannus Ægypti, cuius illud fuit ad Mosem arrogantiæ plenum responsum: *Quis est Dominus, vt audiam vocem*
Exod. 5. 2. *eius, & dimittam Israel? Nescio Dominum, & Israel non dimittam*; adeoque fuit corde obdurato, vt tot inflictis plagis, quot in Exodo legimus, non flecteretur, dum denique primogeniti sui, & omnium in Ægypto primogenitorum cæde compulsus, dimisit Hebræos; sed mox eosdem prosequutus, cum omni exercitu aquis maris rubri submersus, atque inuolutus miserrimè perijt. De Pharaone, aut Nabuchodonosore, & sub eius typo volunt Isaiam de Lucifero, primo reproborum Angelorum, fuisse vaticinatum; *Et tu vulneratus es, sicut*
Isa. 14. 10. *& nos, nostri similis effectus es. Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadauer tuum; subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris?* & quæ sequuntur.

Consimilis in superbia fuit Princeps Tyri,
Ezec. 28. 2. de quo apud Ezech. *Hæc dicit Dominus Deus; Eo quod eleuatum est cor tuum, & dixisti: Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi, in corde maris; cum sis homo, & non Deus, & dedisti cor tuum quasi cor Dei*. Quæ sunt voces, inquit, Hieron. insanientium dæmonum &c. *Eo quod*

eleuatum

leuatum est cor tuum, quasi cor Dei: idcirco ecce ego adducam super te alienos, robustissimos entium, &c.

Nabuchodonosor Assyriorum Rex, de quo Iudith, 1. & 2. præceperat Holoferni, vt omnes Deos terræ exterminaret, vt ipse solus Deus diceretur ab his regionibus, quæ potuissent Holofernis potestati subiugari. Alter Nabuchod. apud Danielem: *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui? &c.* mox demens effectus, in belluam se commutatum opinatus, séptennium pænas luit, ac denique recognouit Regem cæli; *Quia omnia opera eius vera, & viæ eius iudicia, & gradientes in superbia potest humiliare.* Eandem pænam superbiæ dedit Baltassar eius filius à Dario Rege Medorum, regno pulsus ac necatus. C.4.27.

Sed nullum illustrius exemplum est, quàm Antiochi: de quo 2. Mach. 9. *Cum superbiâ repletus, ignem spirans animo in Iudæos, & præcipiens accelerari negotium, contigit illum impetu euntem de curru cadere, & graui corporis collisione membra vexari: Isque qui sibi videbatur, etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbiâ repletus, & montium altitudines è statera appendere, nunc humiliatus ad terram, in gestatorio portabatur, manifestam Dei virtutem in semetipso contestans; ita vt de corpore impij, vermes scaturirent, odore etiam illius, & fætore exercitus grauaretur; & qui paulò ante sydera cæli contingere se arbitrabatur eum nemo poterat propter intolerantiam fætoris portare. Hinc igitur cæpit ex graui superbiâ deductus, ad agnitionem sui venire, Diuina admonitus plaga, per momenta singula dolori-*

doloribus suis augmenta capientibus; & cum nec ipse iam fatorem suum ferre posset, ita ait: Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire. O verè iustam, ab ipsa æquitate & veritate vocem expressam.

Act.12.12 Herodes, postremus Iudææ Tyrannus, cum ad populum concionans acclamari sibi passus esset Dei voces, & non hominis; confestim ab Angelo percussus est, eo quod non dedisset honorem Deo, & consumptus à vermibus exspirauit. Obseruatum est, ex quo Isaac Commenus Constantinopoli cæpit imperare, penitus imperium istud Orientis concidisse, aut in certam ruinam præceps iuisse, quod primus ipse suę monetę verba hęc: *Mihi debeo*, curasset inscribi; & ab alterâ fronte manum armatam exerto gladio deletâ

2.Thess. 2.4. Saluatoris imagine, & verbis illis: *Dei gratiâ*; quibus eius prædecessor Ioannes Chimisques in aureâ suâ moneta fuerat vsus.

Pluribus hic agere posim de Antichristi superbiâ, qui se & Messiam, & Deum iactabit adorandum; de quo Apostolus: *Qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur; ita vt in templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus.* Sed sufficerit vnius illius discipuli superbiam insanissimam in medium protulisse.

Dan.7. & 11.

l.2.de temp.nouiss.c.11. Narrat P. Iosephus A Costa. In Regno Peruensi fuisse magni nominis Theologum, & Theologiæ professorem doctrinâ, ac pietate pænè tunc eius orbis oraculum. Is familiaritate mulierculæ cuiusdam, quæ se ab Angelo de magnis mysterijs edoceri iactabat, &

extra

:xtra se interdum rapiebatur, aut rapi simulabat, velut altera Philumena aut Maximilla Montani, ita deuinctus est, vti illam de summis Theologiæ quæstionibus consuleret, illam haberet pro oraculo, ac Deo plenam prædicaret; maximè quod de se magna ac mira audiret, & maiora etiam speraret, illi se discipulum addixit, cuius Patrē spiritalem agebat. Atque eò tandem adductus est, vt & miracula facere tentaret, & fieri sibi persuaderet, cuius rei ne tenue quidem vestigium extaret.

Ob hæc, & quod aliquot ab ea Prophetissâ propositiones accepisset ab Ecclesiæ sensu alienas, iussus est comprehendi ab Inquisitoribus fidei, ac per quinqueniū ferè toleratus, auditus, examinatus, & denique deprehensus homo omnium superbissimus, & insanissimus. Cum Angelum sibi diuinitus datum, à quo quæ vellet omnia disceret, ac deinde summâ Dei ipsius familiaritate, ac collocutione fruitum, pertinaciter assereret, in eas ineptias ac nugas delapsus est, quas non nisi ab homine prorsus motæ mentis dici, quisque sibi persuadeat; tali foret integerrimo sensu. Aiebat se Regem futurum, & summum Pontificem, Apostolicâ sede in ea regna delatâ, concessam sibi sanctitatem supra choros omnes cælestes Angelorum, atque Apostolos omnes; quin etiam oblatam sibi à Deo vnionem hypostaticam, sed ab se repudiatam; se Redemptorem orbis esse quoad efficaciam, quod Christus fuisset solùm quoad sufficientiam. Statum omnem Ecclesiasticum abrogandum. Leges alias se editurum, faciles, & apertas, quibus Clericorum cælibatus tolleretur,

retur, vxorum multitudo permitteretur, necessitas confessionis excluderetur.

Præsereo cætera eius deliramenta, mentisque obstinatissimæ duritiem ac peruicaciam. Cum adhibitis Theologis in disputationem biduo nihil esset profectum, & ad publicum spectaculum cum cæteris esset productus, vt fit in Hispania, cælum semper intuebatur, ignem in Inquisitores, & omnes grassaturum cælitus expectans, vt illi erat pollicitus diabolus; sed illum interea Regem, Pontificem, Redemptorem, & nouum legislatorem insanissimum ex imo flamma corripuit, & in cineres redegit.

Ecce quid superbia posit in homine. Rectè monet A Costa. Nulla vis est veneni, nulla meri copiosi, nulla febris phrenetica, quæ sic statum mentis euertat, nulla medicatissima potio ita in furorem rapit, vt animo semel humano imbibita superbia. Ea quæ per furorem superbiæ loquimur, cogitamus, agimus; humilitate sani admiramur, & erubescimus. *Vbi fuerit superbia, ibi erit & contumelia; vbi autem est humilitas, ibi & sapientia.*

Prou. 11. v. 2.

CAPVT



CAPVT XXIII.

XIII. PARADOXVM;

Sapientem omnia rectè facere, etiam digitum exſerendo; ſine peccatis eſſe.

IN extrema ſemper abeunt errores & vitia; medium locum obtinet virtus & veritas, hinc inde vitijs atque erroribus inter ſe pugnantibus circumſepta. Stoici, Sapientem omnia rectè facere, ſine peccatis eſſe, contendunt; Sectarij, hominem iuſtum nihil rectè facere, ſed continenter peccare, idque lethaliter, qui nullum inter lethale ac veniale peccatum diſcrimen agnoſcant. Veritas Chriſtiana eſt, multùm inter peccata intereſſe, nec omnia hominis iuſti opera eſſe peccata, ſed multa rectè facta, nonnulla media, atque indifferentia naturę officia, quæ niſi in altiorem finem referantur, bonitatis moralis formam non induant, nec fructum ferant; plurima mala, & perperam facta, vel quod recto fine deſtituantur, nec eo poſsint honeſtari; vel quod aliæ deſint conditiones, ex quarum omnium aggregatione bonitas moralis exſurgit.

Sunt mala, ſunt bona, ſunt media & mediocria multa. Stoicorum illud eſt: Ni tibi conceſsit

cessit ratio, digitum exere peccas. Non semper ratio grauioribus occupata curis de digito exerendo consultat, aut si consultata non concedit, ideo peccatum est, vituperatione dignum; aut si concedit, opus virtutis est, in laude habendum; sed naturæ officium, pro suâ conditione indifferens, bonum in genere naturæ, non in genere moris, cum ad nullum virtutis finem referatur.

Mirum si Stoicus nunquam, nisi consultâ ratione, digitum exerat. Haud leue sanè peccatum est tantum sibi arrogantis, ac de se præsumentis superbiæ. De legalium obseruatione disputatum est, an certo quodam tempore, quoad cum honore sepulta foret Synagoga, censerentur indifferentia, liberéque à Iudæis vel seruari, vel omitti potuissent, asseuerante S. Augustino, negante S. Hieronymo: neque enim, ait, indifferentia sunt inter bonum & malum, sicut Philosophi disputant. Bonum est continentia, malum est luxuria, inter vtrumque indifferens ambulare, egerere alui stercora, capitis naribus purgamenta proijcere, sputis rheumata iacere; hoc nec bonum, nec malum est: siue enim feceris, siue non feceris, nec iustitiam habebis, nec iniustitiam.

Cæterùm ab eodem Hieron. & Augustino concorditer, ac crebrò confutatum dogma Stoicorum, pridem damnatum in Iouiniano,
Ench. 64. In Ioan. tract. 41. & Pelagio. Legi potest Augustinus, qui asserit vitam nostram esse posse sine crimine, non sine peccato. Crimen definit peccatum graue, accusatione & damnatione dignissimum, sine quo multos viuere, sed non sine pecato. Sunt

veniaiia

'enialia, ſine quibus hæc vita non eſt.'Et alibi. Hieron. in Ierem. 17. & tribus libris aduerſus Pelagium. Chryſoſt. Hom. 16. in Matth. & lij.

Quis poteſt dicere: mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato? Delicta quis intelligit? ait Sapiens noſter, Rex Dauid, in textu Hebraico, Ignorantias quis intelligit? vt ignorantiam oppoat intelligentiæ, & doceat, ſi vitari peccata poſsint, quę vel ex malitiâ, vel infirmitate, vel maligni dæmonis ſuggeſtione comittuntur; t difficillimè vitari quæ ex ignorantiâ, inconſideratione, ac ſurreptione. *Ab occultis meis munda me: & ab alienis parce ſeruo tuo.* Hieron. vertit: A peruerſis, ſuperbis amicis (quales planè Stoici, & Sectarij) quorum colloquia praua corrumpunt bonos mores, quibus conſueſcere ſine peccatorum contagione, difficile ſt. *Si mei non fuerint dominati*, per familiaritatem, *tunc immaculatus ero: & emundabor à delicto maximo*, ſuperbiæ. *Et erunt vt complaceant eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper, Domine adiutor meus, & redemptor meus.* Adiutor in bonis, redemptor, à malis. Et alió Pſ. *Si iniquitates obſeruaueris Domine; Domine quis ſuſtinebit?* Si nobiſcum ſeuerus Iudex agere volueris, & non miſericos Pater, quis ſtabit ante oculos tuos? Vitare poſſum homicidia, adulteria, rapinas, periuria, maleficia, idolatriam; nunquid & peccata linguæ? nunquid & peccata cordis? Sed dicis: minora ſunt, minuta ſunt, ſine quibus eſſe non poteſt vita.

Pro. 20. 9. Pſ. 18.

Ibid.

Ibid.

S. Auguſt. 129. 3.

" vita. Congere minuta, & faciunt ingen-
" tem aceruum. Nam & grana minuta sunt,
" & tamen massam faciunt; & guttæ minu-
" tæ sunt, & flumina implent, & moles
" trahunt.

9. Conf. 13. Idem S. Augustinus orans pro peccatis defunctæ Matris suæ, S. Monicæ. Væ etiam laudabili vitæ, si remotâ misericordiâ disdiscutias eam; Non quod omne peccatum naturâ suâ sit mortale, & Dei dumtaxat indulgentiâ veniale, sed quod sine gratiâ & misericordiâ Dei condonari non possit, etsi in homine iusto facilem veniam mereatur; & quod non rarò disponat ad mortale, aditumque ei, ac viam patefaciat, nisi Dei misericordia subueniat, & anteuertat.

Quamuis singula seorsum peccata vitari possint; non tamen omnia simul, & coniunctim. Id proprium est Dei, impeccabilem esse, qui solus ipse sua est norma, & regula actionum; à quâ deficere nequit; at creatura omnis ex nihilo condita, non potest non deficere aliquando à suâ regulâ, nisi speciatim à Deo dirigatur. Probat idem Hieronymus 2. aduersus Pelagian. Non possum, ait, ego facere à meipso aliquid: sed sicut audio, ita iudico. Ariani obijciunt calumniam; sed respondet Ecclesia, ex persona hominis hęc dici, qui assumptus est. Tu è contra loqueris: Possum sine peccato esse, si voluero. Ille nihil potest ex se facere, vt hominis indicat veritatem; tu potes omnia peccata vitare, vt adhuc *in*

corpore

orpore constitutus ἀντίθεον te esse doceas. Tridentinum igitur anathemate damnat eum, qui dixerit hominem posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia.

Quod contra potest obijci Symbolum Hieron. ad Damasum, in quo detestatur errorem eorum, qui cum Manicheo dicunt hominem peccatum vitare non posse, ex certis coniecturis colligitur id Symbolum esse Pelagij ad Innocentium, Damasi successorem. Qui recipere velit illud vt catholicum, cum Magistro dicat, intelligi de lethalibus, aut singulis seorsum venialibus, non de omnibus vniuersim peccatis. Verùm vt hoc Paradoxum plenius confutetur, nec inutilis, nec ingrata me hic vti digressione lector beneuolus patietur.





CAPVT XXIV.

Contentio inter Principes Apostolorum, Petrum & Paulum, de obseruatione legalium agitata inter Principes Doctorum, Hieronymum & Augustinum, quâ ratione sit definienda.

Ad ann. Chri. 51.

ILlustrissimus Annalium scriptor Baronius, quem viri docti sequuntur; contentionem hanc percelebrem prolixè disputatam apud S. Hieron epistola 86. vsque ad 97. & S. August. epistola 8. vsque ad 19. nec ab illis comprehensam, nec rectè definitam opinatur.

D. Hieronym. Authoribus Græcis, quos profert Origene, Didymo, Apollinari, &c. quibus adiungi possunt Chrysostomus, Theodoretus, & ex Latinis Cassianus, inquit eam contentionem & reprehensionem factam ex composito, ac simulatè, vt per eam occasionem vterque Apostolus suæ Gentis, ac nationis, cuius erat Apostolus, ac specialem curam susceperat, Petrus Iudæorum, Paulus Gentilium, vtilitati consuleret.

At D. August. sequutus Cyprianum, atque Paulinum titulo Ambrosij, remseriò gestam, & verè Petrum à Paulo reprehensum,

& verè

e verè quoque peccasse Petrum asseuerat, ne
icamus Apostolum fuisse mentitum, ac vera
non scripsisse. Neutram, ait Baronius, sententiam sequimur; nec eam rem simulatè ex
omposito gestam; nec Petrum vel minimùm
peccasse. Nam si peccasset Petrus, peccasset
& Paulus, qui Timotheum ex Gentili Patre,
Matre Iudæa circumcidit, capillum sibi in
Nazareorum morem totondit in Cenchris, Act. 16. 18. 21.
purificauit se ingressurus in templum, ex Iacobi consilio, ad gratiam Iudæorum conciliandam. Opus igitur externum in Petro non erat reprehensione dignum. Interior intentio soli Deo cordium inspectori patebat, & ab eo diiudicanda erat; Superest igitur, vt quoad consequutum effectum, quem minimè D. Petrus intenderat, ac spectarat, reprehendi eius factum posset, nempe quod eo exemplo summi Principis Apostolorum Gentiles ad Iudaicos ritus prouocari, atque impelli viderentur; quando quidem Barnabas, & alij iam illud exemplum sequuti fuissent. Quare si verè reprehendit Petrum Paulus, id fuit tamen absque vllo Petri peccato: nam prudentissimo consilio, & cum merito Petrus accommodauit se tempori, quemadmodum & ipse Paulus. Antequam venirent Iudæi, vescebatur cum Gentilibus, sed post veritus ne offenderentur, abstinuit; erat autem specialis Apostolus Iudæorum, eorumque salutis specialem curam habebat. At D. Paulo, Gentilium Apostolo, visa est noxia Gentilibus, apud quos maxima erat authoritas Petri, & non ferenda ista dissimulatio; quare illum palā reprehendit.

Bellum hic vtrimque iustum, quis dixerit intercessisse; dum vterque Princeps Apostolorum suis maximè, quorum erat specialis Apostolus, Iudæis Petrus, Gentibus Paulus consulere nititur, eorumque salutem quàm maximè promouere. Non dixerim sanè factam ex composito, ac simulatè contentionem hanc omnem ac reprehensionem, nec commoda videtur istiusmodi scripturarum, quæ sine fuco maximè sinceræ sunt ac simplices, interpretatio; nec magnam haberet vim huius rei præteritæ narratio, si nihil, nisi fictum, ac simulatum contineret. Sed illud tamen etiam dixerim, verè reprehensum Petrum à Paulo, scripturâ teste, quia verè erat reprehensibilis, ac verè peccabat, non quidem grauiter, & ex animi proposito, sed per incogitantiam, & inconsiderationem, quod eum effectum, qui consequutus est, non præuiderat, ac præcauerat.

Fuerunt quidem Apostoli festo Pentecostes in gratia confirmati, ne lethaliter ac grauiter peccarent, sed à quotidianis leuibusque peccatis non fuerunt immunes. *Si dixerimus*, inquit D. Ioannes, *quoniam peccatum non habemus; ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*. Atque vt apertiùs constet, hanc contentionem bene comprehensam à SS. Doctoribus, Hieronymo, & Augustino, recteque à S. Augustino definitam, ex commentarijs S. Thomæ Aquinatis in epistolam ad Galat. eius explicationem breuiter mutuabor.

1. Ioan. c. 1. 8.

Hæc igitur inter SS. Doctores controuersia quatuor in capitibus versabatur, vt ex eorum

ırum ſcriptis haud obſcurè colligitur. Pri-
ıum de tempore legalium, quo vigebant, aut
:ſierant. D. Hieronymus duplex aſsignabat,
ıum ante Chriſti Domini paſsionem, quo
galia viua erant, & habebant vim ſuam;
terum poſt paſsionem, quo non tantum
ortua, ſed & mortifera euaſerunt, vt
ıicumque verè illa ſeruaret poſt paſsio-
:m, lethalem culpam admitteret; quare
Petrum, & Paulum ſimulatè dumtaxat
ſeruaſſe contendit. At D. Auguſtinus
iplex aſsignat tempus; vnum ante paſsio-
m, & tum viguiſſe legalia; alterum poſt
ſsionem proximè, ſed ante promulgatio-
m Euangelij, temporibus Apoſtolorum,
m legalia mortua fuiſſe, non tamen mor-
era Iudæis ad fidem conuerſis, dummo-
in eis ſpem non collocarent, nec neceſ-
ia ducerent ad ſalutem; nimirum vt inter
dæos & Gentes ad fidem conuerſos eſſet
crimen, nec pari paſſu viderentur ince-
re, ne quemadmodum hi ab Idololatriâ,
à ſuæ Religionis ritibus illi viderentur
ocari; vt pateret obſeruationem legalium
n fuiſſe malam, vti erat Idololatria. Erat,
quit S. Auguſt. Mater Synagoga cum ho-
ıre ad tumulum deducenda. Atque hoc
: primarium caput, ex quo cætera dedu-
ntur; cum diceret S. Paulus, S. Petrum iure
s ſe reprehenſum, ac verè peccaſſe, quod co-
n Gentilibus Iudaicè viueret, quo ex-
ıplo Gentiles ad Iudaicos ritus induci
ſſent; quod ſi feciſſet clanculum, id ei
ıiſſet. Reprehendit id Hieron. velut ad-

uersantem Catholicæ fidei sententiam, licere Christianis inter Iudæos Iudaicè viuere. August. epistolâ vltimâ id restringit certo quodam limite temporis, nimirum Apostolorum temporibus; postea mortiferos eos ritus euasisse. Fuit ergo tempus, quo essent legalia velut media, & indifferentia, mortua; non tamen mortifera, cum sine peccato possent vsurpari, & omitti.

Secundum caput discordiarum, fuit de hac legalium obseruatione factâ ab Apostolis. Hieron. vult non fuisse veram, sed simulatam ad scandalum vitandum, non quod in eis vllam vim aut obligationem inesse crederent, sed ob alias causas, vt qui sabbato quiesceret ipsius quietis causâ, non sabbati seruandi; ab immundis escis abstineret valetudinis causâ, aut eorum horrore ciborum, non ad legis obseruationem. S. Aug. vult verè, non simulatè seruasse legalia, tametsi spem in eis non ponerent, nec existimarent necessaria ad salutem, seruabant tamen, quia ex Iudæis erant orti; & vt comprobarent, ante Christi passionem bonam ac sanctam fuisse legem. Non negarit tamen S. Augustinus, nihil omnino virium in ijs legalibus vtrumque Apostolum collocasse, cum scirent iam esse mortua, imò nunquam ex sese viua fuisse, seu (vt loquuntur) ex opere operato; sed dumtaxat ratione fidei ex opere operantis vim habuisse. Quare potiùs dixerim cum Hieronymo, vtrumque Apostolum per simulationem obseruasse legalia, cum scirent esse

mortua,

mortua, & breui euasura mortifera; faciliùs autem admittitur in factis, quam in verbis simulatio, quòd illa latiùs pateant, multiplicesque habeant vsus & fines; hæc ad mentis conceptus exprimendos sint dumtaxat instituta, nec ad alium finem referantur.

Tertium caput de hoc Petri facto, quod narrat ad Galatas, & ait Hieron. D. Petrum in ea simulatione non peccasse, quia hoc fecit ex charitate & non timore mundano. August. eum peccasse venialiter, ob indiscretionem; nimis inhærendo huic parti Iudæorum, ad vitandum eorum scandalum; quod nocumentum Gentilium non præuidisset, ac præcauisset. Atque hæc præferenda videtur S. August. sententia, tanquam veritati & Apostolo conformior. Nam ex Authoribus, quos allegat S. Hieron. præcipui hæreseos nota sunt affecti, mendacijque propugnatores habentur, inter quos Cassianus apertè coll. 17. post Origenem. At Augustini sententiam, præter Cyprianum, & Ambrosium, seu Paulinum commentatorem, eius titulo, tenet etiam Tertullianus l. 5. contra Marcionem c. 3. quam & sequuti sunt Gregorius 28. moral. c. 12. & hom. 18. super Ezech. Agapetus Papa epistola ad Iustinianum Imperatorem, quæ extat apud Baronium anno 535. Si nefas dicere est, quidpiam falsum in scriptura contineri, nefas est dicere, Petrum non fuisse reprehensibilem, quod disertè asserit D. Paulus.

Quartum caput discordiæ de Pauli repre-

 hensione

hensione, Hieron. vult fuisse simulatam, ex condicto, non veram: sicuti & in Petro simulatam fuisse legalium obseruationem. August. vult, & Petrum verè obseruasse legalia (quamquam in eis spem non poneret) & Paulum quoque verè eum reprehendisse, non simulatè; Petrum peccasse, quod non præuidisset consequuturum scandalum Gentilium. Ac tametsi Petro foret inferior Paulus, licet tamen quandoque subdito superiorem officij sui commonefacere, & publicè reprehendere, cum publicè peccat, idq; aliorum cõmunis vtilitas exigit. Licebat Iudæis, aut Christianis ortis ex Iudęis, aliquantisper vsurpare ritus Iudaicos, quoad cum honore sepulta esset Synagoga; sed præcauendum erat, ne Gentiles ad eorum obseruationem induci viderentur; cum iam ab Apostolis decretum esset in Concilio Hierosolym. eos minimè teneri, eiusque decreti Princeps extitisset Apostolus Petrus. Neque verò Iudæos latere poterat, Petrum iam antea cum Gentilibus edisse: non enim id secretò factum erat; quare quod ab eorum conuictu post abstineret, id per imprudentiam, & inconsiderationem factum videbatur, ob eamque causam meritò reprehensus fuit à Paulo, qui Gentilium salutem magno zelo prosequebatur.

Iam verò Hieronymus admonet, se, quæ in commentarijs congerit, solere ex aliorum magis, quàm suâ sententiâ facere, & tamen hanc sententiam, vti maximè probabilem tuetur, quod existimaret, mox à Christi pasione legalia mortua, & mortifera euasisse; sed post

in S.

in S. Augustini sententiam concessit, vt notat ipse Sanctus Augustinus epistolâ 260. ad Oceanum, & colligitur ex lib. 3. Hieronymi contra Pelagianos, capite 8. quo loco inter alia testimonia de scripturis, quibus docet, sanctos non caruisse peccatis, & nullum Episcopum esse prorsus irreprehensibilem, etiam de Petro profert exemplum; Si ipse Apostolus dicat de Petro, quod non recto pede incesserit in Euangelij veritate, & in tantum reprehensibilis fuerit, vt & Barnabas adductus fuerit in eandem simulationem; quis indignabitur id sibi denegari, quod Princeps Apostolorum non habuit?

Colligitur & ex libro 3. Apologiæ aduersùs Ruffinum eodem tempore scriptæ, cum dixisset Apostolos saluis amicitijs inter se dissensisse, pro exemplis adducit, Paulum & Barnabam stomachatos, propter Ioannem cognomento Marcum; eundemque Paulum, qui in faciem Cephæ restitit, quod non recto pede incesserit in Euangelio, quem tamen præcessorem suum, & columnam Ecclesiæ vocat; quod de verâ & seriâ reprehensione, ac contentione debet intelligi. Quâ in re magnopere nobis S. Hieronymi modestia, humilitas, animique demissio commendatur. Nôn enim contentiosè egit, aut pertinax fuit in suâ tuendâ sententiâ, quin in alteram S. Augustini manibus pedibusque concederet.

At verò D. Petri humilitas iure merito ab omnibus Ecclesiæ Doctoribus summis laudibus effertur; de qua D. Cyprianus ad Quintum. Ep. 71.

tum. Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificauit Ecclesiam suam, cum secum Paulus de circumcisione postmodum disceptaret, vindicans sibi aliquid insolenter, aut arroganter, assumpsit vt diceret se primatum tenere, & obtemperari à nouellis, & posteris sibi potius oportere; nec respexit Paulum, quod Ecclesiæ prius persecutor fuisset, sed consilium veritatis admisit, & rationi legitimæ, quam Paulus vindicabat, facilè consensit. Decuit ea summum Ecclesiæ Pastorem humilitas, pulchreque ait S. Augustinus in commentario; quod erat obiurgatore
Gal. 2.
" suo ipse qui obiurgabatur mirabilior, & ad
" imitandum difficilior; & epistolâ 19. ad Hiero-
" nymum: Multò mirabilius est, & laudabilius
" lubenter accipere corrigentem, quàm auda-
" cter corrigere deuiantem. Et D. Gregorius
" hom. 18. in Ezech. inter alia, quæ forent hic ad-
" scribenda: Tacuit Petrus, vt qui primus erat in
" Apostolatus culmine, primus esset in humilitate. Hac igitur digressione, confutatum apertè manet Stoicum paradoxum; Sapientem rectè omnia facere, sine peccato esse. Accedat tamen ad cumulum eximij Doctoris Ecclesiæ, S. Augustini singularis humilitas.

CAPVT



CAPVT XXV.

De S. Augustini, summi Ecclesiæ Doctoris, eximiâ humilitate.

PRæclarum illud est testimonium eximiæ doctrinæ S. Augustini, quod à Celestino S. Pontif. perhibetur; Augustinum sanctæ recordationis virum, pro vitâ suâ atque meritis in nostrâ communione semper habuimus, neque vnquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor adspersit; quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, vt inter Magistros optimos, etiam ante à meis decessoribus, haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, vtpote qui vbique cunctis & amori fuerit, & honori; vnde resistatur talibus &c. Ep. 8. ad Ep. Gall.

Presbyteri quidam erant Galliæ, quos inter Ioannes Cassianus cognomine Collator, qui S. Augustini scriptis aduersus Pelagium detrahebant, dumque Pelagium ab Ecclesiâ damnatum tueri non auderent, eius tamen hæreses clam, adhibitâ, vt sibi videbatur, quâdam moderatione, propugnabant; qua de causa semipelagiani sunt appellati; de quibus cum ad S. Augustinũ scripsissent S. Prosper Aquitanus, & Hilarius Arelatensis; eorum impulsu S. Augustinus conscripsit celeberrimos illos libros,

"bros, quibus planè conficeretur hæresis Pe-
"lagiana; quorum alterum inscripsit de Prædestinatione Sanctorum, alterum de bono
"perseuerantiæ; ad cuius calcem hæc habet: Qui
"legunt hæc, si intelligunt, agant Deo gratias;
"qui autem non intelligunt, orent vt ille sit
"doctor interior, à cuius facie est scientia, & intellectus. Qui verò errare me existimant, etiam
"atque etiam quæ sunt dicta considerent, ne
"fortassis ipsi errent; ego autem, cum per eos,
"qui meos labores legunt, non solùm doctior,
"verùm & emendatior fio, propitium mihi
"Deum agnosco, & hoc per Ecclesiæ Doctores
"magis expecto, si & in ipsorum manus veniant,
dignenturque nosse quæ scribo.

Ad ann. Chri. 426. De qua contestatione Baronius: Digna quidem S. August. modestia, animique eius admirabili cum submissione verecundia, vt planè, nisi aliundè, ex his saltem intelligere valeamus, afflatum ipsum Diuino Spiritu illa scripsisse; cum non super alium, quàm super humilem requiescat Dei Spiritus, & Sapientia Dei pudica sit &c.

Apud eundem Baron. legere est, quanta modestia & obseruantia D. Hieronymum consuluerit S. Augustinus, de origine animarum, alijsve quæstionibus, quantum illi detulerit, quàm de se submissè senserit præ illius, quam suspiciebat, eruditione; quamquam & Hieronymus plurimum S. Augustino tribuerit, atque cum eo in hac ipsa modestia, atque humilitate certarit; quæ, ne longior sim, referre prætermitto.

Illustriora demissionis animi, ac Christianæ humili-

humilitatis S. Augustini testimonia proferri posse non arbitror, quàm libros Confessionum, ac Retractationum, ab eo summa curâ elaboratos, in quibus & publicare peccata sua, & quæ minus accuratè aut rectè scripserat, palam reuocare, ac retractare non erubuit. Verosimile est libros Confessionum, rogante Sancto Paulino, aut alijs amicis, qui vitæ eius historiam expetierant, conscriptos fuisse; qua occasione peccatorum suorum publicam sibi putauit edendam confessionem, vt tantò magis Dei laus eluceret, peritissimi, & optimi Medici, qui eum à tam graui, & inueterata percurrasset ægritudine.

De his 2. Retract. 6. Confessionum mearum, „ inquit, libri, & de bonis, & de malis meis Deũ „ laudant iustum, & bonum, atque in eum excitant „ humanum intellectum, & affectum; interim, „ quod ad me attinet, hoc in me egerunt cum scriberentur, & agunt cum leguntur. „ Id sanè agunt & in me, & in alijs, quos hodieque proferre possim.

In libris Retractationum concinnandis complures annos posuit, & cum alia ex alijs orta impedimenta, laborem eum interturbarent, denique id cæpit consilij, vt Episcopatus administrationi renuntiaret, eamque curam omnem in Eradium Presbyterum, quem sibi successorem de consensu Cleri, populique delegerat, publicis actis transmisit; quæ quidem acta publica etiãnum extant, eaque in suos transtulit annales Baronius. Ad ann. Chri. 426. Nemo ergo inuideat otio meo, quod magnum habet negotium. „ Si mihi Deus, quod volo præstiterit, „ vt om-

" vt omnium librorum meorum, quæcumque
" mihi rectiſsimè diſplicent, opere aliquo ad
" hoc ipſum inſtituto, colligam, atque demon-
" ſtrem; tunc videbunt omnes, quàm non ſim ac-
" ceptator perſonæ meæ. Neque morum, ne-
que doctrinæ diſsimulauit errata; ſed eorum publicam edidit confeſsionem, vt Dei ſui laus tantò eſſet illuſtrior, etſi cum aliquâ ſuâ confuſione coniuncta.

Proximus ſanè in commendandâ Dei gratiâ locus à S. Paulo Apoſtolo, debetur huic ſummo Eccleſiæ Doctori, qui tot inſignes aduerſus Pelagium libros conſcripſit de gratiæ Diuinæ neceſsitate. Atque eius illa reprehenſa à Pelagio, ſummâ laude digna eſt humilis precatio, quæ & decimo l. Confeſsionum habetur c. 29. Et tota ſpes mea non niſi in magnâ valde miſericordiâ tuâ, Domi-
" ne Deus. Da quod iubes, & iube quod vis.
" Imperas nobis continentiam &c. De quâ pre-
" catione D. Auguſtinus l. 2. de dono perſeue-
" rantiæ c. 26. In ijs libris Confeſsionum certè
" dixi Deo noſtro, & ſæpè dixi: Da quod iubes,
" & iube quod vis. Quæ mea verba Pelagius
" Romæ, cum à quodam Coëpiſcopo noſtro
" fuiſſent eo præſente commemorata, ferre non
" potuit, & contradicens aliquanto commotius,
pænè cum eo, qui illa commemorauerat, litigauit.

Cum ab eo Donatiſtę conuicti, cauſa relicta ad priuatam eius accuſationem & criminationem ſe conuerterent, quanta cum modeſtia, reuocat eos ad cauſam! Loquantur aduerſus nos quicquid volunt, nos diligamus illos, &

nolentes.

nolentes. Nouimus enim, fratres, nouimus, linguas eorum; propter quod eis non irascamur, patienter ferte nobiscum: vident enim in causâ se nihil habere, & linguas conuertunt in nos, & incipiunt de nobis dicere mala ,, multa, quæ sciunt, multa quæ nesciunt; quæ ,, sciunt, præterita nostra sunt. Fuimus enim ,, aliquando (sicut dicit Apostolus) stulti, & ,, increduli, & ad omne opus bonum reprobi, in ,, errore peruerso, desipientes, & insanientes ,, fuimus, non negamus; & quantum præteritum ,, nostrum non negamus, tantò magis ,, Deum, qui nobis ignouit, laudamus. ,,

In Psal. 36. tract. 3. in fine.

Ad Tit. 1.

Quid ergo, Hæretice, dimittis causam, & ,, is ad hominem? Quid enim ego sum? Quid ,, sum? Nunquid Ecclesia Catholica ego sum? ,, &c. sufficit mihi, vt in ea sim. Vituperas mala ,, mea præterita; quid magnum facis? Seuerior ,, sum ego in malo meo, quàm tu. Quod tu vituperasti, ,, ego damnaui. Vtinam velles imitari, ,, vt error tuus fieret aliquando prçteritus! ,, Ista sunt mala præterita quæ nouerunt, maximè ,, in ista ciuitate: hic enim malè viximus, ,, quod ego confiteor; & quantum gaudeo de ,, gratia Dei, tantum de meis præteritis timeo. ,,

Quid dicam? dicam doleo? dolerem, si ,, adhuc sic essem: sed quid dicam? Gaudeo? ,, nec hoc possum dicere: vtinam enim nunquam ,, fuissem; quicquid tamē fuit, in nomine Christi ,, præteritum est. Quod autem modò reprehendunt, ,, non norunt. Sunt adhuc, quę in me ,, reprehendant; sed tamen multum est ad illos, ,, vt hoc nouerint: multa enim ago in cogitationibus ,,

tionibus

" tionibus meis, pugnans aduersus malas sugge-
" stiones meas, & habens conflictationem diu-
" turnam, & prope continuam vim cum tenta-
" tionibus inimici subuertere me volentis. Ge-
" mo ad Deum in infirmitate mea. Nouit quid
" parturit cor meum ille, qui nouit partum
" meum. Mihi autem minimum est, vt à vobis
" diiudicer, aut ab humano die, ait Apostolus;
1. Cor. 4. sed neque ego me ipsum iudico: melius enim
" me ego noui, quàm illi; sed melius Deus,
" quàm ego. Quæ sequuntur ad eandem vir-
" tutem humilitatis pertinent. Verùm & ex
" alijs locis nonnulla delibemus.
" Ad finem expositionis psalmi 66. ad popu-
" li, opinor, acclamationes: Sæpe diximus Cha-
" ritati vestrę: prædicare veritatem nihil est,
" si cor à lingua dissentiat: & audire verita-
" tem nihil est, si non auditionem fructus se-
" quatur. De isto loco quasi sublimiore loqui-
" mur ad vos; quàm simus autem timore sub
" pedibus vestris, Deus nouerit, qui propitius
" sit humilibus; quia non nos tam delectant
" voces laudantium, quàm deuotio confiten-
" tium, & facta rectorum. Et quàm non de-
" lectemur, nisi profectibus vestris; in istis
" autem laudibus quàm periclitemur, ille no-
" uerit, qui nos ab omnibus periculis liberet,
" & nos vobiscum ab omni tentatione saluatos
" in regno suo cognoscere, & coronare digne-
tur.
In Ps. 126 Ideo altior locus positus est Episcopis, vt
" ipsi superintendant, &c. De isto vltimo loco
" periculosè redditur ratio, nisi eo corde ste-
" mus hîc, vt humilitate sub pedibus vestris
simus

ſimus, & pro vobis oremus, vt qui nouit „ mentes veſtras, ipſe cuſtodiat. „

Eia, Fratres, ſi volumus ſub vmbra alarum „ Dei cuſtodiri, ſimus Iſrael: cuſtodimus enim „ vos ex officio diſpenſationis, ſed „ cuſtodiri volumus vobiſcum. Tanquam „ vobis paſtores ſumus, ſed ſub illo paſtore „ vobiſcum oues ſumus; tanquam vobis ex hoc „ loco Doctores ſumus; ſed ſub illo vno Magi- „ ſtro, in hac ſchola vobiſcum condiſcipuli ſu- „ mus. Si volumus cuſtodiri ab illo, qui hu- „ miliatus eſt propter nos, & exaltatus ad cu- „ ſtodiendos nos, humiles ſimus. Nemo ſibi ar- „ roget aliquid, nemo habet aliquid boni, niſi „ ab illo acceperit, qui ſolus bonus eſt. Qui „ autem ſibi voluerit arrogare ſapientiam, ſtul- „ tus eſt; ſit humilis, vt veniat ſapientia, & il- „ luminet illum. &c. „

Ipſe donet, vt dicam quod ſentio; feliciores In Pſ. 50. ſunt qui audiunt, quàm qui loquuntur: qui enim diſcit, humilis eſt; qui autem docet, laborat vt non ſit ſuperbus, ne malè placendi „ affectus irrepat, ne Deo diſpliceat, qui vult „ placere hominibus. Magnus tremor eſt in do- „ cente, fratres mei, magnus tremor eſt noſter „ in his vocibus noſtris. Credite cordi noſtro, „ quod videre non poteſtis, ſcit ipſe qui miteſ „ cat nobis, qui propitius ſit nobis, cum quan- „ to ſub illo tremore ad vos loquimur, cum au- „ tem ipſum aliquid ſuggerentem, & docentem „ intus audiuimus, ſecuri ſumus, ſecuri gaude- „ mus: ſub Magiſtro enim ſumus, illius glo- „ riam quærimus, illum docentem laudamus, „

" delectat nos veritas eius intus, vbi nemo fa-
" cit, vel audit strepitum.

" Explicans illud: *Super montes stabunt aqua.*
" An ad præteritum diluuium pertineat? Ani-
" maduertimus sæpe Prophetas præterito tem-
" pore verborum dicere, quæ futura sunt; in
" figurâ autem futuri dicere præterita, non
" facilè occurrit legenti, non audeo dicere, non
" est; sed certè studiosis earum litterarum in-
" dixerim, quid quærant? si inuenerint, & ad
" nos attulerint, gratulabimur adolescentium
" studijs otiosorum occupati senes, & ex eorum
" ministerio & nos aliquid discimus: non enim
" dedignabimur, quoniam Christus de omni-
bus docet.

24 q. 3. si habes. Ep. 75. Aux. Ep.

Cui planè congruit, quod inter canones de eodem refertur. En adsum senex, à iuuene Episcopo, & Episcopus tot annorum, à
" Collega nondum anniculo paratus sum dis-
" cere. Vtinam me Dominus Deus meus inter
" illas qualescumque nubes ministrare digne-
" tur. Viderit quàm nebulosa nubes sim.
" Nubes ista, quæ vobis loquitur, inualida
" est ad omnia ista exponenda. Notum est
" omnibus, quia de pane, quem accipimus,
" & quem erogamus, reddituri sumus ratio-
nem; cogimur annuntiare eum, qui nemi-
" nem timet: ipse Dei sermo neminem ti-
" met.

l. 2. de bono perseuerantiæ. c. 21.

Ad extremum, veluti sigillum apponam, quod senex scripsit: Propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepi, vt nec meipsum in omnibus securum fuisse

nisse demonstrem; sed proficienter me existimo, Deo miserante, scripsisse: non tamen à perfectione cæpisse; quandoquidem arrogantiùs loquor, quàm veriùs, si vel nunc dico me ad perfectionem sine vllo errore scribendi, iam ista ætate, venisse; sed interest quantum, & in quibus rebus & erretur, & quàm facilè quisque corrigat, vel quantâ pertinaciâ suum quisque defendere conetur errorem; bonæ quippe spei est homo, si eum proficientem dies vltimus vitæ huius inuenerit, vt adijciantur ei, quæ proficienti defuerunt, & perficiendus quàm puniendus potius iudicetur. Hęc planè S. Doctore dignissima, & hisce Stoicorum superbis paradoxis refutandis accommodatissima.





CAPVT XXVI.

XIV. Paradoxvm;

Sapientes soli inter se amici; soli amare gnari.

Ep. 81. Solus sapiens scit amare, solus sapiens amicus est, ait Seneca; quâ de re pluribus Epictetus dissertatione propriâ; & Quintilianus declam. 182. Jungit amicitias similitudo morum. Nescio quomodo inter se animorum lumina vident, & agnoscunt; nec quisquam amare in altero potest, nisi quod tacitus probat.

Lælius apud Ciceronem: Hoc primum sentio, nisi in bonis amicitiam esse non posse; neque id ad viuum reseco, vt illi qui hæc subtilius disserunt, fortasse verè, sed ad communem vtilitatem parum: negant enim quemquam virum bonum esse, nisi sapientem; sit ita sanè, sed eam sapientiam interpretantur, quam adhuc mortalis nemo est consequutus; nos autem ea quæ sunt in vsu, vitaque communi, non ea quæ finguntur, aut optantur, sperare debemus. Si sibi congruere velint Stoici; vt nemo vir bonus, nemo sapiens adhuc repertus; nemo quoque verè amicus. At cum in multis celebretur amicitia, virtus

quoque

quoque ac ſapientia multis ineſſe cenſenda eſt. Fundamentum amicitiæ honeſtæ ac laude dignæ, communicatio virtutis & honeſtatis in pluribus qui eam poſſident, aut ad eam adſpirant, eſſe debet. Inde mutuus amor, mutuaque beneuolentia. Neque tantùm amicitiæ virtus conciliatrix & auctrix exiſtit, ſed & ipſa virtutum adiutrix eſt amicitia; vt quoniam ſolitaria non poſſet virtus ad ea quæ ſumma ſunt peruenire, coniuncta & conſociata cum alterâ perueniret. Inde tantam habet vim ad coniungendas amicitias, morum ac ſtudiorum ſimilitudo; & (vt eſt in Prouerbio) Pares cum paribus facillimè congregantur; & æqualitate animorum conſtat amicitia, definiturque eſſe nihil aliud, niſi omnium diuinarum humanarumque rerum, cum beneuolentiâ & charitate, conſenſio.

Pythagoras primus dixit, Amicorum omnia eſſe communia, & amicitiam æqualitatem eſſe; quod vltimum Iſidorus Peluſiotes ſic expreſſit, Ἰσότης, φιλότης. Ariſtoteles interrogatus; Quid eſſet amicus? reſpondit; Vna anima duobus corporibus incluſa. Sidonius; Animæ duæ, animus vnus.

Verùm, cum Philoſophi nunquam attigerint, ne tenui quidem ſuſpicione, vim Diuinæ & infuſæ charitatis; nunquam item illis in mentem venire potuit cæleſtis amicitia, quæ nobis cum Deo, & propter Deum cum proximis intercedit, fundata in communicatione donorum gratiæ, & participatione quadam Diuinæ naturæ. Longiſſimè ſanè abfuerant l. 9. ep. 5.

ab hoc affectu Diuinæ charitatis, qui sine omni affectione esse studebant, ac sibi apatheiã pro scopo felicitatis ac sapientiæ, proposuerãt.

Iam, an Sapiens plus seipsum, quàm amicum, amare ac beneuolentiâ prosequi deberet; an tantundem amicum, quantum seipsum; aut omnino quis ordo in charitate & amicitiâ seruandus foret, ignorarunt. Cato de Stoicis apud Tullium; Amicitiam autem adhibendam esse censent, quia sit ex eo genere, quæ prosunt; quamquam in amicitiâ alij dicant æquè charam esse Sapienti rationem amici, ac suam; alij autem, sibi cuique chariorem suam: tamen hi quoque posteriores fatentur, alienum esse à iustitiâ, ad quam nati esse videamur, detrahere quid de aliquo, quod sibi assumat.

In ijs quæ pertinent ad animæ salutem, ac cum Deo coniunctionem, sua cuique debet esse potior ac charior ratio, quàm amici; at si de temporali quopiam emolumento agitur, præferenda cuiuis nostro commodo proximi salus. Sed quæ Theologi de charitatis or-
2.2.q.26. dine documenta tradunt prolixiora, & passim obuia, persequi hîc necesse non est.

Neque verò tantùm bonos, & amicos beneuolentiâ prosequuntur boni; sed etiam propter Deum inimicos, qui sunt naturæ nobis communione coniuncti, fortè & religionis, aut aliâ speciali societate: sed illa diligendi causa iustissima est, quòd Deus id imperarit ac commendarit, omnesque homines, quoad naturam & spiritualium donorum capacitatem, ad Deum pertineant: quod

à Deo

à Deo creati, Christi Sanguine redempti, & illius per gratiam, si reconcilientur, compotes, amici, filij, & hæredes aliquando futuri.

Porro, quæ potest amicitia huic præponi aut conferri, quæ cum Deo nobis intercedit, summo eius beneficio, quando nos illâ non dedignatur immerentes? Quis amicior, quàm Christus Dominus, qui nobis seipsum tot modis est elargitus? Qui Deum habet amicum, omnes eius Aulicos, Sanctos Homines atque Angelos habet amicos. Quâ beneuolentiâ nos Deus absq; vllo merito prosequitur, eâdem ac pari nos illi prosequuntur.

Iam, qui Deum amat in omnibus proximis, omnesque in Deo germanâ charitate complectitur, quid alios vltra desideret amicos? Non ille quidem quemquam oderit, absit; sed Deo, Deique beneuolentiâ & amicitiâ contentus, nihil magnopere amicorum præsidia, solatia, societatem, ac consuetudinem requiret, nisi ad eum ipsum finem, vt sese Deo suo arctiùs adiungat, atque obsequatur impensiùs.

Sanè ex Stoicorum disciplinâ, quid Sapienti opus est amicitiâ; cum sit se ipso contentus? cum nec eum amici bonis ac commodis exhilarari, nec incommodis & aduersis rebus commoueri patiantur? At Diuina charitas Deo contenta, Deique donorum innixa communicatione, neminem respuit amicum; sed omnes, inimicos etiam, beneuolentiâ suâ complectitur, omniumque commodis studet, bonis exhilaratur, malis affligitur, omnesq; rerum euentus ad vnum denique

Deum refert, ad eius obsequium & gloriam, quæ ex hominum salute ac perfectione redundat: nam qui perfectè amat, non nisi vnum amare potest; &, vt præclarè S. August. Minus Domine te amat; qui tecum aliquid amat, & non propter te amat.

O qui flagraret hoc zelo Diuini amoris & honoris in omnibus proximis amplificandi! O qui nihil, nisi eorum salutem respiraret, agnitâ in ijs Diuinâ imagine, quam in primâ Deus formauit origine, quamque peccato deformatam Christus Dominus suo cruore reformauit! qui creatas ac redemptas à Christo animas sincerâ charitate diligeret! quantos ille in dies in amicitiâ Diuinâ progressus faceret! quam eius eximijs fructibus potiretur! quantis solatijs, ac gaudijs cælestibus illi pectus exundaret!

De amore adolescentum, quo Philosophi tenebantur, & de quo tam sæpè disserebant, vel meminisse ac cogitare turpe est. Hieronymus in illud Isaiæ: *Et pueris alienis adhæserunt*. Isa. 2. v. 6. In tantum autem Græci, & Romani hoc quondam vitio laborauerunt, vt & clarissimi Philosophorum Græciæ haberent publicè concubinos; & Hadrianus Philosophiæ artibus eruditus, Antinoum consecrarit in Deum, templumque ei, & victimas, & sacerdotes instituerit, & ex eo Ægypti ciuitas, ac religio nomen acceperit. Inter scorta quoque in fornicibus spectaculorum pueri steterunt publicæ libidini expositi, donec sub Constantino Imperatore, Christi Euangelio coruscante, & infidelitas vniuersarum Gentium

tium, & turpitudo deleta est.

De vulgari humanaque amicitiâ, rectè Lælius apud Tullium; nihil esse difficilius, quàm eam vsque ad extremum vitæ diem permanere: nam, vel vt non idem expediret vtrique, incidere sæpè; vel vt de Republicâ non idem sentirent; mutari item mores hominum, vel aduersis rebus, vel ætate ingrauescente; dirimi certè contentione commodi alicuius, quod idem adipisci vterque non posset, idque in optimis quibusque, si in honoris & gloriæ certamen incidissent.

Quamobrem, esto, optimos quosque Stoicos interpretemur; tamen inter eos diuturna nunquam ac firma coalescet amicitia, quos ipsa disciplina contentionis auidos, sententiæ suæ tenaces, peruicaciæ, & obstinatæ sui fiduciȩ plenos efficit; quos honoris & gloriæ summa quædam ambitio, non in vitio, sed in laude apud eos habita, diu noctuque æstimulat, vt nec parem, nec superiorem ferant, hȩc eadem amicum constantem habere non sinet.

Quare non tam capitalis amicitiæ pestis est auaritia aut luxuria, quàm superbia, honoris ac gloriæ cupiditas, aut (vt à nostris definitur) excellentiȩ ac præeminentiæ appetitus, qui neminem sibi vel anteponi vel æquiparari patiatur.

Inter superbos semper iurgia sunt. Cum igitur tota superbiæ sit addicta Stoica disciplina, nulla magis, quàm illa, repugnat amicitiæ. Accedit, quod superbiæ comes inuidia est, vti pluribus edisserit S. August. Inde solùm Prou. 13. v. 10.

punien-

S. Aug. in ps. 58. tract. 2. puniendus est diabolus, quia sola superbia lapsus est: & ideo inuidet stanti, quia comes superbiæ inuidentia. Adde, quod omnis superbus, fictus est & mendax.

Vt amicitiam conciliat charitas, adeoque ipsa charitas amicitia est, comes autem charitatis, est humilitas; ita discordiæ mater & odij progerminatrix, est superbia. Humilitas Dei comprimis ac Beatorum, tum cæterorum quoque mortalium conciliat animos, mutuamque beneuolentiam prouocat, amicitiam ac beneficentiam confirmat. Ecc. 3. v. 19. 20. 21. *Fili, in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris. Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam: quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur.*

Humilitas igitur eadem optima est tum Diuinę, tum humanę conciliatrix & conseruatrix amicitiæ, vt vtrique infensissima est hostis, & capitalis, superbia, & quæ superbiæ semper adhęret, inuidentia comes ac filia.

CAPVT



CAPVT XXVIII.

Plura simul Paradoxa; Sapientem solum pulchrum, Nobilem, Ciuem, Magistratum, Rhetorem, Vatem, & omnia esse.

OMnia rectè faciet Sapiens, etiam lenticulam condiet, Sartor & Sutor erit,

Non nosti, quid pater ille
Chrysippus dicat? Sapiens crepidas sibi nunquam
Nec soleas fecit; Sutor tamen est Sapiens. (Quò? Horat. l. 1. Satyr. 3.
Vt quamuis tacet Hermogenes, Cantor tamen, atque
Optimus est modulator; vt Alfenus vafer omni
Abiecto instrumento artis, clausaque taberna,
Sutor erat; Sapiens operis sic optimus omnis
Est Opifex.

Ita homines gloriosi, quorũ tamen dissimulatio facilius hoc detegi, ac reprehendi possit, adhibitâ ipsâ experientiâ, quæ mox eos falsitatis coarguat, quã dum sapientiã ac virtutẽ dissimulanter ementiuntur. Itaque quod aliàs dixi, Sapientẽ ex professo non metiri, ex his gloriosis mendacijs retractandũ censeo; & quod est apud S. Aug. valdè probo, superbũ omnem, fictum esse, & mendacem; primũ quidem ac præcipuè, quod hominis iusti ac sapientis effigiem præseferat, cum à iustitiâ ac sapientiâ absit longissimè; simulatus hypocrita est, omnis superbus.

Hoc

In Ps. 121 Hoc dico, fratres mei, necesse est vt omnis
" superbus velit videri quod non est; aliter non
" potest. Et, fratres mei, vtinam sic vellet su-
" perbus videri quod non est, vt vellet videri &
" quod est, verbi causâ, coraula, cum coraula
" non esset! citò enim probaretur, si diceretur
" ei: cantà, videamus vtrum coraula sis: cum
" non posset, inueniretur falsò se videri voluis-
" se, quod non erat. Dicit se eloquentem esse,
" dicetur ei: loquere, & proba; si locutus non
" fuerit, inuenietur hoc non esse, quod pro-
" fessus est. Superbus (quod peius est) iustum
" se vult videri, cum non sit; & quia iustitiam
" intelligere difficile est, superbum difficile est
" agnoscere. Deinde superbus omnis, fictus est &
" mendax, quod verborum ambagibus, ac mul-
" to circuitu mendaciũ loco veritatis obtrudat.
" Caput circuitus eorum. Ipsa superbia.
In Ps. 139 " Quid est circuitus ipsorum? Vt circumeant,
" & non stent, in gyrum eant erroris, vbi iter
" est sine fine: Qui enim in longum it, aliun-
" de incipit, alicubi finit; qui in gyrum it, nus-
" quam finit: Ipse est labor impiorum, qui in
" alio psalmo demonstratur euidentius, In
Ps. 11 circuitu impij ambulant. Si circuitus eorum
caput, superbia est; Quia initium omnis
Ecc. 10. peccati, superbia. Vnde autem superbia, la-
" bor labiorum ipsorum? Omnis enim super-
" bus, fictus est; omnis fictus, mendax. La-
" borant homines loqui mendacium: nam ve-
" ritatem totâ facilitate loquerentur: Ille enim
" laborat, qui fingit quod dicit: nam qui ve-
" rum vult dicere, non laborat: ipsa enim ve-
ritas sine labore loquitur. Mox adijcit S.

Augusl.

August. In omni opere malo labor est, & „
omne opus malum cogitatum mendacium „
ducem habet: non enim est veritas, nisi in „
opere bono. Et propterea quia omnes labo- „
rant in mendacio, Veritas quid clamauit? „
Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Atque hæc generatim aduersus ista Paradoxa mendacia Stoicorum.

Iam, vt singula strictim percurramus; est quædam pulchritudo iustitiæ, quæ non cernatur oculis corporis, sed mentis; quam adamamus, ait S. August. in curuo sene, in seruo, si sit paruus staturâ, deformis facie, colore tetro, sed fidelis, parcus, sobrius; sed eam non verè sibi Stoici arrogarint, cum verâ iustitiâ careant, adumbratam dumtaxat eius imaginem gerant, de se præsumentes, à Deo iustitiæ fonte penitus alieni. In Ps. 32. & 33.

Est & vera, solaque nobilitas, virtus; quæ claros homines ac celebres efficiat; sed nec eam sibi Stoici iure vendicent, qui nec originem, nec finem veræ virtutis agnouerint, nec à quo esset illa expectanda, nec ad quem referenda; neque Deum Authorem suum, omnisque boni, virtutis, ac beatæ vitæ, quo par erat cultu, venerati sint; neque in cælum suspexerint, vt Diuinæ gratiæ flagitarent opem, sed in terram atque idololatriam viles animas suas abiecerint.

Iam verò ciuitates duas, quas duo faciunt Amores, Diuinus ac Terrenus (in quas omne genus mortalium describitur, ac dispertitur; Hierosolymam cælestem, pacificam, quietam ac beatam; Babyloniam terrestrem,

aut

aut infernalem magis, omnis inquietudinis, perturbationis, horrorisque domicilium) si à S. Aug. Doctore didicissent; ex eodem cuius ciuitatis ciues essent, pro eo, qui animis eorum insedisset ac dominaretur, Amore (quamquam earum ciues nunc variè permixti sint, varieque se exerceant, atque, vt idem loquitur August. angarient) ediscere magno suo bono potuissent.

Magistratum quidem non tam virtus ac pietas facit, quàm authoritas ac potestas indulta legitimè; quamquam Magistratum rectè gerere, recteque imperare perdificile est illi, qui subesse non nouerit, & non antea superioribus quoque suis obedire didicerit. Qui certè Deo, à quo omnis est ordinata potestas, non se planè submiserit, à quo & rectæ omnis administrationis virtus, atque vsus expectari debet; qui illius opem assiduam non implorarit, haud ille vtiliter Magistratum geret, nec eo munere dignus erit.

Sed quid singula hæc Stoicorum parerga prosequamur? Illis gloriantibus omnia se posse & esse, Christianus humilis opponet, se nihil esse à seipso, nec sapere, nec posse, multiplexque sui nihilum, & naturę, & gratiæ, & bonæ honestæque actionis, & (quod omnium est teterrimum) peccati, quo infra nihilum quoque deijcitur, sincerè, candidè, ac minimè dissimulanter obijciet.

Duæ sunt veritates certissimæ, quibus innititur atque enutritur humilitas, profligaturque superbia. Vna; hominem à se ipso nihil esse, nihil scire, nihil posse; cum à Deo naturam ipsam,

ipſam, atque exiſtentiam habeat, quæ niſi continenter quoque à Deo conſeruetur, vt de nihilo ſumpta, ſic in nihilũ ſit reditura. Altera, hominẽ quicquid habet boni naturę ſuperadditũ; ſiue ſit eiuſdem ordinis, ad eius integritatem atque abſolutionem pertinens; ſiue Diuini, ſupra naturæ leges ac terminos; id à Deo, Authore naturæ ac gratiæ, liberaliter accepiſſe de gratuitâ eius bonitate ac miſericordiâ, nullo præcedente merito, quod non ex priore gratuitâ gratiâ proueniret. Quæ duæ veritates nemini non theoricè ſunt exploratę, ſed non æquè in animum & affectum demiſſæ.

Super his fundatur quadruplex nihilum, ſuper quo appenſa eſt, vt ſuper nihilo terra, diuinitùs humilitas. Primum, eſt naturæ, ac ipſius eſſe, quod creationem anteceſsit: nam ante mundum conditum quid eras? quid ante ſexcentos, ante centum annos? ante parentes tuos, longâ ſerie ex protoplaſtis deductos? Anima de nihilo creata eſt, & diuinitus infuſa corpori, nihil adlaborantibus, ac ne ſcientibus quidem parentibus, minimè ab ijs propagata. Corpus ab ijs acceptum, ſed quàm de fœtido ſpermate deciſum! & ab ipſo tamen Authore naturę formatum, quod vt nihilum quoque ſui agnoſcat originẽ, recurre ad materiam primam, quę de nihilo condita eſt. In hoc naturæ & eſſe nihilum recideremus, ſi vel momento Deus conſeruatricẽ manum ſuam abſtraheret.

Alterum nihilum, eſt gratiæ, & ſalubrium donorum, quæ ad amicitiam Dei, & vitam beatam conſequendam pertinent. Abſque vllo tuo præcedente merito, imò cũ multa grauiſ-
ſimaque

simaque præcessissent demerita, gratiam suam tibi Deus indulsit, cæteraque Diuini ordinis dona, quibus illi gratus & acceptus, & ad sempiternam felicitatem capessendam idoneus existeres. *Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit.*

Ad Tit. 3. v. 5.

Tertium nihilum, actionum bonarum & honestarum, seu naturalium, seu supernaturalium, quas, nisi concurrente Deo, noque adiuuante, imò præueniente & excitante, cooperante ac comitante, nunquam possemus efficere. Et quidem si sint actiones salutares, quæ ad vitam referantur æternam, præter Dei generalem concursum, opus est speciali gratiâ Christi, ex eius meritis partâ, quâ præueniamur, excitemur, & corroboremur, eiusdem ordinis, quoad finem certè supernaturalis. In cæteris opus est auxilio Dei, quo excitemur, & præmuniamur, ne bona hæc consilia & decreta interuertantur, eaque etiam ipse Aristoteles in bonam fortunam, Dei prouidentiam, referenda censuit. Initium omnis bonæ cogitationis à Deo est; omnis autem actio à bonâ cogitatione, vt à primâ suâ pendet origine.

Quartum nihilum; imò minus, & deterius nihilo, adijcitur nihilum peccati, ex interpretatione S. Augustini, in illum locum S. Ioan. *Et sine ipso factum est nihil*; quod propriè nostrum est nihilum, propriâ voluntate nostrâ susceptum, ad quod vitio naturæ corruptæ propendemus, in quod continuò prolaberemur, nisi nos benigna Dei manus cohiberet.

Ioan. 1. v. 3.

cohiberet. Nemo eſt, qui non experiatur in ſe legem peccati, contrariam legi mentis ſuę, fomitem prauum concupiſcentiæ, ex peccato natum, & ad peccatum inuitantem, aut magis impellentem, ac trahentem. *Senſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentiâ ſuâ.* Gen. 8. v. 21.

Glorietur Stoicus Sapiens omnia ſe ſcire, poſſe, & eſſe: Nihilum hoc ſui Chriſtianus agnoſcet, & ſibimetipſi coram Deo vileſcet. *Tanquam nihilum ante te. Ego ad nihilum redactus ſum*: Quomodo, inquit Bernardus, non humilietur anima in verâ cognitione ſui, cum ſemet perceperit oneratam peccatis, mole huius mortalis corporis aggrauatam, terrenis intricatam curis, carnalium deſideriorum fæce infectam, cæcam, curuam, infirmam, implicitam multis erroribus, expoſitam mille periculis, mille timoribus trepidam, mille difficultatibus anxiam, mille ſuſpicionibus obnoxiam, mille neceſsitatibus ærumnoſam, procliuem ad vitia, inualidam ad virtutes? Vnde huic iam extollentia oculorum? vnde leuare caput? Nonne magis conuertetur in ærumna, dum configitur ſpina? *Ego dixi: Domine, miſerere mei: ſana animam meam, quia peccaui tibi.* Pſ. 38. v. 6 Pſ. 72. v. 22. Serm. 36. in Cant. Pſ. 31. v. 4 Pſ. 40. v. 5



CAPVT XXVIII.

Paradoxa item mixta; *Sapientem non affici iniuriâ, non insaniâ, non ebrietate; non ignoscere, non misereri.*

CVm iniuria sit iniustitia quędam cum dedecore, aut damno coniuncta, reperiri potest sacrilegus, qui eam inferat sapienti; sed hic eam spernit, ac reijcit, nihili infamiam aut damnum illud æstimans. Inuulnerabile est, non quod non feritur, sed quod non læditur. Chrysippus amitti virtutem posse ait per ebrietatem, aut atrabiliosum morbum; negat Cleanthes, ob constantes manentesque comprehensiones; & quòd, ait Seneca, semel traditi boni perpetua possessio est.

Sen. de const. Sap. c. 3.

Ep. 50.

Sapientem aiunt turbari vino posse, & facere ebrijs solita; non esse tamen ebrium, quia mente non destinarat, & ea in recto firma perseuerat. Posidonius intelligit ebriosum, quod non soleat, nec amet ebrius fieri; quemadmodum sacræ litteræ docent Noë vino captum, vim eius hactenus inexpertum; non tamen ebriosum.

Serm. 4. die cõme animar.

Non desunt, qui ex sermone quodam S. August. ebrietatem, nisi sit assidua, mortalis culpæ

culpæ non damnent; si rara sit, aut vnica, venialis dumtaxat. Facilius sanè potest ignorantiâ & inaduertentiâ, vim vini nunquam aut rarius expertus excusari; qua non potest excusatione vti, qui assueuit ebrietati. Qua ferè ratione sermonem eum explicat S. Thom. qui quidem sermo non creditur esse S. August. sed Auctoris incerti. Vnica verò ebrietas si deliberata sit, haud dubiè culpam lethalem continet; cum iudicium rationis euertat, grauissimisque incommodis, animique ac corporis periculis hominem exponat: vti pluribus persequitur S. Ambrosius, exemplo Loth, qui inebriatus vino, quid ageret nesciebat. 2.2.q. 150.a.2. l.1. de Abrahã 6.

Ex quo sanè discimus vitandam ebrietatem, per quam crimina cauere non possumus. Nam quæ sobrij cauemus, per ebrietatem ignorantes committimus. Parum est, quod inflammet libidinem, accendat cupiditatem corporis: ipsam quoque mentem subruit, & animum capit &c. D. August. magnopere deplorat illud peccatum, per se adeo graue, quod ab Apostolo connumeretur ijs, quæ excommunicationem merentur, & à regno Dei secludunt; & tamen adeò in Africâ vulgare, vt vix peccatum crederetur. Qui plura volet, Apostoli legat interpretes. Redeamus ad Stoicos, quorum hæc ferenda, nec magnopere digna reprehensione Paradoxa. Ep. 64. 1.Cor.5. v.11. Item 6.v.10. Gal.5.

At sequens Sapientem non ignoscere, non misereri, ferendum non est. Misericordiam, Stoicorum est, solere culpare, inquit S. August. Sed longè melius, & humanius, & piorum sen- 9.de Ciuit.5.

 sibus

sibus accommodatius Cicero, in Cæsaris laude locutus est. Nulla de virtutibus tuis, nec admirabilior, nec gratior misericordiâ est. Quid est autem misericordia, nisi alienæ miseriæ quędam in nostro corde compassio? cui vtique, si possumus, subuenire compellimur. Quamquam pietas sit Dei cultus; tamen more vulgi, ait Augustinus, hoc nomen etiam in operibus misericordiæ frequentatur, quod ideo arbitror euenisse, quia hæc fieri præcipuè Deus mandat, eaque sibi, vel pro sacrificijs, vel præ sacrificijs placere testatur. Apud veteres bonosque Scriptores, Pietas, & Pius, pro miti & miserante. Ex quâ loquendi consuetudine factum, vt & Deus ipse dicatur pius.

Ex his sanè pietatis, & misericordiæ operibus pendet extremi iudicij nouissima sententia; penes ea de beatâ, aut miserâ decernetur æternitate. Neque verò ferè quicquam impensius commendat Christus Dominus, quàm vt ignoscamus, & misereamur. Hâc præscribit formulam impetrandæ à Deo veniæ atque indulgentiæ peccatorum, si & nos proximo indulgeamus, & ignoscamus: Dimitte nobis debita nostra, rogamus, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Itaque sapiens afficitur iniuriâ, sed eam remittit, ac condonat, vltionem non expetit, malefacta benefactis repensat, non vincitur à malo, sed vincit in bono malum; tum verò proximi miserijs commouetur, & animi interiore sensu compatitur, &, cum potest, ope ac beneficentiâ subuenit.

Serm. 13. De Verb. Domin. Tractat hoc argumentum S. August. quodam

dam sermone. Duo sunt enim opera miseri- „
cordiæ, quæ nos liberant, quæ breuiter ipse „
Dominus posuit in Euangelio: Dimittite, & Luc. 6.
dimittetur vobis; date, & dabitur vobis. Di- „
mittite, & dimittetur vobis, ad ignoscen- „
dum pertinet; date, & dabitur vobis, ad præ- „
standum beneficium pertinet. Ac prius illud „
exigitur, dimittere, vt cor sit paratum, sine
amaritudine, ac felle vllius inimicitię, quæ
charitati repugnet, sine qua nullum præstitum „
beneficium prodesse potest. Quod ait de ignos- „
cendo: Et tu vis tibi ignosci, quod peccas; & „
habes alium, cui tu possis ignoscere. Rursus, „
quod pertinet ad tribuendum beneficium; „
petit te mendicus, & tu es Dei mendicus &c. „
Quâ mensurâ mensi fueritis, remetientur vo- „
bis. Vt eris in proximũ misericors, ita & Deus „
in te erit misericors: hanc enim tibi regulam, „
ac mensuram præscripsit.

Non est aliud vinculum charitatis, quo cum
Deo, ac proximo colligemur arctius & fir-
mius; non est aliud vehiculum, quo perduca- „
mur ex hac vitâ ad illam cælestem patriam ex- „
peditius, quam misericordia; de quâ sæpe mul- In Ps. 102
tis agit S. August. Vnde procedit eleemosy- & 125.
na? de corde; si enim manum porrigis, nec in „
corde miserearis, nihil fecisti; si autem in „
corde miserearis, etiamsi non habeas, quod „
porrigas manu, acceptat Deus eleemosynam „
tuam.

Sed nullus sit finis, si de misericordiæ lau-
dibus agere hîc velim. Exemplum ignoscendi,
& miserendi, luculentissimum habemus in
Saluatore, qui pro suis crucifixoribus, vni-

uersisque mortalibus, quorum expiabat in Cruce scelera, Deum Patrem deprecatus est. Ipseque est mitissimus Agnus Dei, pro peccatis nostris immolatus, sanguine suo ea expungens atque obliterans; qui, cum inter homines ageret, ac vitæ salutaris documenta traderet, non semel misericordiâ commotus legitur: In funere adolescentis filij viduæ, ad portas Naim: Super multitudine eum in desertum consequuta; Super Hierusalem, flens super eam: In exsuscitatione Lazari turbauit semetipsum, etiam lacrymatus Iesvs.

Mollissima corda
Humano generi dare se natura fatetur
Cum lacrymas dedit.

Stoici sine affectione, duri, asperi, fellei, immisericordes. Ac quoniam ad exitum libelli propè deuenimus, oblectationi nobis erit, opinor, ex Cicerone perspicere, quantum inter Stoicos, & Peripateticos intersit; ac quantum horum disciplina ad humanitatem lenitatemque propensior existat, dum Catonem insectatur, pro Muræna: Fuit quidam summo ingenio vir, Zeno, cuius inuentorum æmuli Stoici nominantur, huius sententiæ sunt, & præcepta eiusmodi: Sapientem gratia nunquam moueri, nunquam cuiusquam delicto ignoscere: Neminem misericordem esse, nisi stultum & leuem: Viri non esse, neque exorari, neque placari: Solos Sapientes esse, si distortissimi sint, formosos; si mendicissimi, diuites; si seruitutem seruiant, Reges: Nos autem, qui Sapientes non sumus, fugitiuos, exules, hostes, insanos denique esse dicunt:

Omnia

Omnia peccata esse paria: Omne delictum scelus esse nefarium; nec minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum, cum opus non fuerit, quàm eum qui patrem suffocauerit: Sapientem nihil opinari, nullius rei pœnitere, nulla in re falli, sententiam mutare nunquam.

Hæc homo ingeniosissimus. M. Cato, authoribus eruditissimis inductus arrepuit, neque disputandi causa, vt magna pars; sed ita viuendi, (atque adeo moriendi: Nam eisdem authoribus ipse sibi quoque mortem turpissimè consciuit, aut inuidens victoriæ Cæsaris, aut nescio quam infamiæ notam animo conceptam ferre non sustinens.)

Petunt aliquid Publicani; caue quicquam habeat momenti gratia. Supplices aliqui veniunt miseri & calamitosi, sceleratus & nefarius fueris, si quicquam misericordia adductus feceris. Fatetur aliquis se peccasse, & eius delicti veniam petit: nefarium est facinus, ignoscere. At leue delictum est: omnia peccata sunt paria. Dixisti quippiam: fixum & statutum est; non re ductus es, sed opinione: Sapiens nihil opinatur. Errasti aliqua in re: malè dici putat. Hac ex disciplina, nobis illa sunt: Dixi in senatu me nomen consularis candidati delaturum. Iratus dixisti. Nunquam, inquit, Sapiens irascitur. At temporis causa: improbi, inquit, hominis est mendacio fallere; mutare sententiam, turpe est; exorari, scelus; misereri, flagitium.

Nostri autem illi à Platone, & Aristote-

le moderati homines, & temperati aiunt, apud Sapientem valere aliquando gratiam: viri boni esse, misereri; distincta esse genera delictorum, & dispares pœnas; esse apud hominem constantem ignoscendi locum; ipsum Sapientem sæpè aliquid opinari, quod nesciat; irasci nonnunquam; exorari eundem & placari: quod dixerit interdum, si ita rectius sit, mutare; de sententiâ decedere aliquando; omnes virtutes mediocritate quadam esse moderatas. Quæ quidem haud obscurè Peripateticos Stoicis, & Aristotelem Zenoni longissimè præferendum esse conuincunt; quod & sequentia proximè duo Paradoxa demonstrabunt,



CAPVT



CAPVT XXIX.

PARADOXVM SINGVLARE; *Omnes stultos insanire, & omnia vitia in omnibus.*

QVò pertinet Paradoxum istud singulare, nisi ad proximos omnes despiciendos, ac flocci habendos, vt cum Euangelico Pharisæo dicat Sapiens Stoicus: *Non sum sicut cæteri hominum*, stulti, insani, desipientes, amentes? Luc. 18. v. 11.

Quid discriminis sit inter stultum, & insanum, non est tanti, vt magnopere disquiramus. Aiunt stultitiam potestatem indicare, insaniam actum. Stultus, qui imperitus, & scientiam non habet; insanus, qui ex imperitiâ, & imprudentiâ malè agit. Stoici sic differunt, omnes stultos insanire, vt malè olere omne cœnum; at non semper. Commoue, senties. S. Ambros. Stultus, qui nihil sapit, & stulta intelligit; insipiens, qui mala sapit. Stultus caret sapientiâ; insipiens, aut insanus, laborat errore, & prauæ dispositionis ignorantiâ. Tusc. 4.

Vt vt sit, Stoici volunt omnes ex æquo stultos esse, & pariter insanire, quia vitia omnia sunt in omnibus, & omnia vitia, & peccata sunt æqualia, ac inter se connexa, non secus ac

virtutes

virtutes pares, & inter se copulatæ; quorum hoc dogma: Sapiens omnia rectè facit; Stultus omnia malè.

Pers. Sat. 5

Nullo thure litabis
Hæreat in stultis breuis vt semuncia recti.

Sen. de benef. 5. c. 15. Ibid. c. 17.

Seneca: Vt vos dicitis: Omnes stulti mali sunt; qui autem habet vnum vitium, habet omnia. Et cupidi omnes, & maligni omnes, & timidi omnes; adijce, & ambitiosi omnes, & impij omnes.

Horat. l. 2. Satyr. 3.

Quem mala stultitia, & quæcumque inscitia veri
Cæcum agit, insanum hunc Chrysippi porticus, & grex
Autumat. Hæc populos, hæc magnos formula Reges
Excepto Sapiente tenet. Nunc accipe, quare
Desipiant omnes æquè, ac tu, qui tibi nomen
Insano posuere: velut siluis, vbi passim
Palantes error certo de tramite pellit:
Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit: vnus vtrique
Error, sed varijs illudit partibus: hoc te
Crede modo insanum, nihilo vt sapientior ille,
Qui te deridet, caudam trahat.

Omnes insani, etiam qui hoc docent, Zeno, Cleanthes, Chrysippus, Seneca, Epictetus. Quis credat? Ego verò Christianum hominem, si non sapientem dixerim; neque tamen ideò insanum, ac stultum dixerim; sed sapientiæ studiosum, ac cultorem, qui ad eam adspiret; vt qui virginem procatur honestam, etsi mox eam non assequatur, sed diutius etiam in eius aucupandâ

aucupandâ gratiâ laboret, non continuò fœdis amoribus inquinatur. Qui in cursu est, etsi longiùs adhuc abest à meta, ac brauio; non adhuc hæret in carceribus, aut de cursu deiectus, aut collapsus omni spe intercidit. Qui nondum vicit, ac de hoste triumphat; cum eodem tamen confligit, ac fortiter dimicat, non est ab eo superatus ac prostratus.

Datur inter virtutem, & malitiam; sapientiam, & insipientiam, medium quid profectus, dum quis sensim exuit malitiam, & insipientiam; sapientiamque, ac virtutem induit. *Iustorum autem semita. quasi lux splendens, procedit & crescit vsque ad perfectam diem.* Quem quidem fulgorem meridianum antequam iustus attingat, à tenebris tamen abest, & tetra noctis caligine. Sensim emergimus ex aquis, & respiraturi mox sumus, etsi nondum ad summam aquæ superficiem enatauerimus. Prou. 4. v. 18.

Non tam est animo cæcus Plato, quàm Phalaris; nec omne lignum æquè rectum, aut curuum, quod regulæ magis aut minus congruit; quę sunt exempla Stoicorum. Sed & cætera ijs consimilia, eos planè coarguunt. Vt apud Tull. Histrio, si paulum se mouit extra numerum, aut si versus pronuntiatus est syllabâ vnâ breuior, aut longior, exsibilatur & exploditur; in vitâ, quæ omni gestu moderatior, omni versu aptior esse debet, vt in syllabâ te peccare dices? Omnino, dicam me, vt Histrionem, grauius modò, leuius modò peccare, licet exsibilandum, & explodendum Diuino iudicio, si meo munere non ritè defungari; quamquam & Histrioni, & mihi peccanti Parad. 3.

poterit

poterit esse veniȩ, & indulgentiæ locus.

Poëtam non audio in nugis; in vitȩ societate audiam ciuem digitis peccata dimetientem sua? si visa sint breuiora, leuiora videantur quî possint? cum quicquid peccatur, perturbatione peccetur rationis atque ordinis; perturbatâ autem ratione atque ordine, nihil possit addi, quo magis peccari posse videatur. At non vna simplex est rationis atque ordinis perturbatio: amplissimè illa patet, & varios gradus habet. Si breuiora, quidni & leuiora videantur peccata?

Et vtinam, non numerum dumtaxat, sed grauitatem, cȩterasque conditiones suorum quisque excutiat, ac dimetiatur delictorum, vt parem censuram, pænitentiamque sponte subeat, & à Deô facilius obtineat indulgentiam! Si id, in quo peccatur, aliud alio maius, aut minus esse potest; cur ipsum quoque peccare non sit maius, aut minus? Auri nauem euertat gubernator, an paleæ, si non multum in inscientiâ, certè in incuriâ ac negligentiâ gubernatoris plurimum interest; si ratio damni ducenda, ea quoque culpȩ gubernatoris est adscribenda.

Lapsa est libido in muliere ignotâ, dolor ad pauciores pertinet, quàm si petulans fuisset in aliqua generosa ac nobili virgine; si dolor ad pauciores pertinet; ergo & iniuria, quæ dolorem creat; aliudque peccati genus est stuprum, aliud vulgaris fornicatio. Si quidem peccare est transilire lineas, quod cum feceris, culpa commissa est; quàm longè progrediare, cum semel transieris, ad augendam transeundi cul-

di culpam non pertinet; Imò verò plurimum pertinet, cum ab honestate longiùs abscedatur, rectæque rationi amplius, ac Diuinæ legi repugnetur.

De virtutibus dictum est, eas neque pares, neque connexas esse, multoque minus paria, & connexa esse posse vitia, quæ virtutibus ex vtroque latere, atque inter se repugnant. Iam ipsi quoque Stoici fatentur, nec omnes ad omnia pronos naturâ esse, atque assuetudine; nec singula in omnibus eminere. Alius in auaritiam, alius in luxuriam, alius in petulantiam inclinat, &c. Quomodo omnis homo omnes sensus habet, non ideo tamen omnes homines aciem habent lynceo similem; sic qui stultus est, non tam acria, & concitata habet omnia, quàm quidam quędam. Omnia in omnibus vitia sunt, sed non omnia in singulis extant. Quæ sanè non cohęrent, si omnia, & paria, & connexa sunt. Sen. 4. de benef. 26. & 27.

Sic & cum interrogantur: Nihil igitur interest patrem quis necet, an seruum? Non cohæret responsum. Illud interest, quod in seruo necando semel peccatur, in patre multa. Violatur is, qui procreauit, qui aluit, qui erudiuit, is qui in sede, ac domo, ac Repub. collocauit; multitudine peccatorum præstat, eoque maiore pæna dignus est. Esto, plures etiam seruos interemerit, aut plures gallos gallinaceos, non æquabitur vnquam homicidium multiplex, aut gallicidium vnico parricidio. Tum, si numeri habetur ratio, cur non & cæterarum conditionum, quæ ad peccati speciem augengendam, aut immutandam pertinent? Parad. 3.

Præter

Baron. ad ann. 254. Præter Iouinianum Hæresiarcham, ex hoc dogmate Nouatianus quoque ad schisma hæresim addidit, asserens lapsos Dei iudicio relinquendos, nec vllum eorum habendum esse discrimen, nullamque esse criminum distinctionem, ex Stoica disciplina, quam erat professus. Sunt tamen, qui hoc dogma credunt vtile ad cautionem. Nempe minima pro maximis quoque cauenda. Non citò ad maiora procedit, qui etiam parua formidat. Tullius ad Catonem: Mihi videntur

Pro Mure. vestri Præceptores, & virtutis Magistri, fines officiorum paulò longius, quàm natura vellet, protulisse; vt cum ad vltimum animo contendissemus, ibi tamen, vbi oporteret, consisteremus. At nihil opus errore ac falsitate ad veritatem virtutemque stabiliendam. Ad cautionem abundè est, quod tradit S. Augustinus. Quæ sint leuia, & quæ

In Enchi. 78. grauia peccata, non humano, sed Diuino sunt pensanda iudicio.

Sunt quædam, quæ leuissima putarentur, nisi in scripturis demonstrarentur opinione

c. 79. grauiora. Quo loco idem repetit, quod in comment. epistol. ad Galat. Væ peccatis " hominum, quæ sola inusitata exhorrescimus; " vsitata verò, pro quibus abluendis Filij " Dei Sanguis effusus est, quamlibet magna " sint, & omnino claudi contra se faciant " regnum Dei, sæpe videndo omnia tolera- " re, sæpe tolerando nonnulla etiam facere " cogimur. Atque vtinam, ô Domine! non " omnia, quæ non potuerimus prohibere, fa- " ciamus!

Vide

Vide & 21. de Ciuit. cap. vlt. vbi illud Poëtæ refert: Quique sui memores alios fecere merendo; quod frequentatur ore Christiano, cum se cuique Sanctorum humilis quisque commendat: Memor esto mei. Sed quis sit iste modus, & quæ peccata, quæ ita impediunt peruentionem ad regnum Dei, vt tamen SS. amicorum meritis impetrent indulgentiam, difficile est inuenire, periculosissimum definire. Ego certè vsque ad hoc tempus, etsi inde satagerim, ad eam indaginem peruenire non potui; & fortassis propterea latent, ne studium proficiendi ad omnia peccata cauenda pigrescat.



CA-



CAPVT XXX.

Vltimvm Paradoxvm; *Sapientem sumere aliquando mortem posse, decere, ac debere.*

NAtum planè videtur ex officinâ mali Dæmonis, qui homicida est ab initio; nihilque magis, quàm cædem ac perniciem hominum respirat, quam apud Gentiles vt sacrilegâ hominum immolatione, ita & hoc decreto Stoico persuadere conatus est. Hic apicem suæ sapientiæ, verius dixerim dementiæ, Stoici statuebant, vt mortem nihil metuerent, sed vltrò etiam appeterent, quasi certissimum in malis perfugium; quam semper haberent in potestate; itaque in animi corporisque dolore, in graui paupertate, in exilio, in morbo, in extremo senio, si cui displiceret vita, mortis exitum patere; neminem in vitâ nolentem, inuitumque retineri.

Nempe hic erat eorum arrogantis atque impotentis animi fastus, ne Deo quidem authori, ac moderatori vitæ ac mortis subesse velle, sui iuris atque arbitrij tam in vitâ, quàm in morte esse velle, nemini parere, nullius decretum sequi, nullius iugum atque imperium ferre. Nullam in Stoicis causam consciscendæ sibi

dæ sibi mortis fuisse, præter superbiam, demonstrat S. Aug. in Catone Vticensi, quòd inuiderit gloriæ Cæsaris, cuius tamen victoriæ superstitem filium reseruarit. Et alibi: Vtrum obsecro, Cato ille patientia, an potius impatientia se peremit? Non enim hoc fecisset, nisi victoriam Cæsaris impatienter tulisset. Vbi est fortitudo? Nempe cessit, nempe succubuit, nempe vsque adeo superata est, vt beatam vitam derelinqueret, desereret, fugeret. Cleonbroti potius mors voluntaria, ad magnitudinem animi pertinuisset; sed maior est animus ærũnosam ferre vitã, quàm fugere. l. 1. de Ciuit. c. 23. l. 19. c. 4. „ „ „ „ l. 1. de Ciuit. c. 22.

Demonstrat & in Lucretia, aduersus quam iudicium, sententiamque postulat à legibus, iudicibusque Romanis, quod non solùm indemnatam; verum etiam innocentem, castam, vim perpessam, Lucretia Lucretiam interemit. Si adultera, cur laudata? Si pudica, cur occisa? aut adulterium homicidio cumulauit, aut pudicam, innocentem interemit. Puduit eam turpitudinis alienæ in se admissæ; etiamsi non secum, iuxta illud: Duo fuerunt, & vnus adulterium admisit. Romana mulier laudis auida, nimium verita est, ne putaretur, quod violenter passa est cum viueret, libenter passa si viueret. c. 19.

Non sic Christianæ fœminæ in se alienum crimen vltæ, ne aliorum sceleribus adderent sua; stupris non addiderũt homicidia. Nullus magnanimus, & pudicus in potestate habet, quid de sua carne fiat, sed tantum quid annuat mente, vel renuat; quò pertinet dictum illud S. Luciæ: Si iusseris inuitam violari, castitas c. 18.

mihi duplicabitur ad coronam.

c.20. Non frustra in sanctis, canonicisque libris nusquam nobis diuinitus praeceptum, permissumve reperiri potest, vt vel ipsius adipiscendae immortalitatis, vel vllius carendi, cauendiue mali causâ, mortem nobisi ipsis inferamus: nam & prohibitos nos esse intelligendum est, vbi lex ait: Non occides; praesertim quia non addidit proximum tuum, sicut falsum testimonium cum vetaret; sed nimirum sibi quisque maximè proximus est. Et per sequentia aliquot capita confirmat, quod neque ad fugiendum molestias temporales, neque ad cauenda aliena peccata, neque ad vindicandum sua praeterita, neque propter spem vitae melioris post mortem, neque propter fugam & declinationem peccati à se committendi, cuique liceat interficere seipsum.

Exceptio illa, quam habet Hieronymus, in Ionae c. primum, non probatur: Non est nostrum mortem arripere, sed illatam ab alijs libenter excipere, vnde & in persequutionibus non licet propriâ perire manu, absque eo vbi castitas periclitatur; sed percutienti colla submittere: Illa, inquam, exceptio non placet (vbi castitas periclitatur) nam Deo bene iuuante, negato consensu, non periclitabitur: non enim sunt facienda mala, vt eueniant bona, neque necesse est peccatum vllum incurrere, si quis sibi mortem non inferat; sed potest Deus opem ferre quacumque vrgente tentatione, cum magnae sit imprudentiae pro incerto minoreque malo diuertendo, certum & extremum omnium malorum

rum subire. Nam mors, ait Philosophus, omnium malorum maximè est terribile; cui remedium afferri nequeat, nullo ad pænitendum spatio relicto. Nullum superest tempus mutandi consilij, & morte omnis spes pænitentiæ ac salutis adimitur. Eth. 3.

Hæc eadem habet S. Thomas, qui triplici ex capite concludit, illicitum suimet homicidium. Primò, quod res quælibet seipsam amet ac tueatur, & quoad potest sese conseruet, & corrumpentibus obsistat; quare qui se interimit, aduersus naturalem sui conseruandi propensionem facit, & charitatem, quâ se prosequi debet. Secundò, quia quælibet pars id quod est, est totius, ac suum priuatum bonum ad publicum referre debet; quilibet homo pars est communitatis, ac Reipub. eiusque bono seruire debet; igitur iniuriam facit Reip. qui ciuem è medio tollit. Tertiò, quia vita eximium est Dei donum, eius vnius potestati subiectum; qui occidit, & viuere facit: vitæ ac mortis claues habet, atque imperium; quare qui seipsum vitâ priuat, aduersus Deum peccat, non secus ac qui alienum seruum interimit, eius Domini ius violat. 2.2.q.64. a.5.ad 3.

Pythagoras, apud Tullium, vetat iniussu Imperatoris, id est Dei, de præsidio ac statione vitę discedere. Platoni item visum, pijs omnibus retinendum animum in custodiâ corporis, nec iniussu eius, à quo ille datus est, ex hominum vitâ migrandum, ne munus humanum, assignatum à Deo, defugisse videamur. Aristoteles, mortem subire, inquit, vt fugias inopiam, vel captiuitatem, vel quamcumque de Senect. 3.Eth.c.

cumque molestiam, non est viri fortis, sed timidi: nam laboriosa fugere, nec quia honestum est, id facere, sed ne malum patiaris, ignauiæ est.

Mihi sanè mirum videri solet, cur Epictetus tantopere semper deprædicans conformationem humanæ voluntatis cum Diuina, in hoc, quo nullum maius esse potest, vitę ac mortis negotio, non eandem impensiore cura commendarit. Semper magis volo, quod Deus
l. 3. diss. 7. vult, quàm quod ego. Adiungar, & adhære-
l. 2. differ. 16. bo illi, velut manuductus & assecla; cum illo appeto, cum illo desidero. Simpliciter, atque vno verbo; Quod Deus vult, volo. Vtere me in reliquum, vbi lubet, & vt lubet; mente tecum consentio, æquanimus sum, nihil recuso omnium, quæ tibi videbuntur; quocumque me voles, ducito: quam vestem lubet, circumdato. Magistratum me gerere vis? priuatum esse? manere? fugere? in pauperie, in opibus agere? Ego non assentior tantum, sed in his omnibus apud alios te defendam, & tuebor. Cur non in vita, æquè ac morte, id consilij sequamur? & Diuinæ legi ac volun-
l. 3. differ. 26. tati pareamus? Constitui, & conformaui voluntatem meā Diuinæ: vult me febricitare? & ego volo; aliquid aggredi? volo: potiri? volo; non potiri? nolo: mori? volo: Adde & viuere? volo. Id sanè saluberrimum. Nouit ille tempus opportunum viuendi, ac moriendi; & vitæ & mortis arbiter, certas vtrique
Iob. 14. v. 5. descripsit metas. *Breues dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est; constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt.* Vt nos induxit in hanc

hanc vitam, ſic educet, cum erit maturum, ad gloriam ſuam noſtramque ſalutem. Ille verò ingratus eſt, qui vitæ ſibi conceſſæ, ac prorogatæ beneficium non agnoſcit, non de eo gratias agit quotidie Deo vitæ largitori.

Tum verò mirari quoque ſoleo Stoicos; cum de alterius vitæ poſt mortem ſtatu nihil illis liqueret; cum de immortalitate, aut potius diuturnitate animorum variè diſſererent; & ſi quando beatam vitam à morte quibuſdam euenire cenſerent, non niſi tamen probis & repurgatis animis ab omni terrena fæce; cur mortem adeo contemnendam, nihilque timendam ſibi duxerint; cur propemodum omnibus indifferentem exiſtimarint; nec intereſſe crediderint, quâ quis conditione moreretur, quove in ſtatu, & quem in locum à morte commigrandum foret.

Mors inter illa eſt, ait Seneca, quæ mala quidem non ſunt, tamen habent mali ſpeciem. Sui amor eſt, & permanendi conſeruandique ſe inſita voluntas, atque aſpernatio diſſolutionis, quia videtur multa nobis bona eripere, & nos ex hac, cui aſſueuimus, rerum copia educere. Illa quoque res morti nos alienat, quod hæc iam nouimus; illa, ad quæ tranſituri ſumus, neſcimus qualia ſint, & horremus ignota. Naturalis prætcrea tenebrarum metus eſt, in quas adductura mors creditur. Hæc non ex Stoica diſciplina, ſed naturæ inſtinctu, & magiſterio, Seneca. Quò pertinent & illi verſiculi Hadriani Imperatoris. Ep. 83.

Animula, vagula, blandula,
Hospes, comesque corporis.
Quæ nunc abibis in loca,
Pallidula, rigida, nudula?
Non vt soles iocos dabis.

Ex inferorum nouem circulis, tertius est, in quo

Virg. 6. Æneid. Proxima deinde tenent mæsti loca, qui sibi lethum
Insontes peperere manu, lucemque perosi
Proiecere animas; quàm vellent æthere in alto
Nunc & pauperiem, & duros perferre labores!
Fata obstant, tristique palus innabilis vndâ
Alligat, & nouies Styx interfusa coërcet.

Quamquam hæc fabulis inuoluta, non omnino tamen á veritate aliena suspicari debuerunt.

Quî factum igitur est, vt non maiore studio requirerent, quis foret animarum status post emigrationem, ac dissolutionem à corpore? Quò pertinebat accurata illa de finibus bonorum & malorum disputatio, nisi ad inuestigandam & comperiendam vitam ac mortem, bonorum vitam, malorum mortem æternam?

Ep. 54. Primaria illa ratio, quam sæpius inculcat Seneca, non metuendæ mortis, immortalitatem animæ tollit, & atheismum sapit: Mors, inquit, est, non esse id, quod ante fuit, sed quale sit, iam scio, hoc erit post me, quod ante me fuit. Si quid in hac re tormenti est, necesse est & fuisse antequam prodiremus in lucem: atqui

atqui nullam sensimus tunc vexationem. Rogo, non stultissimum dicas, si quis existimet lucernæ peius esse cum extincta est, quàm antequam accenderetur? Nos quoque & accendimur, & extinguimur: medio illo tempore aliquid patimur; vtrimque verò alta securitas. Quasi verò sine sensu sit anima, vt est lucerna, aut animæ rationalis lux, & sensus omnis cum corpore simul extinguatur. Aliàs: Mors quid est? aut finis est, aut transitus; nec desinere timeo: idem est enim, quod non cæpisse; nec transire, quia nusquam tam angustè ero. Falleris, tam eris angustè, ac miserè, vt te nunquam fuisse, semper exoptes. Mors impijs transitus est in sceleratorum sedem & regionem, in Orcum damnatorum: pijs autem & iustis Christi Domini merito & beneficio, in cæleste Beatorum domicilium. Ep.65.

Non est sanè mors indifferens; sed in malis habenda, quam Deus non fecerit, nec instituerit, author naturæ; sed quæ profluxerit ab originario peccato, quæ Diaboli inuidiâ intrauerit in orbem terrarum. Iustis tamen hominibus, Christi Domini Saluatoris beneficio, mors salutaris ac vitalis euasit; in optatis & bonis habenda, quę ad vitam sempiternam aditum patefaciat, cui summum sit illud annexum perseuerantiæ donum, quo nullum à Deo maius sperari potest. *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum* Sap.1. v.13. Psal.115. v.15.

 eius;


eius; qua nempe comparatur æterna felicitas. At *mors peccatorum pessima*,
Ps. 33. v. 22. quæ sempiternæ damnationis via est, ac ianua certissima; & inter pessimas, omnium pessima, quæ propria infertur manu, irreparabilis desperatio, mors secunda teterrima.

Potuerant Stoici experientia docti perspicere, beatam vitam hoc in mortali corpore nemini contingere, variosque vitæ huius mortalis euentus hominum virtutibus ac vitijs minimè respondere, cum probi plerumque degant in mærore atque ærumnis, inhonorati, despecti, inopes, destituti à bonis huius vitæ, morbis, alijsque malis affecti; contra, improbi ac flagitiosi bonis omnibus circumfluant, in delitijs, voluptate, & honoribus vitam traducant. Quamobrem colligere debuerant, aliam superesse vitam, in qua cuique à Deo, iustissimo rerum omnium moderatore, pro suis factis rependeretur sempiterna merces, aut pæna. Quam rem, cum nos certissima fide teneamus exploratissimam, æquissimum est, ad mortem quotidiana meditatione, ac virtutum exercitatione nos comparemus, eiusque prorogationem, quoad erit necesse ad repurgandos & expiandos animos nostros, cælestique Regno parandos, ac Deo probandos, cum ea, qua par est, moderatione, atque in Diuinam voluntatem re-
Ps. 38. v. 5 signatione, postulemus. *Notum fac mihi Domine*

Domine finem meum, & numerum dierum meorum quis est: vt sciam quid desit mihi. v.6.
Ecce mensurabiles posuisti dies meos: & substantia mea tanquam nihilum ante te, &c.
Ego autem in te speraui Domine: Dixi: Deus Ps. 30.
meus es tu: In manibus tuis sortes meæ, v.15.16.
tempora mea. Tu vitæ meæ, & mortis arbiter. Non ante moriar, quàm peccato, mundoque, ac mihimet mortuus, vni tibi viuam. Non ante moriar, quàm te mihi contingat, lumen, & salutare meum, instar S. Simeonis senis, brachijs Fidei, & Charitatis amplecti. Tum lubenter in tuo complexu moriar, & dicam:
Nunc dimittis seruum tuum Domine, secun- Luc.2.
dùm verbum tuum in pace: Quia viderunt v.29.30.
oculi mei salutare tuum. Amen.



CAPVT



CAPVT XXXI.

Quis sensus esse debeat hominis Christiani in appetendâ atque obeundâ morte.

OPtarit sibi fortè quispiam, constantiæ Stoicorum æmulus, eum animi sensum in appetendâ morte, qui fuit in Apostolo Paulo, cùm diceret: *Ego autem iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die iustus iudex: non solùm autem mihi, sed & ijs qui diligunt aduentum eius.* Videte, ait S. August. quomodo exultat venturus ad passionem. Exultat, quia moriturus est; & Dominus eius, Imperator eius tristis est, quia moriturus est; ergo melior seruus, quàm Dominus est? fortior miles, quàm Imperator? Nempe suscepit infirmitatem nostram, & nostri exempli ac solatij causâ hos tristiores sponte induit affectus; contristatus est, vt nos consolaretur; timuit, vt nos confortaret atque animaret.

2. Tim. 4. v. 6, 7. & 8

In Ps. 31. & 100.

Bene igitur, adeoque optimè agetur cum homine Christiano, si in illo is sit animi sensus, qui

qui fuit in optimo Duce nostro, Christo Domino, cum imminentem mortem exhorruit; quamquam sponte, ac volens exhorruit, vt nos in se transformaret, in suâ nostram omnium personam exprimens. Tantus fuit hic pauor, & horror proximæ mortis, in Oliuarum horto, tanta mæstitia, tam vehemens agonia, vt copiosum illi sanguinem ex omnibus membris corporis eliceret; non vicit tamen, nec imminuit eius animi fortitudinem ac constantiam, quin totum sese Saluator Diuinæ voluntati permitteret, ac consignaret, tertiò ad Deum Patrem repetitâ precatione. *Non quod ego volo, sed quod tu. Non mea voluntas, sed tua fiat.* Mat. 14. v. 36. Luc. 22. v. 42.

Ad eum modum, cum mors sit extremum naturæ malum, horribile maximè; cum eius sit interitus ac dissolutio; cum vitæ sit priuatio, quâ velut vno fundamento, omnium bonorum, quibus hic fruimur, nititur copia; permittitur homini Christiano eam exhorrescere, & quoad potest refugere; dum tamen Diuinæ se Prouidentiæ, ac voluntati committat; nec eius summi Imperatoris, qui de vitæ eum statione iubet abscedere, imperio reluctetur.

Est & altera iustior timendi causa, quod mox à morte reddendæ sint totius anteactæ vitæ rationes, de omnibus factis, dictis, cogitatis ad Dei tribunal exactissima sit habenda quæstio, Deique iustitiæ faciendum satis; cum aut sempiternæ mercedis pro rectè factis, aut pœnæ ac mortis pro criminibus admissis, excipienda sit sententia, quæ sine tergiuersatione ac morâ demandabitur exequutioni.

Hæc

Hæc cùm ita sint, fieri non potest, quin apud intelligentes sola mortis recordatio ac mentio, metum haud vulgarem incutiat; quin, vbi nos morituros, & ad Dei tribunal sistēdos à morte, & incertum an eo ipso die, cogitamus, si viget in nobis fides, si non planè desipimus, animo toto ac corpore contremiscamus. Quare permittitur homini Christiano mortem timere, atque expauescere; & verò etiam consulitur illius cogitationem, metum, atque horrorem subinde in animum sponte suscipere, vt per eam in officio retineatur, ad eāque supremam horam maiore se curâ ac diligentiâ comparet.

Ita legimus Christum Dominum, iniectâ passionis ac mortis mentione, non semel, sponte cohorruisse, vt apud Ioannem: *Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, salvifica me ex hac horâ. Sed propterea veni in horam hanc. Pater, clarifica nomen tuum.* Et aliàs: *Pater, venit hora; clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te.* Quâ nos quoque precationis formulâ possumus vti; sed prior illa accommodatissima est, quâ nos Diuinæ voluntati totos consignemus: *Pater, fiat voluntas tua. Non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.*

Ioan. 12. v. 27. 28.

Ioan. 17. v. 1.

Ps. 107. v. 1.

Mortem in malis habendam, & pœnam esse primæui peccati; iam ante diximus: nam, si per peccatum anima non se abstraxisset à Deo, nec ab animâ corpus abiungeretur vllâ vi; sed quemadmodum anima Deo, sic corpus animæ cohæreret, atque insolubili nexu sociaretur; ipse primus Parens in innocentiæ statu nunquam mortem obiuisset, sed vbi se Deo pro-

bassct

bassest constituto quodam interuallo temporis, ad diem condictam in alteram vitam immortalem translatus esset, non prius obitâ morte; eademque felix ac fausta fuisset posterorum eius omnium in Dei gratiâ perseuerantium conditio. Sed quâ die fuit inobediens Deo, vetitęque arboris fructum degustauit, mortem sibi, posterisque omnibus arcessiuit; duplicem, inquam, mortem; corporis, atque animi; naturę, ac peccati. Ex eâ die omnes ex eo prognati morimur, fuitque vnius culpa, mors omnium.

• Verum enimuero alterius Adami, reparatoris nostri, merito ac beneficio, cum sine culpâ mortem ipse subijt acerbissimam, ex Dei Patris obędientiâ, mors morte deuicta est, ac sub iugum missa, detracto illi aculeo peccati venenato exarmata atque imbecillis propemodum effecta est; vt iam non modò non perhorrescenda; sed etiam expetenda, in bonis, ac votis habenda videatur; vitalis, ac salutaris reddita; veluti partus nouæ vitæ, sempiternæ, velut eius ostium, per quod in eam nobis aditus patefiat; vel certè velut vehiculum, quo in beatam vitam commodè deuehamur. Hoc illud est, quod morti exprobrat Apostolus. 1. Cor. 15. v. 54. 55. 56. *Absorpta est mors in victoria. Vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est: virtus verò peccati lex*; Sed extinctio atque abolitio peccati, gratia Diuina Saluatoris, quâ Deo reconciliati vitam speramus æternam. Duplicem mortem nostram, naturæ, ac peccati, vnâ simplice suâ Christus Dominus superauit ac profligauit.

Præclarè

Præclarè Cyprianus: Mori planè timeat,
" sed qui ex aquâ & spiritu non renatus, gehennę
" ignibus mancipatur; mori timeat, qui non
Serm. de mort. Christi Cruce & passione censetur; mori ti-
" meat, qui ad secundam mortem de hac morte
" transibit &c. Quod interim morimur, ad im-
" mortalitatē morte transgredimur; nec potest
" vita æterna succedere, nisi hinc contigerit ex-
" ire. Non est exitus iste, sed transitus; & tem-
" porali itinere decurso, ad æterna transgressus.
Quis non ad meliora festinet? Quis non mu-
tari, & reformari ad Christi speciem, & ad
cælestis gratię dignitatē venire citius exoptet?
Cum igitur naturæ mors vitali Christi morte
deuicta sit, ac prostrata; cum per eam nobis
aditus patefiat ad beatam ęternitatem in Cælis
traducendam; cur eam tantopere reformide-
mus, ac refugiamus? cur non magis exopte-
mus?

Atque vt ex eodem S. Cypriano prosequa-
" mur. Paulo Apostolo prædicante: Nostra au-
" tem conuersatio in Cælis est, vnde & Domi-
" num expectamus &c. Eius est, in mundo diu
" velle remanere, quem mundus oblectat, quem
" sæculum blandiens, atque decipiens illecebris
" terrenę voluptatis inuitat. Porro cum mun-
" dus oderit Christianum, quid amas eum, qui
" te odit, & non magis sequeris Christum, qui
" te & redemit, & diligit? Et sub finem: Quis
" non, peregrè constitutus, properet in patriam
" regredi? Quis non, ad suos nauigare festinans,
" ventum prosperum cupidius optaret, vt velo-
" citer charos liceret amplecti? Patriam nostram
" Paradisum computamus, parentes Patriarchas

habere

habere iam cœpimus, quid non properamus & currimus, vt patriam nostram videre, vt parentes salutare possimus? Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos, & copiosa turba desiderat, iam de suâ immortalitate secura, & de nostrâ salute sollicita.

Mors naturæ vetustum est debitum, iam ab originario peccato contractum, nemini non exsoluendum; cui sese ipse Dei Filius, Saluator innocentissimus, nostræ redemptionis causâ submisit, & Parentem quoque suam sanctissimam, immunem ab omni peccato, subiacere voluit; quod nemo non eius maiorum, aut volens, aut inuitus exsoluit. Si quid erat igitur acerbitatis atque amaritudinis in morte, degustatâ eâ à Christo Domino, sanctissimaque eius Matre, videtur abstersum. Si quid asperitatis ac molestię in eâ carnis vniuersæ viâ, tot eâ iam maiorum nostrorum vestigijs proculcatâ, detritum est. Horum omnium exemplis, atque imprimis Christi Domini pręsidijs, mors iam videri potest expetenda, non perhorrescenda; non acerba, & amara; sed suauis atque in delitijs habenda. Nam peccati mortem planè confidimus Diuinâ Christi Domini gratiâ profligatam; sine quo quidem aculeo, quid mors efficere queat?

Quemadmodum triplex vita, naturę, gratiæ, ac gloriæ; ita mors quoque triplex designari, ac spectari potest, corporis, animæ, ac gehennæ; aut quemadmodum præter eam vitam, quàm anima corpori tribuit, alia est ordinis Diuini

vita,

vita, quam Deus animæ tribuit, hic primùm inchoatè per gratiam, quæ participatio quædam est Deitatis; tum in alterâ vitâ perfectè & consummatè per gloriam, ipsius Deitatis claram visionem, ac fruitionem; ita præter mortem naturæ, & corporis, quâ seiungatur anima à corpore, alia est mors peccati & animæ, quâ Deus ab animâ seiungitur, eamque omni suâ gratiâ, ac beneuolentiâ priuat; quæ denique desinit in gehennæ, ac sempiternæ damnationis horribilissimam, & nullo vnquam fine terminandam mortem. Hæc est mors secunda, nunquam satis exhorrescenda, omni cura, diligentia, industria, ope ac contentione fugienda. Prior naturæ, ac corporis metuenda quidē; sed si vita gratiæ & gloriæ superest, per eamque naturæ corporisque mortem certa ac secura redditur hæc altera gratiæ atque animæ vita (quod sanè magnum est mortis beneficium) plus in ea est vitæ, ac boni, quàm mali, ac mortis; quare non adeò fugienda.

Certissima mors est; imò nihil in rebus humanis certum, nisi mors, vti præclarè obseruat S. August. sed tempus, locus, modus, incerta; quæ tamen ipsa sollicitos nos, & anxios habere non debent, dum in Dei gratia, & amicitia mors minimè imparatos offendat. Quocumque tempore, loco, modo mors obtingat, nihil obfutura est, si careat aculeo peccati, quo nos conficiat, atque æternū perimat. Si viuit anima, resistet morti: nam si mortua est, tum nullo resistente dirè grassabitur mors in corpus, animamque mortuam. Erit illi præda, non solùm corpus putredine & vermibus absumen-

In Ps. 38.

absumendum, verum & anima sempiternis ignibus à morte depascenda. Sed auertat Deus hanc diram à nobis peccati mortem, ne cum naturæ ac corporis morte consocietur mors secunda animæ & gehennæ.

Cæterum, *si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit*. Quales mors nos repertura est, tales perpetuæ sistet æternitati; tales adducet ad Dei tribunal, ex eius ore sempiterni præmij, aut supplicij sententiam excepturos. Qualem te inuenerit Dominus, cum vocat, talem periter & iudicat. Cum igitur nesciat homo an amore, an odio dignus sit; nemoque sibi, neque de præsenti gratiâ, ac fide per charitatem informatâ, neque de perseuerantiæ munere, certi aliquid absolutâ certitudine promittere queat; inter spem metumque viuendum est; nec sine curâ, ac sollicitudine mors expectanda est, atque omnibus horis, omnibusque locis operienda, ne incautos atque imperatos opprimat.

Ecc. 11. v. 3.

S. Cypria. de mort.

Bene quidem de Diuinâ clementiâ, bonitate, ac misericordiâ sperare iubemur; tum & meritis Christi Domini Saluatoris, per Sacramenta nobis benignè communicatis, potissimùm inniti nos oportet; tamen extra metum nos esse non patitur illius horæ supremę summum & ineuitabile discrimen. Tanti est Æternitas, summè aut Beata, aut Misera; quæ nos Deo, summo bono nostro, ac fini vltimo, adiunget in cælis, eo beandos, neque vnquam abiungendos; aut (quod absit) ab eo seiunget, atque in Orcum damnatorum de-

trudet sempiternis ignibus exurendos.

Accedit, quod in ipso exitu vitę, mortisque articulo, Cacodæmon, hostis noster, omnem vim suam atque industriam, vires omnes ac dolos sit explicaturus, & modò ad infidelitatem, modò ad desperationem, fortè & ad præsumptionem suggestionibus importunissimis exagitaturus, &, ni Deus prohibeat, in peccati lapsum impulsurus; cui maturè nos crebris actibus fidei, ac spei, incensæque in Deum charitatis, obuiam ire par est, ac Extremæ Sacræ Vnctionis, quæ ad eam luctam est instituta diuinitus, armatura nos communire; tum verò & Sacratissimi Christi Corporis Viatico, quo reddamur inexpugnabiles, instruere nos oportet, vt non præualeat hostis aduersus nos, sed victores euadamus, gratiasque agamus immortales Deo, qui dedit nobis victoriam, per Dominum Iesum Christum.

Quamdiu durat hæc vita mortalis, assueuit malus Dæmon aduersus charitatem potissimùm, Carne & Mundo administris, voluptate & honorum illecebris, aut aduersitatum incommodis; vel prosperæ, vel aduersæ fortunæ telis dimicare; ab eaque nos Diuinâ charitate vel bonis ac blandimentis huius sæculi pellicere atque abstrahere, vel malis atque ærumnis deterrere nititur; sed, cum decursâ vitâ nihil magnopere supererit vel eorum bonorum appetendum, vel malorum refugiendum; cum præterita cuncta vanitatis arguentur, in ipso supremo morbo, ac mortis articulo, ipsa fidei, ac spei fundamenta concutere, ac

tere, ac omni vi ac fraude, qua potest, disturbare conabitur. Quare tum eæ virtutes potissimùm erunt exsuscitandæ atque exerendæ; ad easque impensius Diuinæ gratię subsidia continuis precibus ac votis ardentibus imploranda.

Tum Angeli Tutelares, Patroni nostri cælites, ipsa imprimis Benignissima Mater Dei, Mater gratiæ ac misericordiæ, suppliciter erit inuocanda, ne deesse velit in hoc extremo discrimine: dissipet omnes tartareas aduentu suo legiones, quietosque ac pacatos reddat bonæ spei plenos, vt in eius Maternum sinum animas nostras, fide, spe, charitate mundatas, atque animatas exhalemus.

5. O beatam mortem, quam Diua Mater sua præsentia propugnare, ac cohonestare dignata fuerit! O beatam mortem Christianorum, quæ & Oleo Sacræ Vnctionis, & Christi Corporis Diuino Viatico sit communita! Vita magis, quàm mors appellanda, cùm beatæ vitæ natalis sit, atque introitus. Non illa mors à Christi charitate separabit: sed æterno nexu, atque indissolubili sociabit. Erit ea mors oneris grauissimi depositio, carceris ac vinculorum disruptio, militiæ ac pugnæ periculosæ, atque ancipitis exitus felix, victoria, ac triumphus: longæ ac molestę peregrinationis terminus: ab exilio in patriam reuocatio: nauigationis, ac iactationis in longa tempestate portus optatissimus, finis laborum, ac requies: securitatis ingressus. Commutatio erit optatissima laboris in quietem, perturbationis in tranquillitatem, mæstitię in iu-

in iucunditatem, timoris in securitatem, denique egestatis & inopię in abundantiam & satietatem.

Perinde euenit iusto in Dei gratia morienti, ac si ex equo furioso, quem regere sine molestia, ac periculo nequibat, itinere demum confecto, feliciter exscenderet; Ac si de domo omnibus iniurijs peruiâ, iam iam minitante ruinam, proriperet se, atque in ædes commodissimas commigraret, nempe in domum æternam, non manu factam in cælis. Mors, omnium ægritudinum ac morborum vltima, ac præsentissima est medicina, omnium periculorum euasio, omnium ærumnarum consumptio. Ac, si corpus quidem spectes ab animâ seiunctum, mors egregiè somno comparatur, quo veluti correptum tam diu iacebit in sepulchro, quoad nouissimo die, Angelicæ tubę sonitu, exsuscitetur, & animę sociatum ęternæ vitæ restituatur; si verò animam attendas, quæ digreditur à corpore, mors peregrinatio est, iter & profectio longinqua; discessus in regionem valdè dissitam, in cæleste regnum & domicilium; aut potius, mors rheda ac vehiculum à Deo submissum haberi debet, quo felix anima in cælestem Beatorum aulam deuehatur.

Sed me vehementer absterret hoc Biuium æternitatis, ne pro rheda cælesti obueniat infernalis catena, quâ præter opinionem in Tartarum anima infælicissima pertrahatur. Terret me discrimen anceps consequuturæ mox æternitatis; hæreo suspensus expectatione

tione nouissimi iudicij, quod sanè scio ab humanis longè discrepare iudicijs. Non me mors ipsa terreret, nisi consequeretur à morte iudicium. Sine hoc timore salutari nec viuere, nec mori cuiquam expedit.

Atque, vt in morte quoque nobis præluceat, qui in omni vitâ & doctrinâ præluxit, eximius Ecclesiæ Doctor, S. Augustinus; dicere consuerat inter familiaria colloquia, post perceptum Baptismum, etiam laudatos Christianos Sacerdotes absque dignâ, & competenti pænitentiâ exire de corpore non debere. Quod ipse fecit vltimâ, quâ defunctus est, ægritudine: nam sibi iusserat psalmos Dauidicos, qui sunt paucissimi de pænitentiâ scribi, ipsosque quaterniones iacens in lecto, contra parietem positos diebus suę infirmitatis intuebatur, ac legebat iugiter, ac vbertim flebat.

O virum verè magnum atque humilem, qui quam animi demissionem in omni vitâ semper excoluerat, in morte quoque retinuit ac exhibuit! qui nobis exemplo præiuit, & viuendi, & moriendi in sancto Dei timore, in humilitate, & pænitentiâ homini saluberrimâ, Deoque acceptissimâ!

Non constat tamen ea pęnitentia solo Diuini iudicij metu, neque eo pręcipuè nititur; sed Christi Domini meritorum, ac gratiæ certa spe, Sanctissimorumque eius Sacramentorum vsurpatione confidit; ac tametsi minimè secura, ac præsumens; non

tamen desperabunda, neque nimium timida mortem expectat, atque excipit. Vt spem inter & metum traducenda nobis est vita; ita & mors excipienda. Secludat Dei metus præsumptionem, spes ex aduerso desperationem. Diffidamus de nobis ipsis, at in Christi Domini Passionis, ac mortis meritis, Sanctisque piè vsurpatis Sacramentis, tum & D. Matris ope præcipuè confidamus.

Humilitatem & in ipsa morte conciliet, & tueatur in nobis præteritorum recordatio peccatorum, quæ Christi tamen indulta nobis, merito confidamus. Dicamus illi, quod est in Psalmo: *Miserere mei Domine quoniam infirmus sum: sana me Domine quoniam conturbata sunt ossa mea. Et anima mea turbata est valde: sed tu Domine vsquequo? Dixi: Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei. Domine, ante te omne desiderium meum: & gemitus meus à te non est absconditus. Non auertas faciem tuam à me. Velociter exaudi me Domine: defecit spiritus meus. Non auertas faciem tuam à me: & similis ero descendentibus in lacum.*

Ps. 6. v. 3. 4. — Ps. 31. v. 5. — Ps. 37. v. 10. — Ps. 101. v. 3. — Ps. 142. v. 7.

Ita nos contingat ex animo precari, aut in illis B. Stephani verbis emori: *Domine IESV, suscipe spiritum meum*, aut in tuis, ô Bone IESV: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*: nam beneficium bonę mortis, si cui obtingit, beneficio ac merito tuæ passionis, ac mortis obtingit.

Act. 7. v. 58. — Luc. 23. v. 46.

Tu,

Tu, cum esses summi Dei Filius, ad mortem vsque Crucis horribilissimam abijcere te non es grauatus, ne nos æternum moreremur, vt tua morte mortem nostram profligares, & tua hac suprema humiliatione exaltationem nostram promerereris. Sit igitur tua mors vita nostra, tua humiliatio nostra exaltatio; tecum moriamur, tecum exsuscitemur; moriamur peccato, mundo, nobismetipsis; exsuscitemur ad gratiæ gloriæque vitam sempiternam. Humiliemur tui causa, vt per te tandem exaltemur, & glorificemur. Amen.



ELENCHVS
CAPITVM
LIBER PRIMVS.

Cap.

LIBER.



LIBER SECVNDVS.

Cap.

Cap.

FINIS.